


SOLITUDO
SACRA
AD DIES OCTO, VEL DECEM ANIMÆ SALUTI UTILITER IMPENDENDOS

In Meditationibus æternarum Veritatum juxta Ideam Exercitiorum S. P. IGNATII, accommodata Personis Secularibus, Ecclesiasticis & Religiosis.

AUTHORE R. P.
CAMILLO HECTOREUS S. J.

NUNC

POST SEPTIMAM EDITIONEM ITALICAM translata IN LATINUM,

A

R. P. HENRICO HEINSBERG
EX EADEM SOCIETATE JESU.

Constans quinque Partibus, & Concionatoribus etiam comprimis utilis.

PP. Eremitarum Camaldulensium
Erem. *COLONIÆ AGRIPPINÆ*, Vigrensis

Sumptibus WILHELMI METTERNICH Bibliop.
Sub Signo Gryphi Anno M. D. CCXXVII.



PI

Omnibus

ad solitudin

Religi



quidem dicitur,
sa, sed qualis à S
rescens depingit
cte ac melle ma
Solitudinem, &
exultabit, & flo
nabit, & exulta
Etenim si sacer
pendium est pot
in ordinem mira
noque Spiritu di
vitiorum sentes,
que perfectæ cha
bit etiam ad soli
la ad Volusianu
eloquium apta
guntur, & pa
ingenia: Qu
brati triplicem
suis in Exercitiis
dem, dum in



PRÆFATIO

Omnibus ſalutis ac perfectionis ſtudio, ad ſolitudinem aſpirantibus tum Sæcularibus, tum Religioſis, tum Eccleſiaſticis Interpres S. P. D.



INgratum fortè occurret (nonnullis) opuſculum ſub nomine ſolitudinis veniens, utpote cum Philoſopho conſiderantibus hominem tanquam animal ſociale, atque hinc pertæſum tetricæ ſolitudinis faſtidia: ſolitudo equidem dicitur, verùm non illa deſerta, & invia, & inaquoſa, ſed qualis à Spiritu ſancto in nobiliſſimos fructus effloreſcens depingitur apud Oſeam cap. 2. Verſ. 14. Terra lacte ac melle manans: *Ecce ego lactabo eam, & ducam in Solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Solitudo quæ denique *exultabit, & florebit quaſi lilium, & germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.* Iſa. 1. v. 1. 2. Etenim ſi ſacer ille Exercitiorum S. Ignatii libellus compendium eſt potiſſimorum fidei Chriſtianæ myſteriorum in ordinem mirabilem Ignatianâ induſtriâ digeſtum, Divinoque Spiritu dictante ad virtutum flores, poſt extirpatas vitiorum ſentes, in anima plantandos, & ad eandem denique perfectæ charitatis luce colluſtrandam ordinatum, licebit etiam ad ſolitudinis hujus encomium derivare verba illa ad Voluſianum à ſancto Auguſtino ad ſacræ Scripturæ eloquium aptata. *Hic ſalubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia*: Quibus non immeritò dixerim adumbrati triplicem illam perfectionis ſemitam, quam ſuis in Exercitiis aperit ſanctus noſter Patriarcha: ſiquidem, dum in via purgativa ad animam à pravis affe-

fectibus expurgandam omnia ejuſdem exercitia conſpirant, quid niſi prava molitur corrigere ingenia, dúmque peccatis jam abolitis, domitiſque noxiis affectibus imbecillæ adhùc teneræque virtutis mentes ad ſeriam in via illuminativa Chriſti virtutum imitationem conatur impellere, quid aliud agit, niſi ut parva quærat ingenia nutrire; & dum animam hac ratione perfectiùs diſpoſitam in ſublimioris perfectionis viam, ad intimam, per charitatem, cum Deo unionem molitur adducere, quid niſi magna ingenia vero Divini amoris gaudio oblectare, viamque hoc pacto unitivam pandere dicatur. Ad quæ quidem omnia à ſuorum Exercitiorum cultoribus obtinenda, quàm mirabili valeat efficaciâ aureus ille S. Ignatii libellus, non mei eſt inſtituti, illud in hoc ad vos alloquio pluribus elucidare; actum enim agerem; poſteaquam nobilis ille Author hujus in Italico idiomate primùm conſcripti libri ſatis iſtud diffusè ac luculenter prima ſua in parte præſtitit: iſtud autem hic loci ſubticere non debeo, quòd, licèt ab eo tempore, quo aureo illo ex Ignatii Exercitiorum libello tam præſtantes in Eccleſiam fructus redundare ſunt comperti, in hoc ſacri Chriſti Evangelii compendium tam copioſi interpretes exſurrexerint, ut huc transferri poſſit illud Plinii: *Nuper inventa æris vena nullum finem ſpei fecit* lib. 53. cap. 6. Fortè tamen nemo unus ſit ex omnibus, quantum quidem mihi hucuſque dignoſcere licuit, qui aut ſingula pii hujus ſeceſsûs Exercitia diſcuſſerit, aut tam enucleatè ſaltem pertractârit, quàm præſens Italico primùm idiomate conſcriptus, Author, modò autem latii etiam juris factus, ut plurium uſui aptatus, pluribus etiam extra Italiam ſerviret, poſſentque deinceps pariter hi, quibus alluberet, domeſticos intra parietes ſolitudinem ſibi erigere, facili hoc præſidio, Directoris adjumento deſtituti ad laudabilem hunc finem ſtrenuè con-

ten-

tendere. Omni hominum conditioni, ut titulus ipse præfert, est accommodatus. Poterunt ex eo sæculares, suo quivis conformiter statui, perdiscere methodum ducendi vitam & suaviter sanctam, & sanctè suavem: Dignoscere non solùm ex illo poterunt Religiosi majorem ad perfectionem aspirandi obligationem, sed & gratam jugi religiosæ disciplinæ faciliùs ferendi rationem comprehendere. Et efficacem in eo instructionem deprehendent Ecclesiastici, & neophytis quidem sacrorum ordinum candidatis apprimè necessariam, atque opportunissimam sacræ Archi-Diœcesis hujus sanctioni, quâ jubentur omnes per Exercitiorum Spiritualium usum ad eos dignè suscipiendos sese disponere, discéntque ex eo tantæ gratiæ, ac dignitatis amplitudinem utiliter agnoscere, munerisque Angelicis etiam humeris formidandi partes fructuosè æstimare, ac denique ad Officii tam Divini rationes ritè adimplendas, piè curiosis Considerationibus, sanctè doctis lectionibus, atque efficaciter claris meditationibus insigniter, ut confido, convalescent. Confidenter equidem loquor, verùm absque præsumptione, tam enim gloriosa dictitans, laudem illi, virtutis præmium solummodo tribuo, qui sacra hæc virtutis, perfectionis, salutisque adjumenta totâ Italiâ longè celeberrima comparavit, omnium profectui accommodata. Ubi admonere debeo nec matronarum etiam, ac quarumvis sexûs fœminei Personarum considerationem ab Authore in Italico adhibitam, visam mihi fuisse prætermittendam in translatione Latina, paucis fortè illarum usque huc futura usui; ne aut mutilatum Authorem proponerem, aut faciliori illo versionis Germanicæ ita facilius fortè ab altero quopiam meditandæ præsidio spoliarem, unde nec nimis Religiosum interpretem me acturum putavi, si Authorem fideliter secutus plurimis in locis uterer nomine:

Persona Religiosa pro *Religiosus*, utpote communi omnibus: utinam & ipsis hinc illud accedat adjumentum; considerem & illas cum quibuscunque, qui in mysteriorum Divinorum profunditatem mira ab Authore Claritate detectam intellectum perscrutando humiliter immissuri sunt, nil deterritas Solitudinis asperitate dicturas illud S. Augustini: *Mira est profunditas eloquiorum tuorum Domine, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, verùm mira profunditas.... horror est intendere in eam, horror honoris & tremor amoris.* lib. 12. conf. c. 14. Ad quem sacrum *honoris ac amoris tremorem* dum totum Solitudinis sacræ systema conspirat, fructum illum honorificentissimum, omnibus, quotquot ad sacra S. Ignatii Exercitia animum adjecturi, facili libelli hujus manuductione uti voluerint, ex animo precor, omnium

Servus in Christo
H. H. S. J.

MONITUM.

Qui voluerint Exercitia obire per integrum mensem; instructionem invenient partim in Indice Tomuli Secundi, partim in fine partis Quintæ. Ceteri, qui ad tres, aut octo, aut decem dies illa peragere meditantur, distributionem invenient in Indice tomuli primi: Quare omnium primò hos Indices consulere velint: Director Exercitiorum inveniet hic folia in singulos dies seorsim distribuenda, exceptâ prima parte, quam convenit aliquot diebus ante Exercitia legi. NB. *parte secunda pag.* 138. *Refigendus est titulus:* Additiones sive Regulæ.

PRIVI-





PRIVILEGIUM CÆSAREUM
Societatis JESU.

EGO Infra-Scriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni Inferioris Præpositus Provincialis potestate mihi ab admodum Patre Nostro Michaële Angelo Tamburino Præposito Generali ad id facta, concedo Dno WILHELMO METTERNICH Bibliopolæ Coloniensi facultatem ad Decennium recudendi Librum, cui Titulus Solitudo Sacra, primum Italicè conscriptum à P. CAMILLO HECTOREUS S. J. & postmodum in Latinum idioma translatum à P. Henrico Heinsberg ejusdem Societatis sacerdote: Eidemque Jus Cæsarei Privilegii Usurpandi eatenus indulgeo, ut Librum hunc nemo alius recudere, nemo intra S. Rom. Imperii fines, & Hæreditarias S. Cæs. Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem has Litteras propria manu subscriptas, & officii Sigillo munitas dedi. Coloniæ die sexta Julii 1727.

(L. S.) HERMANNUS WESSELING m. p.



FACULTAS
R. P. Provincialis.

EGo Infra-Scriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni Inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi facta à Patre Nostro P. Michaële Angelo Tamburino Societatis Nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto Librum, cui Titulus *Solitudo Sacra* Italicè priùs conscriptum à P. CAMILLO HECTOREUS Soc. JESU nunc verò in Latinum idioma translatum à P. Henrico Heinsberg Societatis ejusdem Sacerdote, & à Deputatis ad id Censoribus ejusdem Soc. JEsu lectum & approbatum. In cujus rei fidem hásce literas manu propria & consueto Officii Sigillo munitas dedi Coloniæ 1. Majì 1715.

PETRUS SCHMITMAN,



A



iisdem vacan
doctriná veri
fecit, dum e
vit, tum in
commendav
VII. qui ant
assumptione
ximamque e
gentias plena
iisdem opera
Jesu essent na
Octobris An
centius XI. p
atque aliis us
ctum eorund
nùs, quàm Ec
mis accendit
dò in Sede Pe
Exercit. Spir



AD LECTOREM.



Uanta de Exercitiis S. Ignatii Lojolæ concipienda sit æstimatio, & quàm copiosum exinde fructum referant ii, qui in præscriptarum ab ipso Regularum observantia iisdem vacant; Paulus III. Pontifex sanctitate & doctrinâ verè magnus orbi universo testatum fecit, dum eadem sæculo quinto tum approbavit, tum in Bulla data Anno 1548. plurimùm commendavit. Seculo item currente Alexander VII. qui ante suam ad Thronum Pontificalem assumptionem, sæpius eisdem exercitatus, maximamque eorum utilitatem expertus, indulgentias plenarias iis concessit, qui octiduanam iisdem operam in Domibus aut Collegiis Soc. Jesu essent navaturi, utì patet ex Bulla data 12. Octobris Anno 1656. Et præter cæteros Innocentius XI. plurimis eadem laudibus efferendo, atque aliis usum eorum commendando, sanctum eorundem amorem in secularium non minùs, quàm Ecclesiasticorum ac Regularium animis accendit. Ejusdem mentis est regnans modò in Sede Petri Innocentius XII, maximè cir-

ca Personas Deo consecratas; unde cum magna ædificatione ac fructu excrevit numerus, tum domorum, in quibus illa obeuntur, tum Personarum, quæ illa tradunt, vel quæ ipsa obeunt. Exinde cœperunt Prælati plurimi in suis Diœcesibus à candidatis Presbyterii horum usum per octo vel decem dies exigere, ut hoc salutari medio ad primum Missæ Sacrificium decenter peragendum ritè disponerentur; idem à virginibus ordinem Religiosum ingressuris ante habitûs sacri susceptionem fieri postulârunt, uti & ante votorum Religiosorum emissionem, non aliâ profectò de causâ, quàm quia exploratum habuerunt, quantùm Exercitia conferant ad animam rectè disponendam, ut desideria sancta ex veritatum æternarum meditatione concepta occasionibus nascentibus ad gloriam Dei, ad salutem propriam, ad bonum proximi exemplum exercere valeat ac propagare.

II.

Ad opus tàm sanctum pro tenuitate mea concurrendi studio, animoque adjumentum aliquod tum Directoribus, tum dirigendis subministrandi, tenue hoc opusculum concinnavi; illis quidem ut faciliorem reddā operam in inveniendis, dirigendis ac distribuendis iis, quæ Exercitiorum tempore sunt tradenda, ut exercendis nulla hora otiosa elabatur, omnes fructuosè impendantur: his, ut viam sternam in operatio-

nibus

nibus, quibus occupandi sunt, ut dum faciliùs se profecturos confidunt, tædio non afficiantur. Studui verò me conformare methodo, quâ utuntur filii S. Ignatii, ut ritè procederem secundum mentem sancti eorundem Authoris: & in quibus adhibito quantocumque ejusdem vestigiis insistendi conatu, visus mihi fui discedere, errorē corrigere omni studio annisus fui: aptavi ipsa ad commodum usumque triplicis Personarum classis, pro sæcularibus, Regularibus, & Ecclesiasticis; siquidem mortalium nemo est, qui non ad unam ex illis reducatur; ut quilibet modò voluerit, è veritatibus à S. Ignatio unum in libellum collatis, vitæ rectè instituendæ præsidium possit capere. Eam conatus sum adhibere manuductionem, ut quemadmodum experientia comprobavit, absque fastidio, imò & cum levamine quilibet quamquam inexpertus, & qui mediocris tantummodò capacitatis fuerit, hísce paginis uti, profectum sperare, atque ita bene animatus exercitia amplecti possit.

III.

Pro majori facilitate opusculum hoc dividitur in quinque partes. *Prima* exactissimam continet instructionem quâ elucidatur, quid sint exercitia S. Ignatii, quis finis, & quæ methodus eadem ritè peragendi: confido, quod lectio ejusdem multis sit additura animos ad eadem amplectenda. Manifestum etiam facio eorundem

 dem

dem ſoliditatem, ex eo, quod non contineant niſi Doctrinam Chriſti; ac veritates æternas illis contentas; ut ita quàm longiſſimè abſit, eadem eſſe difformia doctrinæ Evangelii, & Magiſtrorum vitæ ſpiritualis: hinc &, quantumcumque diverſis modis à Dæmone impugnata fuerint, non permiſit tamen Dominus ullâ ratione eadem expugnari. Unde Lectorem rogo, hanc informationem conſiderare dignetur, indeque colligat, facili illa ac fructuoſa methodo ſive intra, ſive extra cœnobium degat, obiri à ſe poſſe. Credat autem Lector, quod difficultas quæ in iis ſuperanda occurrit, potiſſimum illa ſit, quæ eſt poſita in apprehenſione difficultatis, experientia de reliquo commonſtrante, quod quò quis ulteriùs in eis procedit, hoc ampliùs etiam iis oblectetur, minuſque ad finem eorum anhelet. *Secunda* continet meditationes, quibus magis propriè S. Pater nomen Exercitiorum indidit. Tantâ autem facilitate omninò ſunt propoſitæ, ut nemo habeat, quod de illis capiendis fructuque ex iiſdem ſingulari, qui eſt morum correctio, percipiendo deſperet. *Tertia* complectitur conſiderationes: quarum aliquæ ſæcularibus propriæ ſunt, aliæ Religioſis: veritates generales in meditationibus expendendæ ſunt ejuſmodi, ut facilè applicari poſſint cuilibet perſonæ è triplici hac claſſe, prout neceſſitas ipſius exegerit. Quod qua ratione peragendum ſit, videbis ex informatione, de qua paulò ante locutus

cutus sum, atque ex ipsa textura considerationum: Vix credat aliquis, quantum commodi hauserint hi, qui iis usi fuerunt, confessi etiam (maximè personæ Religiosæ) quod in usu earundem invenerint speculum aliquod, in quo dignoverint, quid agere aut omittere debeat cœnobita. *Quarta* proponit lectionem spiritualem pro omni die convenientem materiæ, de qua facta est meditatio. *Quinta* addit instructionem pro Directore, in Exercitiis, sive communitatis alicujus totius, sive aliorum seorsim, qui iis nondum satis sunt exculti: supposità illâ facilitate, qua proceditur, nisi mihi ipsi blandior, utilissima est, & Directori, qui tradit, & illi, qui obit Exercitia. Intendi hoc pacto esse adjumento quibusdam, qui extra civitatem habitantes, volentesque tradere exercitia iis, qui de mandato Prælatorum suorum eadem obire debent, notitiam satis accuratam modi, quem in iis tradendis servare oportet: aliunde habere non possunt; quâ quidem suppeditatâ existimavi me ipsos sublevaturum, ac præstiturum, ut hi, qui eorum Directioni sunt crediti, verè & non apparenter tantùm obeant Exercitia spiritualia. Index ea etiam methodo est concinnatus, ut ad uberem fructum afferendum serviat, quare, ut is percurratur, rogo.

IV.

Directori S. Ignatius præscribit, ut Exercitanti

instructioni ipsius commisso non tradat una vice plures meditationes, quàm unam, cum in finem, ne pluralitate confundatur, neque distrahatur legendis materiis alienis ab ea, quæ meditanda, pro hac hora est præscripta. Proinde tàm meditationes, quàm considerationes ac lectiones spirituales obituris Exercitia, bis de die, ante Meridiem nempe , & Vesperi distribuendæ, suis hìc singulæ foliis separatim sunt consignatæ; ita ut necesse non sit eas simul compingere Verùm Director suis vicibus unam meditationem, unam considerationem , unam lectionem spiritualem per folia possit tradere , nec plura dare necesse sit; & hanc quidem præ altera, prout ipsi dictitaverit prudentia, habita ratione personarum, quæ Exercitia obeunt , & dierum qui iis impendentur. Sed quia neque omnes appetunt, neque singuli possunt esse Directores, hinc folia separata, Directoris instructionem continentia, possunt unà compingi , & usitatum pro more libellum conficere.

V.

Opusculum prima quidem facie paululum prolixum videbitur , verùm qui illo uti cœperit , videbit ita fieri conveniens fuisse. Prima pars illi, qui primâ vice orditur exercitia, separatim ab aliis est ministranda; utì & illi, qui post primum eorum usum diu ab iis repetendis abstinuit;

nuit; idque pluribus diebus (& si visum foret, aliquot etiam subire septimanis) ante eorum initium; ut dum exercitandus de eorundem usu informatus accedit, instructor illo tempore, quo illa jam in praxin deducere, non verò discere conveniret, non cogatur multum temporis erudiendo insumere ; ne meditandi tempus alter præcidere debeat. Præterquam quod expediat ipsummet præintelligere, an capax an verò incapax sit hujus negotii suscipiendi; quodque faciliorem Director praxin sit redditurus, si dissolverit tyroni difficultates illas, quarum mille in Exercitiorum usu finguntur, quæque justo majores existimatæ, imò etiam pro talibus reputatæ, quales non sunt, multos ab iis affectandis absterruerunt. Secunda, tertia & quarta pars opusculi in singulos dies impenditur, & in fine octavi vel decimi diei totæ consumuntur, ut nihil earum reliquum supersit ; quemadmodum ex Judice quo foliorum distributio continetur, & ad quam te remitto, poteris videre. Quintam partem, qua continetur instructio pro Directore: utì & Iudicem ipse sibi servabit; unde liquet, opusculum hoc suas in partes cum reflexione ad illud, quod est congruum, esse distributum. Ut ita dum nihil deficit, nihil redundat, adæquatum sit spatio octo vel decem dierum, ad quos est compositum; quod addo, quia volens Exercitia ad integrum mensem extendere, poterit uti libello ad tantum tempus in iis exigendum

 para-

parato; cui titulus eſt. *Liber Exercitiorum ſpiritualium S. Ignatii facili methodo elucidatus à Fauſtino Lombardelli*; in quo Author profitetur explicare pulchram illam ſeriem, ordinem ac unionem Exercitiorum, quam dum multi ob ſummam brevitatem, qua ſanctus Pater illa tractavit, non percipiunt, non æſtimant pro eo, ac æſtimari merentur: verùm quia pauci ſunt eorum, qui integrum menſem exercitiis meditantur impendere, ſinè brevitate etiam illa de altero libello memorata, in hoc opere proceſſit, ſupponens, quod hi qui integrum menſem in ſacra ſolitudine extrahere cogitant, non indigeant manuductione illâ ratione, qua in hiſce paginis, non ad tantopere exercitatos, ſed ad alios directis utor.

VI.

Quia autem contingere poteſt, ut Communitates aliquæ non nanciſcantur tempus opportunum pro diebus octonis meditando inſumendis, viſum hic mihi fuit è re fore, ſi deſcriberem conſuetudinem in nobili quadam civitate uſitatam. Duabus in die vicibus, manè nempe ante prandium, & à prandio Veſperi hominibus, illic ſimul congregatis explicantur meditationes, conſiderationes & lectiones ſpirituales, cujuſvis autem libertati relinquitur eorum meditatio, aut ſi ea haberi non poſſit, eorum relectio. Magnuſque fructus provenit vel ex eo ſolùm, quòd

viva-

vivaces illæ & penetrantes sanctæ fidei veritates bene declaratæ aut per decem continuos dies expensæ evaserunt tanquam tela cor pervadentia, aut velut iteratis malleorum ictibus impulsi clavi. Progredior, & me explico ulterius.

VII.

Ad complura certorum locorum Monasteria Monialium, non nisi binis anni temporibus, id est, in adventu & quadragesima conciones habentur. O quanta in hæc ipsa utilitas redundaret, si mense ex.gr. Septembri proponerentur ipsis & explicarentur (ad nihil interim eas obligando) meditationes de sancto aliquo, unà cum considerationibus ad eas spectantibus, cum lectione spirituali ad mediam horam; manè quidem post decantatum matutinum, & vesperi pariter absolutis vesperis; foret hoc ipsum cibum spiritualem porrigere altera tertia vice de anno lumenque præferre ad Regulas Christianæ ac Religiosæ vitæ consectandas, qua sanctissima luce prælucente tutò possent ambulare: & quantum roboris esset accessurum; neque aliud optarem, siquidem alterum fieri non posset, quàm ut Pater spiritualis clientibus suis prælegeret hujusmodi paginas ea devotione, expressione ac energia, qua tanti momenti veritates merentur proponi; non negligendo lineolas, quæ in decursu meditationum inveniuntur, supponunt enim pausas, quæ conducunt ad breviter illud considerandum, quod ibi legitur.

VIII.

Fructus qui ex Exercitiis cujusvis indigentiæ conformiter sunt carpendi, sunt hi, quos P. Ludovicus de Ponte refert Paragrapho nono Introductionis ad sex Tomulos, meditationum (quæ in substantia aliud non sunt, quàm dilatatio, & ut ita dicam exemplificatio veritatum, quas S. Ignatius brevissimè comprehendit in libello suo Exercitiorum) sunt autem sequentes 1. Reformatio morum. 2. Abstinentia à peccatis etiam levioribus. 3. Fuga malarum occasionum imò & imperfectionum. 4. Repressio passionum maximè earum, quæ magis dominantur. 5. Mortificatio pravorum affectuum. 6. Victoria resistentiæ ac difficultatis in exercitio virtutum earũ maximè, quæ cujusvis statui sunt propriæ occurrentis. 7. Heroica adversus tentationes pugna. 8. Fortis laborum atque adversitatum tolerantia, earum maximè, quæ operum piorum occasione, sinistra aliorum interpretatione, aut ex aliorum obsistentia incurrunt: quæ ipsæ tum maximè affligunt, dum difficultas aut adversitas suscitatur ab æqualibus, iisve qui nos maximè adjuvare deberent, aut quia à domesticis proveniunt, aut dum actio sancta ab aliis pro imprudentia explicatur. 9. Promptitudo ad legem Dei exequendam, quæ in sancta ipsius lege, in consiliis Evangelicis, in Regulis, ordinationibus,

nibus, & statutis officii nostri, aut superiorum præceptis declaratur. 10. *Studium ulterioris in virtutibus progressus, imitando Christi virtutes maximè charitatem erga Deum, qua stimulante nunquam ad Deum gravi aut veniali etiam peccato deliberato offendendum deflectamus, studeamus quoque ea ipsi placita facere, quæ adjuvante divina gratia perficere valemus, charitatem exercendo in proximum, conando illum amare tanquam nos ipsos: ad quod certè requiritur animus bene dispositus & qui se ipsum noverit abnegare, ea ratione qua optaremus alios voluntatem propriam abnegare amore nostri; imitando humilitatem, patientiam, obedientiam amore Crucis Christi, ad mundi ejusque dictaminum invidiam: odium proprii corporis, similesque alias virtutes Christianas (id est actus rectos & conformes non solùm rectæ rationi, verùm & doctrinæ Christi, exemplo illius & Sanctorum) aliasque virtutes Religiosas: id est conformes Regulis & vocationi proprii instituti quale fundatur in Conciliis Evangelicis & in fine illo, quem prætendit Institutor Ordinis, in quo quis versatur. Similiter modestiam, castitatem, fortitudinem, atque omnes alias virtutes (id est actus earum) Theologicas, similesque conando, ut actiones nostræ ordinariæ sint virtuosæ ac meritoriæ.*

IX.

Fructus hi, adjuvante Sanctâ Dei gratiâ, colligi

ligi possunt ex S.Ignatii Exercitiis, per seriam considerationem veritatum in meditationibus propositarum:in quantum intellectus rationum æternarum pondere pressus,judicat ita esse operandum, uti illæ operandum esse proponunt: Et quia voluntas nostra per affectus& proposita sua concludit ita operari, quemadmodum intellectus persuasit. Et quoniam considerationes unius, & affectus alterius non eliciuntur obiter ac perfunctoriè,verùm attentè & studiosè, idque spatio dierum pro Exercitiis spiritualibus præscriptorum, propterea plurimi qui ad illa studium suum conferunt, solent exire in meliores mutati; quia itē peragitur seriò confessio generalis,tanquam si morte instante foret ultima; dum & à Directore multæ instructiones pro emendandis vitiis, pro acquirendis virtutibus, & ad perseverandum in bono traduntur, quis non videt,quàm credibile sit,fructus præcedente paragrapho designatos esse colligendos?

X.

Pater Ludovicus de Ponte paragrapho undecimo Introductionis ad meditationes suas dicit, opportunas ad secessum exercitiorum spiritualium confugiendi causas esse tunc: *Primò* dum homo sentiens se àDeo invitari ad pœnitentiam peccatorum suorum, optaret peragere confessionem generalem. Certum autem est, quòd meditationes primorum trium dierum multum

ad

ad hoc propoſitum conducant. *Secundò* quando deliberat de eligendo vitæ ſtatu, optatque electionem jam facere, e. g. amplectendæ Religionis. Aut cùm primitias Sacrificii eſt oblaturus, rurſus antequam ineat matrimonium, ut ita bene diſpoſitus ſe ſacroſancti hujus Sacramenti vinculo innodet; ut illo utatur juxta voluntatem Chriſti, à quo inſtitutum eſt ad ſuam gloriam, pro conſervatione non ſolùm familiæ ſed & patriæ ſuæ, magìs autem, ut contribuat ad implendum paradiſum per bonam prolium educationem. *Tertiò.* Quando opus aliquod inſigne ſuſcipitur v.g. prædicationis. *Quarto* quando homo ſe tepidum eſſe deprehendit in ſervitio Divino: id quod inde advertet, ſi non pergat cum primo fervore in operibus devotionis, mortificationis &c. Et dum è contrario in ſe prædominari paſſionem aliquam, concupiſcentiam, aut ſimilem affectum deprehendit. *Quinto* quando per occupationem aliquam diſtractivam quantumcumque de ſe bonam, propter longiorem ejus durationem ſpiritum ac recollectionem in Deum advertit eſſe diſſipatam, & proprii præcisè profectus curam eſſe imminutam: ob quam cauſam Religioſi Societatis Jeſu finito anno Scholaſtico, antequam novum reauſpicentur, ſacrum exercitiorum ſeceſſum ingrediuntur, ut tali medio adjuti diſpiciant defectus in occupationibus ſuis admiſſos, atque ad eorum emendationem contendant.

XI.

Multi aguntur apprehensione, quasi secessus ille per Sacra Exercitia, sit occupatio Melancholica: verùm falluntur, quia confundunt Melancholiam cum compunctione animi. Compunctio movet ad detestandum peccatum, ad pœnitendum, ad confitendum, ad propositum amplectendi media contra recidivam (cujusmodi semper intellectum volo, cum divina gratiâ) & per hæc summam conciliat tranquillitatem animi. Unde Paulus scribens ad Corinthios ait: *Etsi contristavi vos, non me pœnitet: etsi pœniteret, quod Epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia* CONTRISTATI *estis* AD PŒNITENTIAM, *contristati enim estis* SECUNDUM DEUM. *Quæ enim secundum Deum* TRISTITIA *est*, PŒNITENTIAM *stabilem operatur*; SÆCULI *autem tristitia mortem operatur*. 2. ad Cor. 7. Vide quomodo Melancholiam distinguat Apostolus à compunctione; quæ quidem quantùm prosit, ex fructibus illius demonstrat: ideoque quærit Dæmon hanc impedire.

XII.

Sublatâ porrò vanâ illâ apprehensione, quasi in Exercitiis S Ignatii contineantur quædam exotica (quod quidem à vero abhorret, quia in

iis

iis proponuntur veritates Evangelicæ, omnibus ferè Christianis notæ; quæ quia meditando per intellectum non ponderantur, hinc debitum exspectatumque fructum non producunt) elisâ quoque falsitate præmemoratâ, quòd inducant Melancholiam (*pro quali certè non debet accipi solitudo, modestia, silentium, quæ omni cum discretione adhibentur ab iis, qui occupantur Exercitiis secundùm discretissimam methodum S. Ignatii*) crederem, quod à quolibet utcunque eorum capace avidè essent amplectenda. Quibus adhibitis, quot non difficultates in gratia Dei vivendi superarentur! quandoquidem hæ nascuntur aut ex obscuritate intellectûs, qui in hoc majorem, quàm revera sit, difficultatem apprehendit? aut à voluntate proveniunt, quæ peccata deserere, & bonum animæ sectari detrectat. In Exercitiis autem, de quibus sermo est, intellectus instruitur, & voluntas disponitur; ita ut his mediantibus, & adjuvante Deo, facilis & delectabilis reddatur executio.

XIII.

Optandum foret cumprimis, ut hi, qui donis à Deo acceptis præ reliquis excellunt, ad medium tàm præclarum animum adjicerent: cujusmodi in Communitatibus sunt hi, qui ad gradum sunt promoti, in Universitatibus Doctores ingenio ac scientia nobiles; in Monasteriis Religiosorum Superiores & seniores: siquidem præ-

ter

ter bonum, quod præbent exemplum, dum una ex animabus illis veritates illas Divinas penetraret, multarum aliarum salutem possent promovere. S. Franciscus Xaverius didicit illas sub Magisterio S. Ignatii in Universitate Parisiensi, & novi orbis Apostolus evasit.

XIV.

Referam hic objectionem â persona, parum versata, factam alteri in eisdem egregiè exercitatæ. Agebatur de Exercitiis tradendis Monialibus Benedictinis : fuit autem ab illa oppositum ; *quid novi potest dicere S. Ignatius posterior S. Benedicto*? & reposuit altera: quòd tertius aliquis esset major S. Benedicto & S. Ignatio; nempe Christus Jesus; cujus doctrinam S. Ignatius proponit octo vel decem diebus considerandam. De reliquo sanctus hic non habet in Exercitiis illis quidquam suum, nisi Methodum, & certas Regulas atque observationes, quæ mirabiliter conducunt ad hauriendum fructum debitum ex veritatibus memoratis & à Christo enunciatis. Nec dubium est, quin si in vivis degerent & S. Benedictus & S. Bernardus atque tanti alii Magistri, secessum hunc institutum ad meditandum juxta præscriptam à S. Ignatio methodum & à sacra Sede approbatam essent probaturi.

XV.

Si communitas aliqua Religiosa hisce se exercitiis

citiis tradere constituerit, lectionem capitis 25. & 26. ex prima parte operum P. Alphonsi Rodriquez sufte&turam illi confirmo, unde modũ fructuosè illis utendi sat poterit addiscere. Quod autem de communitatibus insinuo, & cuilibet personæ particulari quæ hoc sancto desiderio tenetur, applicari potest. Poterit etiam legi cap. 24. Secundæ partis, Libri qui inscribitur: IL REGULARE ô vero della perfettione Religiosa, composto dal Reverendo Patre Michaele Musco de Chierici Regolari. Viderent ex eodem quòd usus ille octiduani vel decendialis secessûs, in eum finem, ut melior evadat anima, adhibiti, communis sit etiam pluribus personis, quæ non sunt de Societate Jesu. Quod si doctus fueris, lege P. Franciscum Suarez Tom. 4 lib. 9. cap. 5. de Religione; & P. Danielem Bartholi in vita S. Ignatii Italicè conscriptum.

XVI.

Visum est mihi conveniens ponere hic intentionem seu scopum cujusvis exercitii in hoc libro contenti: existimo enim multùm profuturam hanc notitiam illi, qui ad illa animum statuit adjicere. Itaque

EXERCITIUM I.

Animat exercitantem ad vivendum conformiter fini nobilissimo, propter quem Deus il-

ſum creavit: & propterea ipſi proponitur neceſſitas & utilitas ita vivendi.

EXERCITIUM II.

Proponit ſevera ſupplicia à Deo triplici generi perſonarum prævaricatricium à dicto fine per peccatum inflicta, ut exemplo earum deterreatur exercitans, ne peccato gravi à fine illo deflectat.

EXERCITIUM III.

Pro fine ſuo habet, ut intelligatur, quàm grande malum ſit contra hunc finem, ad quem Deus nos condidit, prævaricari. Et proponit conſideranda peccata propria, ex quibus colligitur difformitas, quam illa in anima excitarunt cum indignis mediis illa peccando uſa eſt, & maximè dum Divina Beneficia malè uſurpando ſe contra Deum rebellem exhibuit.

EXERCITIUM IV.

Punctum mortis conſideratæ, exercitanti ob oculos ponit vanitatem creaturarum & vilitatem corporis, quibus abductus ad contraveniendum fini, propter quem Deus ipſum creavit, exponit ſe periculo perdendi paradiſum, ſi infeliciter moreretur iſtâ unicâ vice, qua non niſi ſemel moriendum, ignaro etiam temporis, loci ac modi moriendi.

EXERCITIUM V.

Vult Deus, ut primum anima ſeparata fuerit à corpore (quæ ſi peccavit verè & propriè peccavit, & corpore ſuo ad peccandum abuſa eſt, de omnibus ſuis cogitationibus, verbis, operibus, omiſſionibus, utrùm hæc conformia fuerint fini, propter quem creata fuit, rationem reddat. In hunc finem ſiſtetur Chriſto Judici particulari, ubi excipiet ſententiam aut æternæ damnationis ad infernum ; aut æternæ felicitatis pro adeundo paradiſo (præmiſſo tamen purgatorio, ſi expianda fuerit) prout invenietur operata fuiſſe juxta, aut contra memoratum finem.

EXERCITIUM VI.

Proponit infamiam, aut gloriam hominis ; qui quomodo contra aut juxta finem creationis ſuæ ſæpius memoratum operatus fuerit, revelabitur in valle Joſaphat, dum quoad corpus ſimul & animam, coram omni rationali creatura Angelis, hominibus, Dæmonibus proferetur inappellabilis à Chriſto aut felicitatis aut damnationis æternæ ſententia.

EXERCITIUM VII.

Repræſentat exercitanti pœnam hiſce infligendam qui ab ultimo fine prævaricati, mortui ſunt impœnitentes.

EXERCITIUM VIII.

Præſcribit applicationem quinque ſenſuum ad pœnas inferni, imaginando videre ſe quæ ibi exiſtunt formidabilia ; audire inconditos clamores, odorari intolerabilem fœtorem, guſtare amaritiem, tangere flammas loci hujus : eo fine, ut horror pœnarum infernalium altiùs hoc pacto animo imprimatur.

EXERCITIUM IX.

Proponit meditandam primam partem Parabolæ de filio prodigo, ut in eadem tanquam in ſpeculo exercitans perſpiciat, in quas ſe miſerias conjecerit is , qui primâ vice à fine ſuo per primum peccatum mortale innocentiam perdendo deflexit.

EXERCITIUM X.

Proponit meditandam ſecundam partem dictæ parabolæ: ut exercitans dum videt modum quo Deus tractat pœnitentes, ad pœnitentiam de peccatis, maximè per ſinceram confeſſionem generalem obeundam animetur.

MONITUM.

Hic deſinunt meditationes , ſive Exercitia deſumpta ex prima, ut S. Ignatius appellat, ſeptimana ;

mana; in qua exigit, ut plangantur commissa peccata. In quo ipse naturam sequitur, uti enim hæc ad formam introducendam disponit præmissa expulsione contrarii, ita & S. Pater optans in eum, qui Exercitia obit, inducere Reginam Virtutum Charitatem, voluit expelli contrarium illius, quod est peccatum. Atque ideò solet in hac septimana peragi Confessio generalis totius vitæ, aut eorum quæ commissæ sunt post ultimam confessionem generalem, qua peracta experietur Exercitans in sequentibus Exercitiis majorem facilitatem, majoremque devotionem, quoniam anima à peccatis expurgata meliùs erit disposita ad recipiendas consolationes, quas secum affert gratia Dei.

EXERCITIUM XI.

Qui vixit in peccato, permisit peccato in se dominatum, in quantum subjiciendo se voluntati illius, fecit quòd illi placuit: unde Paulus hortatus est fideles ad excutiendum jugum tam mali Regis; *non regnet peccatum in corpore vestro.* Qui peccato renuntiat Regem alterum eligit, & hic est Christus, cujus sanctæ voluntati in quotidiano vivendo modo se accommodare statuit. Proinde is, qui obit Exercitia, ut nôrit, qualis ille Rex sit, invitatur ad regnum illius perlustrandum: videbitque quàm bene Jesus subditos suos ad ultimum finem, pro honore Dei, quærens perducere; mereatur, ut quivis se voluntati

illius ſubjiciat, quod præſtatur per obſervantiam mandatorum ipſius.

EXERCITIUM XII.

Proponit meditandum Myſterium Incarnationis, ut in præcellente perſona aliqua qualis Chriſtus fuit, verus Deus & homo, qui fuit Magiſter & exemplar perfectiſſimum omnium nobis agendorum, appareat, quid pro obtinendo fine creationis ſuæ à quovis ſit faciendum.

EXERCITIUM XIII.

Exhibet Nativitatem Chriſti, Adorationem Regum, & perſecutionem Herodis: in quo Myſterio tres circumſtantias Chriſtus Rex noſter docuit, quomodo ſubditi ſui ſe gerere, & quid à Deo auxilii ſperare debeant, ne animos perdant in imitatione virtutum, quibus ille ad operandum ſecundum finem Creationis nobis præluxit.

EXERCITIUM XIV.

Hic proponuntur excutiendæ virtutes præcipuæ (ſive actus honeſti & aptiſſimi ad conſequendum finem propter quem creati ſumus) à Chriſto Exercitæ in vita privata, quam extraxit in Domo Matris & S. Joſephi: ſuntque hæ ipſæ, quæ communes ſunt bonis omnibus ipſius ſubditis, id eſt veris Chriſtianis.

MONI-

MONITUM.

Meditationes hæ desumptæ sunt ex prima parte secundæ septimanæ, quæ finitur per meditationem de duobus vexillis. Intentum autem S. Ignatii est, commonstrare viam magis sublimem, estque illa, qua gradiuntur illi, qui non contenti pro se ipsis operari juxta finem creationis suæ, student adjuvare etiam alios, ut eundem consequantur. Quare Christi se militiæ associant (quod unicè hoc pulchro Ignatii opusculo Intenditur) postquam relictâ domo, vitâque privatâ magnus hic Dux, atque Archistrategus in publicum & in campum prodivit adversum ternos memoratos hostes, Dæmonem, mundum, carnem, id quod præstitit pro salute Animarum prædicando & laborando, militesque, quales fuerunt S. Apostoli, conscribendo. In hoc vitæ genere potentes invenit Adversarios, à quorum furore denique ad Crucem fuit raptatus: qui cogitat Christum sequi ex proposito vacandi saluti animarum (quod quidem est Consilii, non præcepti universalis) debet sibi persuadere militem se esse istiusmodi, cujus professio sit dimicare, impugnare ac malè tractare hostes Regis sui: atque in nostro casu tales sunt Dæmon, mundus, Caro; adversùm quos prædicando & operando per bona exempla sanctosque labores impenditur conatus abstrahendis à latere eorum asseclis, ut discant ho-

mines vitam agere à Regulis horum diversam, parati etiam vitam hoc fine profundere. Quare mirari non debet Christi miles, si, dum ipse incumbit in promovendam Dei gloriam & salutem animarum, experturus sit contrarietates & persecutiones à calliditate Dæmonis, à mundi nequitiâ, à vili carnis temeritate suscitandas. Hoc punctum cum primis firmiter stabiliendum & altè animo est imprimendum, ne admiremur, minùs autem doleamus, si subinde jam hujus, jam alterius generis adversitates in nos incurrerint. Numerant & milites suos terni hi adversarii; quorum studium est Militibus Christi malum adferre.

EXERCITIUM XV.

Proponuntur duo vexilla à Ducibus duobus erecta, à Lucifero quidem ad attrahendos sequaces in peccatorum propagatione, ad impugnandum justos, ad nocendum & ad injurias inferendum illis, qui vitam fini hominis, ad quem Deus illum condidit, attemperatam vivunt; finemque Christi in conscribendis sociis ad destruendum Luciferum promovent.

EXERCITIUM XVI.

Proponitur consideranda Æternitas Inferni & Paradysi; ut exercitans intelligat quàm parum illud sit, quo Dæmon Homines ad pugnandum

suis

ſuis ſub vexillis allicit; quærens eos ſecum ad infernum pertrahere; quamque exiguum onus ſuis Chriſtus bellatoribus imponat, ut ipſos ſecum poſt mortem ad Paradiſum perducat.

EXERCITIUM XVII.

Proponit meditandos labores Chriſti in prædicatione ab ipſo exantlatos; ut qui ſtatuit militiam ipſius ſequi, videat, qui ſe geſſerit Rex ſuus.

EXERCITIUM XVIII.

Proponit meditandam converſionem Magdalenæ, tanquam quæ eſt fructus prædicationis Chriſti. Prodeſt Exercitium illud ad animandos animarum Curatores, ut opere hoc libenter occupentur (etiam plurimo cum labore & fatigatione) dum tam præclaræ hic poſſint reportari victoriæ, ſimiles illi à Chriſto relatæ, qui nobile illud ſpolium Magdalenam à Diabolo mundo & carne abſtraxit. Prodeſt etiam his, qui non intendunt ſaluti animarum, ad perdiſcendum à ſanctá hac pœnitente modum ad Deum ſe convertendi & generoſa opera juxta finem creationis ſuæ exercendi.

MONITUM.

Exercitia, quæ ſequuntur, deſumpta ſunt ex tertia, ut S. Ignatius vocat, ſeptimanâ, agi-

turque in iis de passione Christi, eo fine ut is qui sub vexillo Christi ut pugil ipsius dimicare statuit, confirmetur ad non desistendum in pugna contra tres adversarios illos spirituales, Dæmonem, Mundum, Carnem, quæcunque etiam interveniant sensui repugnantia. Siquidem supremus Rex Jesus tali se pacto conformavit, pugnando semper (id est sufferendo omnem acerbitatem, quæcunque ipsi occurrit, in adimplendo commisso sibi à Patre cœlesti humanæ redemptionis negotio) donec in Cruce expiravit. Hi qui saluti animarum non vacant, fructum capient ex meditatione Dominicæ Passionis, excitando se ad observanda ipsius mandata & ad vitam fini creationis suæ conformem instituendam, ne ingrati, erga illum evadant, qui tanta amore ipsorum pertulit.

EXERCITIUM XIX.

Hìc proponitur in genere Passio Christi amore humani generis suscepta.

EXERCITIUM XX.

Proponitur meditanda proditio Judæ, à quâ patiendi Exordium Jesus ducere voluit.

EXERCITIUM XXI.

Cùm propter temporis ad decem dies in hoc libro

libro limitati angustias, Exercitans non possit occupari in omnibus mysteriis Passionis Christi, proponuntur hic meditandæ potissimum tres species Passionis Dominicæ.

EXERCITIUM XXII.

Proponuntur meditandi tres alii cruciatus à Jesu in nocte Passionis tolerati.

EXERCITIUM XXIII.

Proponitur meditanda conversio latronis boni, & damnatio impii; ad excitandum affectum spei & timoris; ut illa Meditans impellatur ad vivendum juxta finem creationis suæ.

MONITUM.

Sequentes instructiones desumptæ sunt ex quarta septimana Exercitiorum S. Ignatii, in quibus ipse desiderat considerari præmium humanitati Christi repensum, & quale in Cælo expectat eum, qui vivit juxta finem creationis suæ.

EXERCITIUM XXIV.

Proponit meditandam resurrectionem Dominicam, ponderandumque, quàm liberaliter Humanitati Christi Pater æternus illa, quorum jacturam fecit, utì temporalis vitæ, honoris, & amoris

amoris amicorum sibi maximè dilectorum remuneretur.

EXERCITIUM XXV.

Fit hic applicatio sensuum ad Christum resurgentem, qui discipulis suis exhibet vulnera manuum suarum, maximè lateris sacratissimi.

EXERCITIUM XXVI.

Exhibet oculis gloriam Paradisi, ad quam Deus nos ordinavit, & quâ æternum animæ Beatorum unà cum coporibus suis sunt satiandæ.

EXERCITIUM XXVII.

Proponit meditationem suavissimam de amore Dei, ut peractis Exercitiis spiritualibus anima in iis se exercitans perseveret fortis ad constanter operandum, pro ut sibi proposuit ex motivo suavissimo placendi ei, qui tantopere eam adamavit.

XVII.

Omnes hasce instructiones finio, mi Lector, piissimis verbis sancti Anselmi Theologi eximii, quæ locum habeant amicæ invitationis ad sacram solitudinem; sunt autem hæc: *Eia nunc homuncio; fuge paululum occupationes tuas: Absconde te modicùm à tumultuosis cogitationibus tuis, abjice nunc onerosas & postpone laboriosas*

riosas dissensiones tuas. Vaca aliquantulum Deo, & requiesce aliquantulum in eo. Intra cubiculum mentis tuæ. Dic nunc, totum cor meum, dic nunc Deo, quæro vultum tuum, vultum tuum requiro: Eja nunc Domine Deus, doce Domine, cor meum, ubi & quomodo te quærat; ubi & quomodo te inveniat.

Servient verba hæc, cum devotione à Directore primò vesperi dicenda iis, qui, curæ illius commissi ad ordienda die altero Exercitia convenerint (aut etiam illis qui sine Directore illa obeunt, quique ante Crucifixum prostrati, ab ipso Servatore ea sibi dici imaginentur) servient, inquam, ad breviter rememorandum finem, propter quem Exercitia obeuntur; qui est: seriò tractare cum Deo negotium animæ suæ & æternitatis; utendo mediis, quæ Exercitia obituro præscribuntur. Quorum unum (idque ex præcipuis) est recollectio spiritûs (qui ab omni aliâ occupatione ac negotiis hoc tempore debet esse liber) utì & solitudo corporis, dum nullam conversationem, alloquium aut animi distractionem debet admittere: multò minùs intueri curiosè rem ullam, quæ in negotio tanti momenti seriam ejusdemque applicationem posset impedire, quæ ipsa quàm jucunda paulatim accidat illi, qui ea animo parato amplectitur, nemo facilè crediderit.

Exer-

XVIII.

Ne verò Dæmon eum, qui animo aliàs lubente exercitia esset ingressurus, absterreat depingendo hanc occupationem tanquam fastidiosam, quisquis talis est, audiat paucis, dicatque mihi, unde nòverit, quod occupatio hæc fastidiosa sit, siquidem fortè nunquam adhuc eam tractavit? aggrediatur illam semel, feratque tunc judicium. Non animadvertit hoc esse hostis sui infernalis stratagema, qui veritus, ne manibus suis præda fortè elabatur, immittit apprehensiones tam sinistras adversus medium tam probatum, efficax & suave ad hominem adducendum ad Deum, opitulante Dei gratiâ & assistente fideliter Directore, qui attentus est ut provideat, ne Exercitiis vacans tædio infestetur, quique exercitantis viribus se accommodat? Et quia in Exercitiis conversamur cum Deo, audiamus verba spiritûs sancti ex ore æternæ veritatis profecta; Non habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus ejus, sed lætitiam & gaudium. Sapient. 8. Quod si non credis, experientiam cape: Vacate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Psal. 41.

XIX.

XIX.

Unicè precor, ne de te ipſo deſperes ; maximè, ne dixeris ; perſona ſum mundana, neque opponas, quod longo tempore à Deo receſſeris, quod peccator ſis, aut peccatrix, quod non ſis aptus futurus, aut alia hujuſmodi : nam reſpondeo, quantùm ad ignorantiam : quod in omni patientiâ charitate & diſcretione ſis inſtruendus à Directore apprimè gnaro, omnes artes in principio eſſe difficiles ; quod attinet ad ſtatum ſæcularem, & defectum conſuetudinis cum Deo verſandi, ſcito, quòd paulatim ſis aſſueturus ; quòd verò peccator es aut peccatrix, vel propter hoc ipſum, ut peccati jugo te ſubducas, utque ad vitam à vitiis immunem & in gratia Dei ſtabilem traducendam adjuveris, confer te in ſolitudinem Ignatianam ad octo vel decem dies, ut quæ cum gratiâ Dei ad hunc finem eſt efficaciſſima.

EXERCITIUM XX.

Intentio denique ſancti Ignatii, qui fons primus eſt libri hujus, multùm adjuvabitur : ſi Perſonæ Eccleſiaſticæ & Regulares uſum Exercitiorum exemplo ſuo promovere voluerint, Vacando Exercitiis, & conſilio alios capaces ad

ea obeunda animando: constat ex historiâ Societatis Jesu, quod nonnulli Ordines Religiosi Exercitiis S. Ignatii haud assueti, illa autem obeundi avidi, recurrerint ad Patres Religiosos Ordinis hujus, postulantes, ut eorum aliquis in Exercitiorum traditione versatus demandaretur, & ad profectum eorum concurreret, eaque tradendo usum eorum promoveret. Effectus autem ad stuporem optimi inde consecuti sunt.









BREVIS INFORMATIO

Ostendens, quid sint exercitia Spiritualia S. IGNATII LOJOLÆ.

Quis modus ea faciliter & fructuosè exercendi: quæ informatio unâ alterâve septimanâ antè potest dari his, qui nunquam Exercitati, ea primâ Vice obire desiderant.

§. I.

Quid non sint Exercitia.



DAturus informationem, quâ prætendo explicare, quid sint exercitia Spiritualia S. Ignatii Lojolæ, primò dicere constitui, quid non sint, persuasus, quod declaratio illius, quid non sint, profutura sit ad explicandum hoc ipsum, quid sint. *Itaque exercitia Spiritualia S. Ignatii non sunt tantùm congeries aliqua considerationum in ordinem digestarum, unumq; in librum collectarum, ut is, qui iis utitur, sibi utiliter vacet, & cum Deo conversetur : si enim istud tantummodo forent, nec quid amplius, non essent simpliciter dicenda Exercitia S. Ignatii, neque, seu res aliqua nova*

 mundo

mundo innotescerent: nec enim primus ipse fuit nominis hujusmodi inventor, nec primus Magister modi meditandi.

§. II.

Quid sint Exercitia memorata.

EXplicavi modò, quid non sint, verbis acceptis è calamo melioris sæculo præcedenti scriptoris: est ille P. Daniel Bartholi Soc. JESU; nunc, quid sint, subjungam: dico itaque quòd sint ARS *medendi animæ, adhibendo ex Principiis fidei desumptam medicinam, quæ regulari methodo & ad praxin deducta per mediorum ad hunc finem præscriptorum applicationem, quantum est in ipsa, successum semper habet infallibilem; ad quod si debita fiat reflexio, apparebit inter hunc artem & simplicem sanctéq; meditandi methodum eam intercedere differentiam, qualis est inter cognitionem virtutis quorundam simplicium, aut mineralium, & inter artem ex his formandi, præbendiq; medicinam, quæ præter hoc cognita ex naturalibus Principiis suis constitutione corporũ perspectisq; proprietatibus mixtorum, reducendo ad mediocritatem excessui qualitatum in nobis malè temperatarum, Corpus unum Canonum atque aphorismorum contexit, regulasque practicas conficit, sanitati infirmis corporibus restituendæ idoneas. Extiterat itaque ante Ignatium cognitio ultimi finis, ad quem Deus hominem condidit, cognitio inferni & malitiæ peccati: fuerunt ante ejusdem tempora usus Examinis conscientiæ confessio generalis, mysteria Vitæ Christi: verùm ARS, quæ ex cognitione infirmitatis ab intemperie affectuum nata ex notitia virtutis medendi, quam hæc vel illa consideratio habet & ex notitia modi eam applicandi, formavit integrum ac Regularem Methodum pro anima purganda, confortanda, & omni mundi amore expulso perducenda ad ultimum finem & ad unionem*

cum

cum Deo, hæc procul dubio non extiterat, ut proinde pro definitione Exercitiorum S. Ignatii mihi videantur posse dari verba, quæ habet in prima annotatione ante Exercitia, quibus non aliter quàm si fuisset interrogatus, quid intelligi debeat per Exercitia, Respondet: *Præparare & disponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & iis sublatis ad quærendam & inveniendam voluntatem Dei circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ, Exercitia Spiritualia vocantur.* Et Sacra Romana Sedes per os Pontificis Pauli III. alludens ad propriam Ignatii Methodum, vocavit, eadem *Documenta sive exercitia Spiritualia ex Sacris Scripturis, & vitæ Spiritualis experimentis elicita & in ordinem ad permovendos fidelium animos aptissimum redacta.*

§. III.

Quot dies impendantur Exercitiis.

PORrò quemadmodùm medicus in suis curationibus certum dierum spatium, & pro necessitate infirmi ampliùs minúsve eligere consuevit, intra quod medicamenta variando, jam præparantibus & disponētibus, jam alterantibus, jam resolventibus utendo paulatim illud introducit, quod in infirmo suo restituendo desiderat; ità & S. Ignatius vidit quod ars animabus cum Dei gratia medendi per Exercitia Spiritualia, temporis moram ordinémque requireret juxta ideam suam à B. Virgine, ut piè creditur, ipsi præmonstratam; ad hunc scopum deputavit quatuor Septimanas, & subinde etiam dies quadraginta, fortè ad imitationem temporis, quod Christus extraxit in deserto: intra quas, dum memoria certas quasdā, & in dubium haud revocabiles Sanctæ fidei veritates, per se quidem notas atque perspectas, verum aut oblivioni traditas, aut non satis expensas intel-

lectui meditandas proponit, voluntatem movet, ut efficaciter statuat exequi ea, quæ vel ad morum emendationem, vel ad majorem perfectionem comparandam sunt necessaria, & hac ratione sensim deducit animas ad eum statum, ut cogantur, moraliter loquendo, perversos mores permutare in bonos, & bonos in meliores, atque ex natura sua prosunt omnibus quemadmodum, & ex institutione sua sunt pro omnibus, quoties consequentiæ practicæ necessitati exercitia obeuntis conformes è Veritatibus ejusmodi eruuntur: quibus deducendis si Exercitans de se non sufficiat, à Directore est adjuvandus, quem propterea adhiberi tanti facit S. Ingatius, iique omnes, qui in Spiritualium Exercitiorum usu ipsius premunt vestigia. Itaque cognitiones illæ, quas Exercitia inspirant, sunt practicæ, neque ullo modo sistunt in nuda contemplatione, imò, quod amplius, descendunt ad particularia in individuo; quæ peragenda sunt: ut dum ex gr. iram compescendam docent, non acquiescunt mortificationi illius in communi sumptæ, verùm ad particularia jubent descendere: suadent ex. gr. reprimere motus internos, frænare linguam, fugere vindictam, & in hac quidem occasione, & circa hujusmodi Personam & in tali loco &c. Idem de cujuslibet vitii emendatione uti & de cujusvis virtutis acquisitione dicendum, ad has particulares minutias animum reflectat Instructor necesse est.

§. IV.

Quis scopus primæ Septimanæ sit.

PRO prima hebdomade idem Sanctus ordinat, ut intendatur animæ expurgandæ à vitiosis affectibus, qui vires bene agendi adimunt, & hac ratione simul

vitam, id est, gratiam Dei tollunt: id quod præstatur meditatione de fine creationis, de malitia peccati, de pœnis inferni: repetendo easdem considerationes, miscendoq; alias & alias, ut ita loquar, ingredientias, diversas quoad materiam & modum (ex. gr. memoriam mortis & judicii) duæ tamen omnia virtute purgandi unum sunt, conveniuntque in fine, ut anima ab amore illo, quo nimium carni & sensualibus bonis seu vico adhæret, abstrahatur & ita sublatâ affectuum malignitate, correctisque excessibus, incipit locum habere Sanitas animæ, quæ uti in animalibus consistit in temperamento primarum qualitatum, quo mediante organa operationes suas vitales exercent, ita & sanitas animæ consistit in justa affectuum commensuratione, & in stabili voluntate adimplendi mandata Divina, in quorum adimpletione consistunt operationes vitæ. *Ita P. Bartoli in Vita S. Ignatii libro primo; qui porrò sequentia dicit.*

§. V.

Quis scopus secundæ Septimanæ.

SEcunda Septimana de contemplatione Regni Christi continet solennissimam invitationem, quâ tanquam Rex subditos suos, omnes homines invitat ad se sequendum, propositis conditionibus tam faventibus, ut paribus cum Domino suo privilegiis subditi fruantur, ut solùm opus sit conformare se Domino suo, nec ipsis quidquam illius causâ faciendum aut tolerandum sit, in quo non ipse primus exemplo præiverit.

Quæ meditatio, quàm incredibili & suavi quodammodo violentiâ ad promptissima Christum sequendi ac imitandi proposita extorquenda pnlleat experientiâ multâ didicimus: dein à generali hoc proposito Christum Regem imitandi descendit ad particularia in ipso tan-

quam exemplari noſtro inſpicienda ac imitanda:in hunc finem ponit meditationes de Incarnatione, Nativitate aliisque præcipuis Vitæ Chriſti myſteriis. Verùm quia ut plurimùm contingit,ut poſtquam quis ſtatuit Chriſtũ ſequi, totis viribus ei ſe opponat infernus, coneturque eum illicitis ſuis ac promiſſis indè abducere, neceſſe fuit animum novi diſcipuli confortare & erigere,ne in virtute concepta ab infernalium adverſariorum machinis impugnata deficiat: præſtat hoc ipſum meditatio illa de tot religioſis ordinibus, quibus ſubjecta præſtantiſſima transſcripſit, tam bene merita, quam inſignivit titulo de duobus vexillis, in qua repræſentantur in patente campo Chriſtus ex una parte,ex altera parte Lucifer conſcribentes ſub vexillis ſuis milites,certatimque exponentes,qualia recepturi ſint ſtipendia, qui ſub ipſis militaturi ſunt , dúmque ex una parte liquidò oſtenditur, quod Luciferi quantiſcúnque exaggeratum verbis ſtipendium , licet integrè ſolvendum foret,non ſit niſi bonum breve & caducum,malum verò immenſum atque æternum; illud verò quod ex adverſa parte Chriſtus proponit, ſit dolor brevis & gaudium æternum; inde animus mirum in modum corroboratur ad Chriſtum ſequendum, ſpretis Luciferi illiciis âc pollicitationibus. Hæ omnes diſpoſitiones erant præmittendæ,ut ſolidum ultima meditatio haberet ſucceſſum, hæc ſiquidem inter reliquas primaria , in qua reſolvitur, de ſtatu vitæ inpoſterum inſtituendæ , de qua dicetur ſuo loco.

§. VI.

Quis ſcopus tertiæ Septimanæ.

TErtia Septimana exercitantem detinet in meditatione Chriſti Paſſionis, ut inde diſcat modum verè amandi, & per bona opera perſeverandi in amore Dei,

Dei, cui servire proposuit Septimana præcedente: & tali quidem modo occupatur in ponderandis Christi cruciatibus, ut constet & perseveret in afflictionibus, quarum infinitam copiam videt in benedicta Servatoris sui Passine; passus siquidem est internos & externos cruciatus in bonis, in honore, in vita, ab amicis, ab inimicis, à plebeiis & nobilibus, à Sacerdotibus & Sæcularibus &c. Unde ei qui peragit exercitia, satis non est condolere patienti Christo, sed præterea proponit illum in Passi ne imitari, ut constans perseverat, malitque adjuvante Dei gratiâ quidvis perpeti, quàm illius inimicis mundo, carni, ac Dæmoni se submittere.

§. VII.

Quis scopus quartæ Septimanæ.

DEnique transitur ad Septimanam quartam, per cujus decursum proponũtur gloriosa Servatoris Mysteria ac merces illi à Patre æterno ob dolores ac labores amore ipsius exantlatos reddita, quæ dant affectûs suavioris materiam, finitur autem contemplatione Divinæ Beneficentiæ, Essentiæ ipsius perfectissimæ, infinitè dignè amari, unde amor omnes vires suas exerit ad Deum complectendum, seque intimè cum illo uniendum. Proinde in modum sequentem concludit P. Daniel Bartoli. *Exercitia Spiritualia S. Ignatii fideliter illa præstant, quæ de se à principio ad finem promittunt*: Sunt autem hæc: præparare & disponere animam ad tollendas omnes affectiones malè ordinatis, & ad quærendam hisce sublatis, inveniendamque Dei voluntatem circa vitæ suæ institutionem & salutem animæ, atque ista tam efficaciter perficiunt observando & artificiali methodo applicando media conspirantia ad consecutionem finis, ut prodigium videri possit, eum, qui exercitia modo à S. Ignatio præscripta

peregit non obtinere ſalutis effectum, quem quantum eſt in ipſis, dici poteſt, quod infallibiliter producant.

§. VIII.

Exercitia obiturus habere debet Directorem juxta inſtitutionem S. Ignatii, & quodnam illius ſit officium.

QUemadmodum in curandis corporibus expertus medicus accerſitur, qui medicamenta, quoad ſubſtantiam, qualitatem, tempus, locum ac methodum præſcribat, ita & S Ignatius ordinavit, ut in Exercitiorum uſu adhibeatur Director aliquis, à quo tanquã ſpirituali medico obiturus Exercitia dependeat : eámque ob cauſam, Secularibus præcipuè [imò & Religioſis nondum ſatis expertis] præſcripſit, ne hoc curriculum abſque tali Directore ingrediantur. Qualitates, quibus ille inſtructus eſſe debet ſunt partim experientia rerum ſpiritualium, partim notitia exercitiorum S. Ignatii, ac methodi eadem tradendi : circa quæ ſunt plurima poſita in dignoſcendis circumſtantiis Perſonæ, loci ac temporis ; quâ enim ratione non quælibet medicina valet pro omnibus, neque eadem eidem ſemper infirmo expedit : ita & deſcriptæ in libello exercitiorum à S. Ignatio conſiderationes non eâdem ab omnibus ratione uſurpandæ : unde ſi ars medica potiſſimùm à medico exigit prudentiam, amplius aliquid requiritur ab eo, qui tradit Exercitia ſpiritualia ; prudens ſit, neceſſe eſt, & diſcretus, diſcretione pollens Spirituum ac perſonarum, quæ exercitia peragunt, ne per exceſſum peccet, aut defectum ; ſciatq; uti circumſtantiis, quales ſunt ſine lege, ſine numero, in commodum illius, qui ſe ipſius directioni credidit. Hinc ſubinde expedit indulgere Exercitanti recreationem aliquam, diſtrahere ejuſdem Spiritum, animum relaxare,

atque

atque alia ſimilia, ſi *ex.gr.* fuerit Perſona indolis melancholicæ, aut quæ nimium intendiſſet animum: ut dum traduntur Exercitia *ex.gr.* in Monaſterio aliquo adoleſcentibus, annum non egreſſis decimum ſextum, decimũ ſeptimum aut vigeſimum; judico expedire, ut aërem liberiorem in horto capere, aliáve ſimili diſtractione frui ipſis indulgeatur, nedum primâ vice ſe Exercitiis applicant, nimium intendant animum, & ſanitate fractâ, ad eadem porrò obeunda inhabiles reddantur. Quod ad inſinuandam prudentiæ neceſſitatem notare volui, quâ quidem cum circumſpectione etiam procedunt Magiſtri, hæc arma tractandi periti: qui tales eſſe debent, ut nec per exceſſum peccent, nec per defectum, unde palàm fit, quantò debeant valere judicio, cùm dari non poſſint leges, quæ ad ſingula particularia ſe extendant: debet præſcribere & explicare meditationes, aſſignare libros legendos, permittere aut negare opera pœnitentiæ, audire clientis neceſſitates, eique in omnibus aſſiſtere, prout medici faciunt, ità ut tempore Exercitiorum ſemper ſit ad nutum illius, quem dirigit; unde exiſtimo, quod Director perfectus deberet ſeipſum ſacrificare, atque omnem aliam occupationem ſeponere, ut totus poſſit eſſe ad obſequium illius, qui curæ ipſius eſt commendatus, intentus ſemper in modum ipſum adjuvandi; proponendo ipſi per modum lactis, aut cibi alterius gratiosè digeſti meditationis materias, ut & ex induſtria ipſius fructum poſſit capere Exercitandus, de regulis autem offici ipſius methodoque, quam ſervare debet, dicam alio loco; in fine operis.

§. IX.

Qualis commoditas loci requiratur ad bene obeunda Exercitia.

PRO corporis purgatione, quæ à medico præſcribitur, ſeligitur opportuna loci commoditas. Et de ſtatione commoda etiam ſollicitus fuit S. Ignatius: proindeq; voluit eſſe ſolitariam, & ſeparatam; ita ut omnis cum aliis, ſive amicis, ſive cognatis, ſive quibuſvis converſatio præſcinderetur; non alia de cauſa, quàm ut omnis intellectûs, & voluntatis à debitis ſuis occupationibus diſtractio impediretur. Et ſeculares quidem recipiunt ſe in conclave aliquod domi magis ſemotum à turbis aut ad prædium aliquod aut ad domum aliquam Religioſorum, modò verſentur in ſolitudine, quæ mirum in modum conducit ad negotia ſeria tractanda (propter quæ Principibus etiam ſunt conclavia ſua ſecreta) magis autem ſervit illa ad pietatem, quæ ſemper præcipuè tempore Exercitiorum negotium eſt maximè ſerium.

§. X.

Diſtributio horarum pro tempore Exercitiorum.

HOras etiam diſtribuunt medici, qui ex arte ſanant corpora. Idem facit S. Ignatius, tot diſpeſcendo horas pro meditando (duas quidem ordinariè pro matutino tempore, & duas poſt meridiem, non continuas, verùm debitis ſuis interſtitiis diſcretas (mediam inſuper ſub medium noctis pro his, qui illius capaces ſunt, quæ tamen apud paucos eſt in uſu; tot medias horas lectioni, tot quadrantes examinibus: ſuum pariter tempus auditioni miſſæ, tantum temporis orationi vocali; proprium rurſum tempus conſiderationi vitæ ſuæ &c. Quarum omnium horarum diſtributio poſtea aſſignabitur, ſuum cuique occupationi tempus diſtribuendo. Incredibile eſt, quantum id valeat ad levandum faſtidium, quod præci-

præcipuus eſt ſcopulus iſtis potiſſimum, qui Exercitiis inſueti, & ætate ſunt juvenili, & hinc indole vivace.

§. XI.

Quænam occupationes Spirituales adhibeantur tempore Exercitiorum.

PRiuſquam ulteriùs progrediar, accipe hic Lector catalogum occupationum ſpiritualium pro tempore Exercitiorum. Interim omnia ſubjiciendo judicio Directoris. I. Meditationes. II. Orationes vocales. III. Examen conſcientiæ. IV. Lectio Spiritualis. V. Ratio conſcientiæ danda Directori. VI. Confeſſio generalis, ſi neceſſaria fuerit. VII. Communio illis diebus, quibus viſum fuerit Directori. VIII. Annotatio piorum ſenſuum, ſive ut alii dicunt, luminum & propoſitorum. IX. Uſus pœnitentiarum aliquarum corporalium juxta judicium Directoris. X. Intereſſe ſacrificio Miſſæ. XI. Frequentare orationes jaculatorias. XII. Viſitare, ubi occaſio permittit, Venerabile Sacramentum. XIII. Habere collationem ſpiritualem, dum multi ſimul obeunt Exercitia, aſſiſtente Directore. XIV. Auſcultare diſcurſus de Deo. XV. Horam impendere conſiderationi vitæ ſuæ ac morum: & quoniam, ut ſæpe dixi, in omnibus requiritur approbatio Directoris, addo, quòd utile foret, ut priùs quàm Exercitia ſpiritualia quis ordiatur, conſcientiam ſuam Directori aperiret, ſi aliunde ipſi foret incognita; ut tali adjutus notitiâ meliùs hic ipſum poſſit adjuvare: quòd ſi autem non uteretur Directore, Deo ſe antecedenter peculialiter commendet.

§. XII.

Utilitas annotationum, atque additionum, quas S. Ignatius præscripsit his, qui bono animo Exercitia obire volunt.

DIci non potest, quot Regulas Medici præscribant infirmis suis pro purgatione: pariformiter non oportet mirari, quòd & varias pro hoc tempore S. Ignatius præscripserit. Omnes autem ad finem intentum vel utiles sunt, vel necessariæ. Quædam sunt generales, & has appellat annotationes, ac pervagantur totum tempus Exercitiorum: aliæ sunt propriæ cuivis Septimanæ; & has vocat additiones. Suntque tam utiles, ut hic apponendum putem id, quod apud P. Daniëlem Bartholi invenitur dictum à P. Didaco Mironi, viro admodum spirituali, & multæ experientiæ ac intelligentiæ Exercitiorum S. Ignatii. Verba illius sunt. *Manifestum est, quod Exercitia quæ hodiedum traduntur, & obeuntur à multis, non operentur excellentissimos illos effectus, fructusq;, qui primis annis erant infallibiles. Neq; alia rei hujus causa deprehenditur, nec aliam ego novi, quàm quia non insistitur perfectè methodo ac formæ, quam S. Ignatius præscripsit. Siquidem bonum ex integra causa, & si quædam annotationes, aut additiones negligantur, fructus, qui ab integro earū usu dependebat, perditur. Si item interveniat variatio aliqua aut novitas in traditione Exercitiorum S. Ignatii, non erunt amplius Exercitia S. Patris, sed diversum ab alio conceptum opus spirituale. Additiones sunt tam propriæ hujus aut alterius meditationis, hujus aut alterius Septimanæ, ut illis alio modo adhibitis fructus non sequatur; maximè si impertinentes meditationes misceantur, applicenturq; omni generi additionum. Rectus hic perfectusq; usus talium*

Regu-

Regularium est id, quod Exercitia S.Patris nostri distinguit ab Exercitiis alio modo & formâ conscriptis. Hucusque P.Mironi : ut propterea meritò subjungat P. Daniel Bartoli sequentia.

§. XIII.

Observantia rerum minutarum, quia talem exigit ab exercitante S. Ignatius.

U*Nde licet judicare, anis, dicendus sit illico facere Exercitia S.Ignatii, qui sibi ipsi vult esse Director & Magister, cerebrum proprium sibi statuendo pro regula exercitiorum (utendo* ex.gr. *libris aliquibus, qui etiam quatuor Septimanas meditationibus, aut qui alium magis obvium modum adhibuerunt* ; & an hinc sperari possit mutatio illa vitæ sceleratæ in bonam, aut bonæ in optimam, qui effectus, teste experientiâ *ex exercitiis Ignatianâ methodo tractatis indubitatò ausim dicere, proveniunt.* Non est ergo, quòd mirentur quidam, quòd Religiosi Societatis Jesu tantopere urgeant, ut qui obeunt Exercitia, hâc & noc aliâ methodo utantur, ut continuent, & non interrumpant: ut servent modestiam, silentium &c. observent diligenter omnia, nihil intermittatur: quorum ratio est, quia serviunt omnia & singula ad obtinendum finem renovandæ, ac perficiendæ animæ. Profectò in corporum purgationibus ex arte præscriptis, quævis ordinatio finem suum intendit. Quare præcipitur somnus, post sumptum seropum, non verò post medicinam: ut ab hoc vel illo cibo abstineatur; ut apertus aër evitetur, ut hoc & non alio modo se gerat infirmus. Nec quisquam hoc miratur aut improbat. Pariter nemo mirari, minus autem iniquo animo ferre debet minutias illas, quæ in Exercitiis S.Ignatii præscribuntur, Et qui speculativè hanc veritatem non penetraret, quan-

quanquam de se captu facilem, credat viris doctis & intelligentibus, debet sancto viro credere, qui easdem præscripsit; etsi quidam Directores eas non curent, non est, quòd quis moveatur: diversa est illorum idea, quanquam bona & sancta, quâ suos occupant: nec hoc negetur: verùm non est idea S. Ignatii, sed alia.

§. XIV.

Annotationes generales traditæ à S. Ignatio ad obeunda Exercitia.

ANnotationes generales, quas S. Ignatius his, qui faciunt Exercitia, reliquit, sunt sequentes. Quod nomine horum Exercitiorum Spiritualium intelligatur modus quidam examinandi conscientiam, item meditandi, contemplandi, orandi mentaliter & vocaliter, ac postremò alias quascunque Spirituales operationes exercendi. Sicut enim deambulare, iter facere, & currere, sunt exercitia corporalia, *Ita quoque præparare & disponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & iis sublatis ad quærendum & inveniendum voluntatem Dei circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ.* EXERCITIA VOCANTUR SPIRITUALIA. Usus illorum juxta methodum & Regulam S. Ignatii, efficit, ut dicamur facere ipsius Exercitia.

Secunda est. Quòd cùm in sequentibus omnibus Exercitiis Spiritualibus utamur actibus intellectûs, quando discurrimus, voluntatis verò, quando afficimur, advertendum est in operatione, quæ præcipuè est voluntatis, dum voce aut mente cum Domino Deo, vel Sanctis ejus colloquimur, majorem exigi à nobis reverentiam quàm dum per usum intellectûs circa intelligentiam potiùs moramur.

Tertia est. Quòd mirum in modum juvatur, qui suscipit

cipit Exercitia, si magno animo atque liberali, accedens, totum studium atque arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se suisque omnibus id statuat, in quo ipsi potissimùm servire possit, juxta ejusdem beneplacitum.

Quarta. Quod Exercenti se in prima hebdomade expedit nescire, quid in secunda sit acturus: idem dicendum de aliis Septimanis, sed ad consequendum illud, quod tunc quæritur, acriter, laborare; perinde, ac si nihil boni postea esset reperturus. *Idq; ne distrahatur animus.*

Quinta. Quod admonendus est is, qui Exercitatur, ut cùm in quolibet Exercitio, id est meditatione, expendi debeat unius horæ tempus, curet semper animi quietem in hoc reperire, quod plus temporis potiùs, quàm minùs insumpsisse sibi conscius sit. Frequens est enim Dæmoni hoc agere, ut præfixum meditationi vel orationi temporis spatium decurretur.

Sexta. Quod cum facile sit ac leve affluente consolatione integram contemplationis horam traducere: difficillimum contrà incidente desolatione: idcirco adversùs tentationem ac desolationem semper pugnandum est, producto ultra præfinitam horam Exercitio, vincendi gratiâ: ita enim non solùm discimus resistere adversario, sed eum etiam expugnare.

Septima. Quod ei, qui liberior est, fructum spiritualem consequi optat, quàm possit maximũ, tradenda sunt omnia Exercitia, eodem, quo procedunt ordine; & quidẽ scribi eorum capita, ne excidant è memoria, expedit; in quibus juxta successum communem tantò meliorem faciet vitæ spiritualis progressum, quantò magis ab amicis notisque omnibus, & ab omni rerum humanarum sollicitudine sese expediverit: ut si ab ædibus pristinis migret in domum, cellámve aliquam secretiorem, unde ipsi liberum

berum securúmq; sit egredi ad matutinum, Sacrificium Missæ, vel ad vesperarum officium, cum libuerit, audiendum absque familiaris cujusquam interpellatione. Ex qua quidem loci secessione inter alias commoditates hæ tres præcipuè consurgunt. *Prima*: quod seclusis amicis & familiaribus, negotiisque minùs rectè ordinatis ad Dei cultum gratiam apud Deum non mediocrem meretur: *Secunda*, quod per hujusmodi secessum intellectu minùs; quàm antea distracto in diversas partes, & collectâ redactáque omni cogitatione ad rem unam, scilicet ad obsequendum Deo Creatori suo, & saluti animæ suæ consulendum, multò liberiùs & expeditiùs utitur naturæ viribus in quærendo eo, quòd tantopere desiderat. *Tertia*, quòd quantò magis se reperit anima segregatam ac solitariam, tantò aptiorem se reddit ad quærendum, attingendúmque Creatorem & Dominum suum, ad quem insuper quò propiùs accedit, eò meliùs ad suscipienda Bonitatis Divinæ dona disponitur. *Hucusq; Sanctus Pater*.

§ XV.

Quis sit Finis hujus Libelli.

HIS jam in genere dictis, progredior ad Scopum hujus libelli exponendum: estque hic; reddere usum Exercitiorum S. Ignatii facilem, ut qui capacitatis etiam est mediocris, aut qui nunquam etiam Exercitia peregit, octo aut decem dies iis impendere possit cum spe profectûs, absque metu fastidii, quale nasci posset ex ignorantia eorum, quæ in iis tractantur. Laborem autem hunc meum paravi & personis sæcularibus & Regularibus utriusque sexûs; & Ecclesiasticis extra claustrũ degentibus. Conatus sum eâ accuratione exercitandum manuducere, ut etiam deficiente Directore, quanqnam talem optem procurari, fructum aliquem percipere

possit:

possit: quare puncta etiam minutissima examinabo, quorum notitia necessaria fore mihi videbitur; moneo autem, quòd hic prolixiores proposuerim meditationes, quæ juxta S.Ignatii Ideam sunt compositæ, quanquam omissis aliis in se etiam sanctissimis, optiméque ab aliis positis; verùm non juxta ipsius mentem & intentionem.

§. XVI.

Referuntur illa, super quibus datur instructio particularis in hoc libello, ad commodum Exercitantium.

INcipientes nôsse debent, quid sit oratio mentalis: cujus in hoc libello parvam dabo instructionem; præparare se item debent ad confessionem tum generalem, tum ordinariam, & hujus præparationis methodum suo loco dabo: nôsse debent, quomodo annotanda sint lumina, & de hoc erudiam: aperire debent conscientiam Patri spirituali, & de modo hujus reddendæ rationis docebuntur: exactam faciant temporis distributionem necesse est, suas diei horas variis exercitiis impertiendo, & hanc horarum distributionem subministrabo, atque ita in omnibus manuducam quantum potero ac novero. Initium facio ab eo, quod faciendum est illi, qui statuit facere Exercitia.

§. XVII.

Quid illi faciendum, qui statuit obire Exercitia.

PRimò conferat si potest hoc suum desiderium cum Patre suo spirituali, aut quovis alio, quem nancisci poterit, volétque Directorem suum: tali autem deficiente commendet se Divinæ misericordiæ & protectioni, dicendo: *Tibi derelictus est pauper, Domine hominem non habeo.*

Secundò statuat de loco, in quo tempus hoc sanctè impendere velit. Nonnulli, quibus est ea commoditas, Tusculum aliquod, prædiúmve seligunt; alii in domo quadam Religiosa cellam procurant, alii exercitia peragunt domi suæ solliciti tamen de conclavi aliquo abstrusiore; quod si autem nullâ harum commoditatum gaudere posset, confugiat ad Sacellum commodum Ecclesiæ alicujus, sed minùs frequentatum: in eo persistat tempore omni, quo potest, domum tantummodo visendo, dum corpus cibo, aut somno reficiendum. Atque hoc dictum sit solummodo pro his, qui defectu opportunitatis in propria domo solitudinem Exercitanti necessariam habere nequeunt.

Tertiò determinet tempus quo obire velit Exercita; nonnulli seligunt Quadragesimam, alii tempus Adventûs, alii tempus Pentecostale, alii Septembrem. Omne tempus bonum.

Quartò sæpiùs legat instructionem datam pro oratione mentali, antequam se ad Exercitia conferat, tum, ut informetur de modo eam ritè faciendi, tum ne deficiat eo tempore in una occupatione, quæ inter cæteras est maximè principalis. Instructio hæc petatur pag. 1.

Quintò Commendet se Deo, B. Virgini, Angelo Custodi, & Sancto illi, in quem majori fert pietate. Visitet templum aliquod, Synaxin frequentet, adhibeat mortificationem aliquam, *ex. gr.* gestationem cilicii, jejunium, castigationem corporis. Atque omnia in illum finem, ut Deu

Deus det gratiam factum propositum exequendi. Ubi tamen notatum volo, quod hæc omnia per modum consilii, non tanquam obligationem suggeram.

Sextò. Excitet in se desiderium fruendi quiete aliquâ pro anima sua, putetque sibi dicta verba illa Christi ad discipulos prolata tanquam sui invitationem : *venite in desertum locum, & requiescite pusillum*. Marci 6. Est enim iste dierum aliquot secessus in veritate quies aliqua animæ lassatæ negotiis corporis, mundi, & sæpè negotiis spectantibus ad alios, in quem finem pono hîc orationes aliquas jaculatorias per diem usurpandas : *Quis mihi dabit diversorium in solitudine*. Jerem. 9. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei*. Psal. 41. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam*. Psal. 119. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus*. Psal. 121. *Quàm dilecta tabernacula tua Domnine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*. Psal. 83. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Psal. 41. *Vadam & videbo visionem hanc magnam*. Exod. 3. *Exspectans exspectavi Dominum*. Psal. 39. Ex his repetat modò unam, modò alteram, uti & alias, quas suggesserit affectus, aut instructor, si quem habuerit.

Septimò. Disponat ità negotia sua, ut nullo modo curâ eorum sollicitetur in diebus secessûs sui, ut dicere possit cum Christo : *Relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Joan. 16. Lubet mihi seponere ea, quæ mundi sunt, ut ad Deum Patrem meum pergere possim. Dum autem importuna aliqua cogitatio, curáq; mundana animum attraheret (siquidem judicio Directoris non fuerit res necessaria) respondeat verbis à Christo B. B. Matri, & S. Josepho dictis: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse*. Luc. 2. In hunc fiunem lubet

referre caſum, qui ſequitur: Miniſter magni alicuju Principis optans adjicere animum ad Exercitia ſpiritua lia, licentiam abſentiæ ab aula ad dies aliquot ab eoden expetivit, causámque poſtulati allegavit neceſſitatem a locum aliquem concedendi, quò magnum emolumen tum ſuum ſe evocaret. Obtentâ itaque facultate ad do mum Exercitiis faciendis opportunam ſeceſſit. Interea occurrit in aula negotium majoris momenti, ad quod videbatur præſentia ipſius neceſſaria, quare præſentiam Miniſtri Princeps avidè deſiderabat: itaque intelligens ubinam degeret, ad ſe eum revocari juſſit. Nuntium ergo legationis adfert Director Exercitiorum; vix alte induci poterat, ut abſcederet; cùm diceret iteratò, dies ho ce eſſe Deo & animæ ſuæ deſtinatos, nullámque perin de rem ſibi cordi eſſe debere. Nihilominus tamen per motus iis, quæ Director in contrarium replicabat, aulam adit. Ipſum Princeps, ut primum conſpectum illius ſubit, ſic alloquitur: & verò de magno mihi emolumen to locutus es, quod procul te abſtraheret ab officio tuo, & modò intelligo te occupari Exercitiis ſpiritualibus. Repoſuit Miniſter in hunc modum: Veriſſima ſunt om nia, ſciátque Celſitudo veſtra, quòd dicta à me confir mem, iterumque proteſtor, nullum eſſe negotium tan ti ponderis, quanti id, quod concernit ſalutem animæ meæ, ad quam plurimum confert ſeceſſus à me inſtitu tus, nec pluribus ille moratus, confectis negotiis à Prin cipe impoſitis, ſe illico rurſus in ſolitudinem Sacram recepit.

Octavò, Statuat de fine, ad quem exercitia velit ordi nare, ſitque talis, quo maximè indiget. Ut ſi velit eliger ſtatum vitæ *ex. gr.* Matrimonium, ſtatum Religioſum aut Eccleſiaſticum: aut ſi iter arduum ac periculoſum ſuſcipiendum, ut ita animam ſuam diſponat, aut ſi munus aliquod difficile amplectendum, vel alia ejus modi

modi, semper verò possunt hæc exercitia ordinari ad peccata plangenda, ad vitam emendandam, ad superandam passionem aliquam prædominantem, itémque pro dispositione ad mortem.

Nonò. Accedat corde magno & liberali, & tale Deo offerre studeat, ita ut paratus sit adjuvante ipsius gratiâ exequi, quidquid ipsi placuerit ostendere, sibi esse beneplacitum, statuátque nullum divinæ voluntati obstaculum injicere. Nec certis velit terminis promptitudinem suam arctare, verùm dilatando cor præparet se ad omnia, etiam ad actus Heroicos; dicendo cum Juditha Sancta illa Heroina: *Secundùm voluntatem suam faciat nobiscum misericordiam suam* Judith. 8 vel, *in manibus tuis sortes meæ.* Psal. 30. Plura alia hìc possent insinuari, verùm & relinquendum aliquid industriæ ac solerti devotioni illius, qui Exercitia obire cogitat, uti & prudentiæ Directoris, qui poterit illa suggerere. Adjungo hic illud, quod expediet facere immediatè ante Exercitia.

§. XVIII.

Quid faciendum die immediatè præcedente Exercitia.

EXpeditis jam negotiis, is qui propositum cepit octo vel decem dies Exercitiis impendendi, confiteatur & communicet, ut mundo corde ad Deum accedat: quandoquidem Dominus ab his se videndum & agnoscendum affirmat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. in quo consistit felicitas hominis in terris, olim consummanda in cœlis: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum.* Joan 17. Dein confugiens ad angulum aliquem Ecclesiæ, in qua sacrâ synaxi refectus fuit, aut ad devotum aliquod Sacellum, aut

ad cubiculum suum, magno cordis affectu in soliloquium sequens erumpat: ecce anima mea indulsit tibi Dominus gratiosè tempus, in quo tecum ipsa agere, penetralia tua subire, ac seriò discutere possis negotia alteram vitam concernentia, ad quam velociter tendimus. Quid agendum ô anima mea, quid agendum? est, quod exultes de gratia tam eximia, quot enim sunt eorum, quibus hucusque spatium illud non est concessum, nec porrò concedetur! & quis novit, num tibi porrò tempus ejusmodi sit concedendum: quare modò illud alacriter amplectere, & propone nec momentum ullum perdere; agitur de æternitate aut felici apud Cælites, aut infelici apud inferos; agitur de te ipsa quam si tu curare nolueris, quis curabit? considera, quod unica sis, & æternum duratura: quod semel perdita æternùm sis peritura, quod semel salvata æternùm sis salvanda, quod si benè comprehendis, non est, quod aliud suggeram: si verò nondum intelligis, nunc tibi Deus opportunitatem illius intelligendi largitur mediis exercitiis ad quæ te invitat. Quare arripe alacriter occasionem tibi oblatam, considerans, quòd hinc fortè dependeat æterna tua prædestinatio. Quare optem ô anima mea, ut ad gratum Deo tuo animum exhibendum ad optimo modo ipsi cooperandum te disponas, ut ipsi hinc gloria tibi emolumentum accedat. Unde exhortor te, ut te Deo Sanctissimæ ipsius Parenti, Angelo Custodi & Sanctis Patronis tuis ferventer commendes.

Optem à te propositum fieri exactè observandi modestiam & silentium; fideliter exequendi, quidquid circa distributionem horarum, & descrptionem considerationum, à Directore ordinatum fuerit: velim te constantem esse, nec tædio occupari: & præ omnibus optem generosâ mente primum te diem auspicari, cor dilatando Divinæ Majestati, ut de te disponat ad beneplacitum suum,

ſuum; quapropter dic verba illa B. Virginis, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Præter dicta adhibe devotionem aliquam ſpecialem; qualis eſſe poteſt, ſalutare vulnera Salvatoris: commendare ſe animabus in purgatorio: erogare ſi poſſis, eleëmoſynam aliquam: viſitare infirmum, quinquies terram oſculari: abſtinere ab aliqua etiam licita recreatione, atque alia hujuſmodi. Quid dicis anima mea? an ita es comparata, ut hac ratione te gerere velis, & meliùs etiam? credo quod ita: ideóque conſulo, ut ante JESUM amore noſtri Crucifixum proſtrata, dictum propoſitum confirmes, & ſequentem orationem recites.

ORATIO

Ad Chriſtum Crucifixum.

REdemptor mi dulciſſime, aſpice miſeram creaturam tuam, quæ ſe agnoſcit ab immenſa tua bonitate creatam: & dum ego ſervitio tuo, & procurandæ ſaluti animæ meæ tam parum me impendo; tibi interim placet opportunitatem redeundi in me ipſum, peccata mea plangendi, juſtitiæ tuæ ſatisfaciendi, ac vitam emendandi mihi ſuggerere. Agnoſco mi amantiſſimè JESU felicitatem meam; & quàm illâ gaudeo, tam tibi devotiſſimas gratias rependo. O quot vivunt ſui obliti, qui minùs, quám ego te offenderunt! & tamen ea mihi gratia fit, ut poſſim, cogitem, velim providere negotio æternæ ſalvationis meæ, Totum eſt benignitatis tuæ, cui ut reſpondeam, me obligatum comperio ad omni, quo potero, meliori modo, impendendum dies ſucceſſionis meæ. In hunc finem audi, quid mihi proponam, propono manè tempeſtivè, & cum fervore me è lecto proripere, ſcies, quòd *juſtus cor ſuum tradet ad vigilandum*

diluculo ad Dominum : ſtatuo omnem repugnantiam ſub quocunque colore à ſenſualitate,aut pigritiâ excitandam vincere. Propono primas cogitationes meas tibi offerre,& ad puncta meditationis expendenda eas convertere propono de die obſervare modeſtiam, & Silentium : ſtatuo,nulli rei,quæ à te poſſit diſtrahere; nec ſtudiis, nec negotiis,nec curioſitati, nec recreationi, nec literis ſcribendis, aut reſponſo ad eas dando locum permittere. Propono exactè obſervare diſtributionem horarum, nec vagabor per domum, ſed conſtanter perſeverabo in cubiculo à tempore inchoatorum exercitiorum. Hæc toto animo propono:verùm quia ex me nil boni perficere valeo,auxilium tuum imploro,ad quod obtinendum humi procido ante ſanctiſſimos pedes tuos, & jam ſanctiſſima vulnera tua,quæ amore mei ſuſcepiſti, exoſculabor.

Prædictum Soliloquium, & colloquium iſtud voce affectuosâ poterit legi à Directore, dum multis ſimul traditurus eſt Exercitia,idque omnibus genua flexis ante piam aliquam Chriſti imaginem in loco, ubi ſimul omnes fuerint congregati.

§. XIX.

Quid ipſo veſpere pridie Exercitiorum ſit faciendum.

DUM ingreſſurus es conclave ſolitudinis tuæ, aut etiam locum communem, ubi plures conveniunt ad Exercitia, cogita te ingredi terram Sanctam , ideoque toto corde locum hunc ſaluta : & dic intra te , *Introduxit me Dominus in terram fluentem lac & mel.* item : *Solve calceamentum de pedibus tuis, quoniam locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 2. Compone ita cameram [ſi quidem nondum eſt diſpoſita] ut nullum

lum occurrat objectum à devotione valens distrahere. Absint picturæ curiosæ, & profanæ, aut ad minimum, si repertæ illic fuerint, obvelentur; paucissimi tibi sint libri, eique tantum spirituales, quot & quantos permiserit Director, & non alii : pariter non adsint specula, flores, instrumenta musica; ne eorum præsentia occasionem præbeat iis utendi cum perditione temporis. Videtur & mihi laudabilis fore industria, si verba mox secutura manúque tuâ descripta fixeris in loco, ubi ea omni momento possis contueri, ad tibi ipsi memoriam continuò refricandam, quod dies Eexercitiorum sint à Deo. Ecce verba desumpta ex 23 Cap. Levit. *Feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta & libamenta juxta ritum uniuscujusq; diei.* Sensus est: *Feriæ Domini*, octo hi aut decem dies sunt à Deo, suntque in emolumentum animæ; sunt feriæ ab aliis occupationibus & negotiis : *quas vocabitis celeberrimas, atque sanctissimas*; & ceu tales impendi debent tantùm in actiones sanctas, & immediatè tendentes in Deum: *Offeretisq; in eis oblationes Domino* : & in diebus hisce præsentabo Domino in *oblationem* orationes meas : in *holocausta* mortificationes : in *libamenta* proposita mea: *juxta ritum uniuscujusque diei* juxta omnes apices, qui mihi à Directore de die in diem præscribentur. Quare cogitans te non ampliùs ad mundum pertinere, totus sis in præparanda animâ tuâ, ut digna fiat recipere divinas inspirationes, desiderium harum in te excita per orationes jaculatorias, quales possunt esse sequentes : *Domine, quid me vis facere?* aut verò : *vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*, aut aliter : *adjutor meus esto, ne derelinquas me*, vel denique *qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro nobis mortuus est Christus.* Aut aliæ similes.

Sequentia axiomata tanquam Sacroſancta pro ſequentibus dein diebus habe : *Primum.* Hoc tempore Deus, & anima mea, & aliud nihil. *Secundum.* Nullum pone obſtaculum Divinæ gratiæ, dum magna in te operari voluerit. *Tertium.* Juxta omnes vires tuas illi cooperare: quod præſtabis diligenter attendendo ad omnia, quæ Director tuus tibi præſcripſerit. *Quartum.* Nec punctum temporis tam pretioſi negli-ge. *Particula boni diei non te prætereat* Eccleſ.14. Repete ſubinde pulchra illa S.Pauli verba : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies Salutis.* 2. Cor. Cap. 6. Verba item S. Petri Chryſologi ſerm. 12. *Dedimus corpori annum, demus animæ dies; impendimus tempora nobis, deputemus tempus authori: vivamus Deo paululum, qui ſeculo viximus totum : ſeponamus domeſticas curas.*

Quod ſi feceris, non eſt abbreviata manus Domini : & ſperare poteris Divinam Miſericordiam tibi affuturam. *Inſiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alium.* 1. Reg. Cap. 10. Etſi rudis fores inſtar Saülis, ad quem facta ſunt verba hæc à Samuële.

§. XX.

Alia, quæ facienda ſunt circa ſerum veſperum præcedentem Exercitia.

Veſpere immediatè præcedente diem Exercitiorum Director, ſiquidem talem habueris aſſignabit, & explicabit meditationem, quæ manè ſequente peragenda, præſcribétque ſucceſſivè, quæ facienda : concipe deſiderium ex inſtructione ipſius proficiendi, & perſuade tibi, quòd Deus per os illius ſit locuturus, quapropter

iturus

iturus ad locum, ubi futura hæc explicatio, dic: *audiam quid loquatur in me Dominus Deus* : Confer te illuc cum modeſtia & ſilentio, & cum tali eſto illic, & talis recede : præmitte illius explicationi parvam Orationem, & poſt eam factam, rurſum paululum ora : acceptâque chattâ, in quâ continentur puncta meditationis, perge ad cubiculum, & priuſquam illam ordiaris, puncta prælege; pro ut in diſtributione horarum faciendum videbis.

Primo veſpere antequam meditationem à Patre Directore ſuſcipias, poteris & ſequentia præſtare. Recita *Veni Creator Spiritus* cum Oratione *mentes noſtras quæſumus &c.* Dein *ſub tuum præſidium* ad Beatam Virginem, & ad Angelum tutelarem. *Angele Dei.*

Poſtea coram crucifixo dic cum Sancto Patriarcha Jacob, qui diſceſſurus à Domo Soceri Laban, ut pergeret, quo Dominus eum vocaverat, ajebat : *Juſtum eſt, ut aliquando provideam domui meæ.* Geneſ. 30. Congruum eſt, ut seriò aliquando invigilem felicitati meæ, & proventibus, quos in domo æternitatis acquirendos habeo. Et tali cogitatione munitus, abjice rerum omnium aliarum curas, ut illi unicè intendas, quod curare, plurimum animæ tuæ intereſt.

S.Franciſcus Xaverius dum primùm obivit Exercitia Spiritualia (quæ S. Ignatius ei tradidit) manibus, brachiisque ligatus ſe conſtituit ante Crucifixum, proteſtans ſe ipſius eſſe mancipium, & ut tale ſe futurum ad omnem nutum voluntatis ipſius, optans aliud in ſe, ut ita loquar fieri impoſſibile. Et cur tu non poſſes, traditis primo veſperi punctis meditationis, piiſſimum talem affectum imitari, priuſquam concedas cubitum? Dic ad minimum cum S.Auguſtino. *Domine jube, quod vis,*

&

& da, quod jubes. Aut verò cum Christo Domino: *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Institue examen Conscientiæ: Asperge te aquâ benedictâ, dum ad manũ fuerit: Si vires permittant, utere disciplinâ; jamque lectum ingressus, stude indormiscere cogitationibus de punctis meditationis lectis aut auditis: commenda te Angelo Custodi, ut in crastinum tempestivè te à Somno excitet: sique de nocte evigilares, cogita de Deo & de punctis meditationis, atque hæc præsta omni die Exercitiorum.

§. XXI.

Quæ in hoc libello ratio servata sit circa meditationes in eo contentas.

VIdetur hic mihi reddenda ratio methodi, quam in meditationibus dirigendis hoc in libello observavi. Est autem sequens. *Primò.* Non quascunque veritates [quales fortè genio meo particulari arriderent, & prodessent] collegi, verùm quales S. Ignatius nobis in aureo suo libello Exercitiorum reliquit. Veritates adduxi de se universales, & quæ potissimam hominum partem concernunt, natæque sunt parere effectum, qualis in Exercitiis prætenditur. Exempli gratiâ dum ille intendit animam à malis affectionibus purgare, adhibet meditationem de peccatis in genere, magìsque de mortalibus, quàm venialibus: & potiùs de inferno quàm de purgatorio; quia hæ maximè ex naturâ suâ serviunt ad purgandum, & serviunt ferè omnibus, aliæ autem tantùm aliquibus. Veritates hasce deduxit ex aliquibus fidei principiis, & ex mysteriis vitæ Christi, suntque de

de

le applicabiles omni hominum generi. Hasce è multis selegit, ut quivis in iis tanquam in manna nutrimentum saporêmque spirituali necessitati suæ convenientem inveniret: estque munus Directoris procurare, ut quivis juxta statum suum illud obtineat, dum in explicanda meditatione tales debet addere circumstantias, quales Personæ instruendæ pro conditione & statu illius serviunt, in quo genere maximè Director debet eminere. Atque hac occasione significare debeo, quòd libellus ipse Exercitiorum scriptus à S. Ignatio non serviat omnibus, lectus simpliciter prout jacet: quia ob brevitatem suam non capitur ab omnibus, ideóque indiget explicatione, in quem finem requiritur opera Directoris.

Secundo, Quia Sanctus Pater monet, ut veritates meditandæ succinctè proponantur, tradanturque Exercitando in charta scriptæ; proposui imitari hanc brevitatem in eo, in quo consistit punctum veritatis meditandæ, quæque finitâ meditatione cordi insculpta manere debet. Et, ut mihi videtur, æquivalent hæ illis, quæ à Doctis vocantur conclusiones, id est propositiones, aut assertiones probatæ veritatis, cujusmodi in publicis disputationibus breviter exponuntur palàm defendendæ, & aliorum argumentis impugnandæ; quæ quemadmodum succus sunt reportati è multorum annorum studio fructûs; ita & paucis sunt comprehensæ lineis, atque ut breves evadant, locutione succinctâ proferuntur. Cum autem Sanctus noster Directoris relinquat industriæ punctum dilatandum, & emedullandam veritatem pro capacitate sui Exercitantis, punctis brevissimè propositis attexui explicationem ampliorem, & quia quemvis inexpertum adjuvare, & manuductoris vices obire mihi proposui, addidi considerationes intellectûs & affectus voluntatis: ita mecum reputans: quicunque libello hoc

uterur

ucetur vel intelligens est, & versatus, vel non est; si intelligentiam & experientiam habet, legat simpliciter puncta meditationis, reliqua præstet ipse: quòd si verò inexpertus fuerit, videat quomodo sit operandum: & legendo etiam ea, quæ deduxi licèt aliud non fecerit, addiscet veritates propositas, & intellectûs considerationes illic positas, & voluntatis affectus à me monstratos approbabit. Itaq; etiam inexpertus, & carens Directore poterit fructum aliquem ex veritatibus sibi propositis percipere.

Tertiò. Ad facilem & inexpertis utilem discursum reddendum, modo illum sensibili ac palpabili conatus sum instruere, atque hunc scopum meum me obtenturum credidi, reddendo illum familiarem, & reducendo ad formam soliloquii & ad imitationem S. Anselmi viri doctissimi ac piissimi, aliorumque Sanctorum, qui in meditationibus suis hanc methodum servârunt. Non interim repudio omnem aliam formam, quâ quis juxta talenta sua uti voluerit. Affectus voluntatis describuntur in colloquiis: lineolas autem apposui tam in considerationibus intellectûs, quàm in affectibus voluntatis, ut illic Exercitans sistat ponderando, ubi ponderandum, & affectum dilatet, ubi illum convenit dilatari.

Quartò. Manuducturus quantùm fieri potest, inexpertum, in initio meditationis fructum, qui ex meditatione eliciendus est, præfixi. Atque ut plurimùm ille talis est, qui ex natura sua videtur cum veritate meditanda connexus esse; quòd si autem alium aliquem Exercitans sibi decerpendum esse putaret; sibi poterit præfigere: rude saltem systema meum incipientem docebit præfigendum esse meditationi fructum, qui ex ea est colligendus.

Quintò. In fine cujusque meditationis subnecto illius compendium. Potestque ad hoc servire, ut, qui est medita-

ditaturus, prælectâ meditatione, totam illam ſimul ante oculos habeat, meliúsque puncta memoriâ tenere poſſit: eſt & pro magis Exercitatis, qui fortè non magnopere curabunt prolixiorem explicationem, quòd eâ non indigeant.

Sextò. Poſt omnem meditationem reperies duodecim orationes jaculatorias, ut plurimùm deſumptas ex ſacra Scriptura: quæ primariò ſervient ad recolligendam mentem, pro tempore, quod unam inter & alteram meditationem intercurrit. Addo etiam, quod ſi eaſdem poſt factam meditationem recitare volueris, ſervire tibi poterint pro totidem parvis colloquiis, cúmque ſint ipſius Dei verbum, non poſſunt abſque fructu excidere. Poterunt & aliquæ forſan genio tuo magis eſſe aptæ, & pro ſpirituali cibo ac refectione ſervire etiam extra tempus Exercitiorum.

Septimò. Meditationes trado deſumptas ex quatuor ſeptimanis S. Ignatii, atque ita aliquas ſpectantes ad animam à vitiis purgandam; ſuntque ex ſeptimana *prima*: alias ad perſuadendum imitationem vitæ activæ Chriſti, ſuntque ex ſeptimana *ſecunda*: quæ autem ex *tertia* ſeptimana deſumuntur, valent ad conformandos nos Chriſto patienti. Aliæ ſunt ad excitandam ſpem Societatis cum Chriſto glorificato conſequendæ. Suntque hæ ex *quarta* ſeptimana deſumptæ; itaque hic habes quaſi in compendium redactam ſubſtantiam Exercitiorum ſancti Ignatii menſe integro peragendorum. Interim ubi ipſe præſcribit pro purgando animo triginta dies, hìc intra octo vel decem dies ea purgatio abſolvitur.

Octavò. Quia quælibet ſeptimana habet proprias ſuas additiones, hoc eſt, certas regulas Exercitiis cujuſvis ſeptimanæ aptatas, eas etiam in fronte meditationum illarum præfixi, prout ad ſingulas illæ pertinent. Quapropter

ter, ut Exercitans operetur juxta intenrionem S. Ignatii, debet eo tempore, quo occupatur meditationibus primæ Septimanæ, obſervare additiones illi proprias; & pariformiter tenere alteras pro ſecunda, dum iſtiuſmodi vacat meditationibus, & ita de cæteris; in ſecunda autem parte operis hujus ſuo illæ loco invenientur.

Nonò. Admoneo incipientem, ne terreatur tot propoſitis minutiis, quia per praxin non ſolùm illæ faciles redduntur, ſed & ſunt neceſſariæ; illiſque deficientibus via eſt laborioſa.

Decimò. Ut meditationes hæ neceſſitati plurium ſervirent, materiam appoſui pro hora conſiderationis (de qua paulò poſt) accommodatam triplici hominum claſſi, ſæcularibus, Religioſis, & Eccleſiaſticis. Meditationes ſunt pro omnibus. In conſiderationibus veritates conſiderandæ in meditationibus, applicantur cujuſvis conditioni & neceſſitati.

§. XXII.

Inſtructio Tironis circa modum meditandi.

VIdeatur hìc etiam P. Alphonſus Roderiquez. *lib.* ſive *tract.* 5. de oratione mentali. Verùm legatur paulò ante quàm *Exercitia incipiantur: poterit idem legi etiam primâ parte.* Tiro quivis indiget inſtructione ad meditandum. Quare eam hìc communico. Noverit itaque, quod meditatio ſit ſpecies orationis mentalis, in quantum Oratio mentalis ſignificat mentis in Deum elevationem Meditatio prout hìc propriè accipitur, eſt Exercitatio trium animæ potentiarum, memoriæ, intellectûs, & voluntatis, ut anima lumine veritatis, aut myſterii ipſi monſtrati inducatur ad ita operandum, prout ad lumen propoſitæ veritatis ipſi perſuaſum eſt, eſſe operandum. Ideóque in meditatione per indu-

ſtriam

ſtriam noſtram Divinæ gratiæ cooperantes in memoriam revocamus punctum, quod legimus, aut audivimus, ut intellectus lumine diſcurſûs naturalis, & fidei Divinæ luce ſupernaturali adjutus, eò pertingat, ut agnoſcat, quid homini Chriſtiano ſit faciendum, aut omittendum, ut Deo & conſcientiæ ſuæ ſatisfaciat; & voluntati proponendo, quid & quantum agnoverit, inducat illam ad amplectendum, aut fugiendum mediante Divinâ gratiâ illud, quod intellectus repræſentavit; faciátque ipſam per excitationem affectuum propoſitum capeſcere ſuperandi omnes difficultates, quæ in Exercitio operis propoſiti occurrent; unde patet, quòd is, qui diſcurſum intellectûs eò non ordinat; qui eſt potiſſimâ pars meditationis, ad voluntatem in bonum inclinandam, & à malo abſterrendam tendens, quod inquam talis non faciat meditationem, prout illa eſt pars orationis mentalis, ſed potiùs prout ſtudium; aut ſpeculatio. Eumque in finem, tam qui meditatur, quàm qui meditationem tradit, curare debet, ut poſt meditationem ſequatur morum correctio, ut non proferat ampliùs ſermones turpes is, qui talibus aſſuevit: non ſit amplius addictus vanitatibus mundanis, qui ad eas propenſus fuit: ut abneget deſideria ſua, qui eis aliàs obtemperavit &c. non quod ſimul ac ſemel hæc obtinenda ſint virtute unius meditationis, idque juxta perfectionem, verùm ut modò hoc, modò illud præſtetur; Exercitans modò lucretur pauxillum in uno, aliàs nonnihil in alio &c. ut ita terminatis Exercitiis melior evadat.

Regulæ Orationis mentalis.

IGnorare non debet Tiro quædam ad Orationem mentalem ritè peragendam neceſſaria.

Primò. Quod priùs quàm concedat cubitum, prævi-

denda, id eſt, aut legenda, aut alio modo menti imprimenda ſint puncta, de quibus altero mane inſtituenda eſt meditatio, & ſi noctu expergefactus fuerit; breviter in memoriam revocanda ſint puncta meditationis, ſine omni tamen contentione & faſtidio: conari quoque debet, ut dum è lecto conſurgit, inter cogitationes prima ſit de meditatione, & quod dico de veſpere pro ſequente matutina, intelligendum etiam de meditationibus diurnis, ſi plures fuerint faciendæ prout in Exercitiis plures adhibentur. Omnis meditatio modo explicato prævidenda eſt. Et quantùm ad meditationem veſperi prælegendam, & manè tractandam; optimum eſt huic diligentiæ non acquieſcere, ſed alteram adjungere, nempe relectionem ejuſdem matutinam; cùm enim tota nox ſomnúſque interceſſerit, facilè contingere poſſet, ut aliqua, imò etiam omnia è memoria exciderent: ex his omnibus porrò colligitur, quòd rem magnam tractandam ſuſcipiamus; qualis profectò eſt meditando cum Deo verſari, & ipſe intellectum noſtrum illuminet, voluntatem noſtram moveat, gratiamque ſuam omnia adimplendi donet. Et in negotio tam gravi nulla poteſt ſolertia pro ſuperflua computari.

Secundò, Ut ad locum meditationis pergens Deum ſibi præſentem ſiſtat, cogitetque, quòd peculiari modo cum illo ſit acturus. Quare reverentiam exhibeat, & in ſitu corporis eam profiteatur, ſtatuatque orans de genibus flexis, ſi potuerit, ſaltem ad tempus: & ſi non potuerit, talis ſaltem ſitus ſit, ut reverentiam ſpiret. Bonum etiam eſt, antequam ad locum meditationis accedatur ſumere aquam benedictam, ad animam à peccatis venialibus emundandam, eſt utile etiam, breviter elicere actum contritionis, & doloris de peccatis, dicendo *ex.gr. Pœnitet me peccâſſe, parce mihi Domine*: aut ſimilem affectum eliciendo.

Tertiò. Ut in loco memorato profundè ſe coram D

vin

vinâ Majeſtate inclinet, ſenſus ſuos, pœnitentiasque internas alloquendo. *Venite adoremus Dominum, procidamus ante Deum*, atqu hæc dicens procidat in genua.

Quartò. Ut ſe humiliet confitendo in genere delicta ſua juxta Sapientis monitum: Juſtus eſt prior accuſator ſui prov.18. eumque in finem poterit breviter dicere dimidium *Confiteor*.

Quintò. Poſtulet gratiam à Deo, ut meditatio bene procedat: poteritque adhiberi illud Sanctæ Judithæ. *Confirma me Deus in hac hora*.

Sextò. Ut ſpecialiter exoret gratiam reportandi fructum illum, quem ſibi deſignavit ac præfixit; ut intellectus inveniat Rationes, quibus opitulante Domino perſuadeat voluntatem, inducátque illam ad bonum ſuum proſequendum, ad malum autem fugiendum; viréſque omnia bona propoſita generosè exequendi obtineat.

Septimò. Præmiſſis hiſce præparationibus, *quæ licet multæ ſint, celerrimè tamen expediuntur*, illico primum punctum memoriæ repræſentet, ac dein per intellectum de eo diſcurrat. Quantum ad meditationem ipſam attinet, dico tironi, quod mentaliter diſcurrere de re aliqua aliàs facili, nota, & ſæpius recognita ſit operatio ex natura ſua facilis, quia eſt conformis naturæ humanæ quæ eſt rationalis, id eſt diſcurſiva. Atque inde eſt, quod de multis particularibus, aut contingentibus plus minúsve diſcurramus, Diſcurſus autem eſt cognitio rei unius ex præhabita cognitione alterius. Ita *ex.gr.* per diſcurſum inferimus, an hæc vel illa impenſa facienda ſit nec ne: ſitne hic, illéve dignus laude an vituperio: an hic vel iſte eruditus ſit, vel ignarus &c. Et in Myſteriis ſacræ fidei præhabito Divino lumine, tempore meditationis facilitatem in diſcurſibus ſimilibus parem inveniemus, qualem ſæpe oſtendimus extra horam meditationis in Diſcurſu familiari ſuper rebus Divinis: verùm in altero

obſtaculum ponitur partim à Dæmone, dum injectis diſtractionibus à benè operando nos ille quærit avocare; partim à natura corrupta, & ab inordinatis paſſionibus noſtris, quæ facilè abſtrahuntur ab objectis præpoſterè amatis, & hinc mentis ad Sancta applicationem impediunt. Subinde etiam Deus ob tepiditatem, & in pœnam peccatorum noſtrorum nos deſerit, permittítque à Dæmone, & concupiſcentiis noſtris nos infeſtari; aut ob alias cauſas, ut nempe ad virtutem noſtram exercendam, deſerit etiam animas ſibi chariſſimas. Nolo autem his diutius immorari, ſufficit hîc mihi hortari Exercitantem, ut in propoſito puncto meditationis quoad diſcurſum conetur hoc facere, quod in aliis materiis facit, ſuper quibus diſcurrit. Scrutetur, & inveſtiget id, quod in veritatibus ac Myſteriis propoſitis obſcurum ipſi atque abſconditum eſt: Videat, ſi veritates ſint tales: diſpiciat num ipſe? aut alius hoc illúdve operando benè potiùs quàm malè ſit acturus, an hic modus expediat, an ille diſſolvat objectiones, quæ in contrarium obmoventur: conſideret cauſas, effectus, circumſtantias: collimando ſemper ad hoc, ut voluntas ita operetur, prout intellectus operandum docet, conformiter veritatibus æternis.

Exemplum quo oſtenditur, quomodo intellectus exerceatur in meditatione.

DEclarabo hoc ipſum exemplo pro incipiente idoneo: ſit punctum meditationis dictum illud veriſſimum Servatoris. *Qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Quo inſinuatur mortem appropinquare, dum minimè de ea cogitatur. Quid faciet hanc veritatem meditaturus in ordine ad permovendam voluntatem ad ita operandum, uti Deus ab ipſo deſiderat

rat? Intellectu discutiet, an verum sit, quod proponitur: & verum esse affirmabit; quia *primò* Christus illud dixit; est itaque verum, quia ipsa æterna veritas os est, quod mentiri non potest. *Secundò* quia experientia docet, quòd maxima hominum pars ita moriatur, ita ut pauci sint, qui cogitârint hoc modo, in hoc loco, in hoc temporis puncto, quo moriuntur; sibi moriendum fuisse: postquam jam perspexerit, nimis quàm verum esse dictũ Christi, ulteriùs procedet, dicátque: ergo & ego moriar; nihil minùs quàm illud cogitans; atque iterum agnoscens rem ita esse, pergat, & dicat: posset itaque fieri, ut morerer, existens in peccato mortali, certum enim est, quod dum pecco, minimè de morte cogitem: non enim peccarem, si eo tempore mortis recordarer: aliámque dein considerationem instituens dicat: quid verò me fieret, si tum morerer? certè æternùm damnandus forem: nam qui improvisò moritur; mortis incurius, nec de peccatis conteritur, nec veniam petit, nec confitetur. Dum jam perspexerit veritati dictum illud Christi consentaneum esse, voluntatem suam in modum alloquatur, Non itaque unquam peccatum in anima tua tolerare debes; si peccati Reus teneris, expurgare illicò debes eo modo, quo est expurgandum; videlicet peccatorum exomologesi: nec differre illud debes, posset enim contingere, ut tempore dilationis morereris.

Excitandi affectus in meditatione.

QUod si rationibus his nondum permoveretur voluntas; urgenda est per affectus, conandumque, ut ipsa erumpat in affectus timoris, doloris, alióſque similes eâ fere ratione, quali procedere solemus adversùs eum, quo cum rationibus usi nihil efficere potuimus; tum enim alio modo affectum provocamus: servum *ex.gr.*

cædimus, ut dolorem ſentiat; puero minas intentamus, ut timorem in ipſo concitemus &c. ut ita denique per gratiam Dei, voluntatem inflectamus ad amplectendum illud, quod eſt ipſi bonum, licet corruptæ naturæ inviſum fuerit; & ad malum eidem deteſtabile fugiendum inflectamus: quâ ratione ferè proceditur cum infirmis, quos ad noxia vitanda, quanquam aliàs cæcè expetita, & ad utilia amplectenda, licèt ſtolidè odio habita inducimus partim per rationes intellectûs, partim per motus voluntatis, incutiendo ipſis timorem mortis ſecuturæ: partim per maternum planctum, ut ita ad ſequendum medici præſcriptum permoveantur: promittendo etiam donaria, ut ſpe illecti conſentiant.

Quanti ſint æſtimandi affectus in meditatione.

Sancti, affectus in meditatione maximi faciunt, nec ſine cauſa; talibus enim illa animatur, redditúrque fervida, viva, excitata efficaciúſque ad operandum meditantem inclinans: ſine illis frigeſcit, & quaſi ſomnolenta eſt & mortua. In humanis etiam videmus, quod qui rei alicujus vehementi amore tenetur, ardentiſſimis in illam feratur deſideriis; & qui flagrat odio, multò ferventiùs ad ſcopum ſuum conatur, quàm qui talibus non agitur affectibus. Nimis etiam quàm verùm eſt, quòd quicunque peccat, ut plurimùm ducatur affectibus malæ ſuæ voluntatis, à quibus incitatus, ferventiùs adhibet media, quàm aliàs illa eſſet adhibiturus. Ab exemplo itaque malorum meditans fructum capiat, & quoniam affectus, eorumque effectus ex natura ſua ad bonum perinde ac malum ſunt indifferentes, illis meditans utatur in finem excitandi ſe ad bonum, ſicut mali eis utuntur ad malum: quantus non relucet uſus eorum in ſanctis illis, qui in ſacris paginis commemorantur. Pleni ſunt illis Pſalmi Davidis cum Deo colloquentis, omnéſq; illi ſunt oratio ad Deum. Ecce affectum, ſive actū voluntatis, quales ſunt omnes affectus, de quibus hîc loqui-

mur,

mur, affectum videlicet doloris, expreſſum verbis ſequentibus: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; habitavi cum habitantibus cedar, multùm incola fuit anima mea.* Pſal.119. Ecce actum amoris Divini. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum.* Pſal.17. Ecce actum deſiderii animæ à terrenis ſubvolare geſtientis. *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo & requieſcam.* 2.Pſal.54. Tales affectus reperiuntur in omnibus paginis ſacræ ſcripturæ, ubi in eis Sanctorum aliquis, uti Prophetæ, S.Job, Rex Ezechias, Rex Salomon, Regina Eſther, S.Paulus, cæteriquo omnes Deum deprecantur.

Catalogus variorum affectuum, qui in meditatione poſſunt elici.

Atq; ut pleniorem tiro meus in hoc puncto habeat manuductionem; ecce nomina quorundam affectuũ, in quibus ſe diverſimodè poterit exercere. Sunt autem. *Gratitudo* erga Deum, & Sanctos, pro beneficio aliquo. *Odium* peccati: *dolor* de eo commiſſo. *Amor Dei.* Virtutis & omnis operis pii *ſpes* de obtinenda ſalute, & ſuperandis cum gratia Dei omnibus difficultatibus, in ſervitio Dei occurrentibus. *Deſiderium* progreſsûs. *Fugâ* malarum occaſionum, ſociorum &c. *Timor* juſtitiæ Divinæ. *Gaudium* de gloria Dei, Chriſti, Mariæ, & Sanctorum; déque honore, quem à quovis accipiunt. *Deteſtatio* malarum actionũ, & earum, quas quis perpetrat, & eorum ad quas alius inducit. *Compasſio* erga miſerias proximi, Chriſtum patientem, animas in piacularibus flammis detentas. *Admiratio* de eo, quòd quis Deum auſit offendere, gratiam ipſius contemnere &c. *Tædium* vitæ præſentis. *Indignatio* adversùs ſeipſum, quòd nolit Deo ſervire. *Exprobratio* ſocordiæ ſuæ in rebus pertinentibus ad ſalutem. *Erubeſcentia* de eo, quòd plus pro mundo, quàm pro Deo faciat. *Deſperatio* de liberatione ab inferno,

si in eum incidisses. *Benedictio* Dei pro collatis gratiis. *Maledictio* Dæmonis, qui tot homines ad peccandum instigat. *Imprecatio* infelicitatis adversùs eos, qui divinas inspirationes despiciunt. *Æmulatio* eorum, qui magna pro Deo faciunt. *Invidentia* sancta de magno aliorum profectu. *Pœnitentia* de malè gestis. *Propositum* emendationis. *Petitio* Divinæ gratiæ. *Humiliatio* coram Deo, & iis, coram quibus Deus nos vult humiliari. *Complacentia* de Dei servitio, laude & benedictione. *Displicentia* de Dei offensa.

Non omnes hîc affectus designare, sed aliquod tantùm eorum specimen dare prætendo: ut dum modum orandi trado, mentem meam explicatiorem faciam: quis autem affectus hîc & nunc excitandus sit, proprium judicium dictare debet.

Modus adhibendi affectus in meditatione.

ET cùm prætendam incipientem dirigere, licentiam mihi indulgeri peto alteram adhuc minutiam addendi; estque hæc: ut si quis aliis modis affectus elicere nesciat (quos tamen tractu temporis devotio faciliores reddet, ipsáque pietas inspirabit) utatur saltem hac praxi facillimâ: utatur nempe verbis, quibus affectum exprimat.

Vult *ex.gr.* elicere affectum *gratitudinis*, dicat: *ago tibi gratias, mi Deus, pro iis, quæ amore mei fecisti.* Si *odium*; dicat: *odi peccatum, quod commisi.* Si *amorem*; dicat: *amo, mi JESU, tuam sanctam humanitatem.* Si *dolorem*; dicat: *doleo de meis peccatis.* Et ita de cæteris. Moneo interea incipientem, quod devotio ipsa & divina gratia ad varios affectus eliciendos sit plurimùm collatura; cùm enim homo sincerè & fervente affectu se meditationi applicaverit, Deus daturus est gratiam in vivacissimos affectus erumpendi, quales reperimus in

Scriptis

Scriptis eorum, qui orationis studio clari fuerunt: ut in S Catharina Senensi, S. Gertrude, S. Bernardo, S. Ansel-mo. P. Augustino, S. Ephremo &c.

Animadverto præterea, quòd in Exercitio memorato trium potentiarum, minimum temporis impendendum sit memoriæ, amplius exercitio intellectûs, plurimum exercitio voluntatis: minus enim est proponere, id quod est memoriæ; plus est videre & dignoscere, an verum sit, quod proponitur, rationes item invenire, quod proprium est intellectus: amplius autem, præcognita amplecti, id quod pertinet ad voluntatem, ita ut sequatur in operatione affectus, qui scopus est meditationis: unde semper ad particulares casus & necessitates descendere oportet. Ad voluntatem etiam pertinent petitiones, colloquia, & proposita in meditatione facienda, quæ ad Deum, Sanctos, & cœlestes Angelos pro necessitatibus nostris diriguntur quibus & cum illis, & nobiscum ipsis conversamur: & præ reliquis proposita hoc aut illud faciendi aut omittendi resolutiones quoque superandi difficultates, quæ insurgent. Reflexionem hîc quandam simplicem, sed quæ futura mihi videtur utilis, te velim facere; estque hæc; ut in meditatione procedas, tanquam si veritas meditanda ad alium quàm ad te spectaret, ut is actionem quandam piam præstare, aut vitiosam omittere persuadeatur; quod si alium persuadendi curam esses suscepturus; quas non rationes intellectûs easque facilè esses exquisiturus, ad quos non affectus voluntatem illius excitare conaturus! destiturus non esses, donec alter admonitioni tuæ obsecundare, omniáque obstacula vincere, aut sibi proponeret, aut tibi promitteret: exacturus esses omnium impedimentorum incurrentium notitiam: omnem demum operam tum in applanandis, tum in tollendis è medio quibuscunque difficultatibus esses positurus; tibi omnia bona sponderet,

Commendares illum Deo, auxilium divinum pro ipso implorares, ad B. Virginem recurreres &c. Æstima, quod in meditatione hoc pacto te debeas erga te ipsum gerere.

Praxis utiliter faciendi proposita. Videatur hic P. Alphonsus Roderiquez *part.1. tract. 5. cap.15. & 16.*

Praxis utiliter faciendi proposita. Videatur hic P. Alphonsus Roderiquez, *part 1. tract.5. cap.15. & 16.* Descendendum est ad particularia quibus maximè indiges; si quidem meditatio in omnibus, quæ tibi facere proponis, potest esse præsidio: quapropter ne dixeris tantùm genere. *Volo emendare peccata mea*: verùm dic: *facio propositum me emendandi v.g. circa sermones indecentes, circa impatientiam, circa irreverentiam in templo &c.*

Nec dicas tantùm. *Volo eniti ut Deo placeam*: verùm dic in specie: *Facio propositum Deo placendi in mortificatione oculorum, in applicatione animi ad orationem, in condonatione injuriarum facienda inimicis, & ita ulteriùs.*

Adde proposito media, quibus uti voles dicendo v.g. *Propositum facio, non legendi libros inhonestos, & in hunc finem eos combùram, quos possum: quos non possum, abscondam.* Similiter dic: *propono mihi cavere à malis consortiis, utque illud opere probem; dum alii me invitabunt, dicam, quod comitari non possim quod sim impeditus &c. propono omni octiduo confiteri, & ad hoc præstandum vincam hanc difficultatem,* hîc eandem nomina. *Propono cor abstrahere à creatura aliqua, quam amo inordinatè, & ad hoc exequendum propono illic non comparere, ubi illa persona moratur. Propono quotidie aliquam orationem mentalem peragere, & ad eam facien-*

dan

dam manè maturè è lecto consurgam, & curabo, ut ea inter opera mea diurna omnia primum locum habeat.

Exempla hæc sufficienter ostendunt, quomodo in aliis procedere debeas.

Quod si has minutias observaveris, confido, quod adjuvante divinâ gratiâ, fructum ex meditatione sis percepturus, id est, veritates æternas ità penetrabis, ità æstimabis ea, quæ ex mysteriis fidei & exemplo Christi sunt perdiscenda, ut voluntas ea, quæ facienda intellectus proposuit, sit amplexura: unde facto sic operandi proposito sequetur impletio illius, quod Deus & conscientia à nobis exposcunt. Dum hæc scribo, pulchra mihi methodus occurrit, quâ venerabilis mater Brigida à Jesu usa fuit pro explicando, quid tres animæ potentiæ memoria, intellectus, & voluntas præstent in meditatione. Fuit mater hæc fundatrix Domûs S. Ursulæ Placentiæ in quâ viget communitas, atque exercitia verarum ac solidarum virtutum, statque illa sub protectione serenissimorum Ducum Farnesiorum, & sub Regente modo Ranutio II. quam domum specialiter dono orationis Dominus ornavit. Illa itaque dicebat, orationem mentalem esse cœnam illam Evangelicam, ad quam omnis generis homines invitati fuerunt cæci etiam, muti, surdi, claudi: In sumptuosâ hac & basilicâ cœnâ varii inveniuntur cibi: quales sunt meditatio novissimorum, vita Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum; divinorum attributorum, omniúmque fidei mysteriorum: quotquot sunt studiosi perfectionis Christianæ, computantur pro invitatis & admissis ad cœnam: memoria & intellectus obeunt vices manuum, quæ cibos apprehendunt, id est, mysterium illud, quod una proponit potentia, & altera ruminat, & quale quidem ferculum magis allibuerit; Neque tantùm edulium hoc sibi retinent, sed & transferunt voluntati, aliter enim foret infructuosum; voluntas dein subit officium oris

& ſtomachi: oris quidem, cibum ſive myſterium guſtando, & ſapidum admittendo; ſtomachi verò partes agit, concoquendo medio calore charitatis & devotionis, convertendo eum in nutrimentum animæ: ex quo boni affectus in illam derivantur, quales ſunt, efficacia propoſita facienda non niſi opera pia & Chriſtiana, vincendi ſe & concupiſcentias ſuas, & in omnibus ſe ita gerendi, ut decet Chriſti ſequacem, conformiter ſuo ſtatui. Ità Virgo hæc doctâ cum ſimplicitate explicavit officium memoriæ & intellectûs, ordinantium actus ſuos ad hoc, ut voluntas propoſitas veritates amplectatur, & ſecundûm eas operetur. Hanc ego ſimilitudinem pro tyronis mei commodo inſerere volui acceptam à filia, quæ uſa eſt pro Confeſſariis Viris è Societate JESU eximiè doctis & ſpiritualibus, maximè P. Antonio Morandi magno Theologo & Dei Servo, quo ſedecim annis Confeſſario uſa fuit.

Meditationes dividuntur in tria puncta, quin & in quatuor & plura, ut qui meditatur, potiùs abundantiam quàm defectum materiæ habeat. Quòd ſi in uno puncto ſufficientem materiam ſaporémque inveneris, fruêre illo quamdiu libuerit, non progrediendo ad aliud; non enim eſt neceſſarium. A multis conſulitur, ut meditatio fiat obſeratis feneſtris, ad majorem animi recollectionem & ad fugiendas diſtractionum occaſiones. Interim nota, quòd ſi hæ tenebræ ſomni futuri eſſent occaſio; aut deficiente diſcurſu adjuvandus eſſes per inſpectionem meditationis, his certè caſibus utiliùs foret, lumen in cubiculum intromittere. Finitâ meditatione priuſquam è loco meditationis diſcedas, ora Pater & Ave, dein ſedens aut ambulans fac examen ſuper meditatione peractâ; ut intelligas ex te ipſo; an officio tuo in meditando functus fueris; an debitum motum ſenſeris, & unde hic provenerit: quis diſ-

curſus

curſus, aut rationes maximè animum tuum penetrârint, quæ feceris propoſita; in quo defeceris &c. Si horam meditando dederis, examen faciendum per horæ quadrantem; ſi mediam tantùm horam, per medium quadrantem, ut in diſtributione horarum videbis.

§. XXIII.

Remedia contra diſtrctiones & ariditatem.

VIdeatur P. Alphonſus Rodriquez Tract. 5. Duo ſunt præcipuè, quæ exercitantem in meditando turbant: primum ſunt diſtractiones, alterum ariditas; primum pertinet ad intellectum, alterum ad voluntatem.

Diſtractiones accidunt, quando meditans alienis agitur à materia propoſita cogitationibus, quales ſunt de negotiis, ſtudiis, amicis &c. Ordinaria harum remedia ſunt. *Primò* animo quieto ſe conferre ad meditationem, cum propoſito eum ſolidè meditationi applicandi; Dicendo ſibi: *Omnia tempus habent*: tempus negotiorum & ſtudiorum hîc non agitur; tempus hoc ad Deum & animam meam pertinet, hæc firma animi determinatio multum conferet, ut in meditando excludantur diſtractiones, aut non tam multæ incurrant, faciliúſque rejiciantur. *Secundò*. Sub principium meditationis firmiter ſtatuere, nolle deliberatè acceptare ullam diſtractionem. *Tertiò*. Ante ipſius initium immunitatem à talibus Deum rogare. *Quartò*. Dum jam acceditur, mentem ad Deum elevare per orationem aliquam jaculatoriam,

latoriam, ut diſtractiones arceat: Talis eſſe poteſt: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.* Aut: *Domine vim patior, reſponde pro me.* Vel: *Deduc me in viam rectam.* *Quintò*: Invocare nomen Jeſu & Mariæ, prout ad fugandum dæmonem invocari conſuevit, *Sextò.* Signo S. Crucis ſe munire. *Septimò.* Coram Deo ſe humiliare agnoſcendo diſtractiones ceu pœnam tepiditatis noſtræ, dicendo: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus, vel digna factis recipimus.* Vel: *Juſtus es Domine & rectum judicium tuum.* *Octavò.* In patientiâ reſiſtere diſtractionibus eas excutiendo; non omittendo propterea meditationem, verùm reſumendo diſcurſum interruptum. *Nonò.* Fiduciam in Deo collocare de obtinenda illas ſuperandi gratia. Remedia ſunt hæc aliqua, verùm neceſſarium non eſt, ut omnibus ſemper utaris, alia Director tuus ſuggeret. Ariditas intervenit, quando voluntas nullum experitur tenerum pietatis affectum, unde ſicca manet. Contra hanc proderit. *Primò.* Frequens uſus colloquiorum, quæ partus ſunt voluntatis, quæ frequentia in meditationibus à me poſita invenies. *Secundò.* Uſus orationum jaculatoriarum quarum & copiam ſuggero. *Tertiò.* Acceſſio ad orationem cum animo hilari & alacri, tanquam ad rem utilem & gratam; dum enim te ità diſpones per voluntatis propenſæ actus, Deus voluntati bonæ ſuccurret, eámque reddet mollem & tractabilem, tolletque ariditates. *Quartò.* Ut in decurſu orationis hoc ipſum petas à Deo, dignetur nempe ſiccam durámque voluntatem tuam emollire. *Quintò.* Uſus pœnitentiæ alicujus corporalis: *E. G.* Diſciplinæ ante orationem: tempore orationis geſtare cilicium: ſub ipſa terram oſculari &c. Quod ſi his non obſtantibus Deus te in ariditate relinqueret, reſigna te in manus Dei, atque hæc conformitas, quæ eſt voluntatis affectus, tibi erit utiliſſima, & Deo gratiſſima; ante

omni

omni noli propterea orationem omittere, aut tempus ejusdem abbreviare.

§. XXIV.

Quomodo lumina Spiritualia & proposita possint annotari.

SUprà insinuavi, quod una ex occupationibus exercitiorum sit,in chartâ notare proposita & lumina spiritualia; hæc occupatio magni æstimanda. Præter testimonia tot Magistrorum spiritualium adduco testes duos Viros sanctitate præcellentes. Primus est S.Augustinus, qui ita scribit in Psalm. 31. *Ego in Lege Dei meditor, si non die ac nocte, saltem quibus particulis possum, & meditationes meas, ne oblivione pereant, stylo alligo.* Secundus est S.Franciscus Xaverius, qui scribens ad P.Casparem Barxæum Virum magnæ pefectionis, quem supponens occupatum exercitiis Spiritualibus his literis alloquitur: *Tibi in hisce Exercitiis Spiritualibus versanti majorem in modum commendatum velim, ut, quas Deus (pro sua benefica consuetudine illuminandi accedentes ad se) animo tuo satagenti, quæ illi placent, intelligere, notitias infuderit, scripto comprehendas ad memoriam; nam & sic altiùs imprimuntur animo, actu ipso & MORA SCRIBENDI defigente, & si fortè ut ferè contingit, longa dies eorum imagines hebetaverit, aut planè aboleverit, eâ relectione commentariorum, quibus præsenti experimento consignatæ sunt, rursum tanquam recentes admoventur sensibus animi, dum illarum archetypa quodammodo ex ectypis reparantur, & tunc quasi vena iterum*

iterum reperta metalli, unde hauseris, scrutans ibidem profundiùs, novas opes eruet, pro fundamento utens altioris structuræ fastigio ipso detectorum. Circumfertur in linguâ gallicâ liber quidam inscriptus: *La retraite spirituelle Du R. P. Claude la Colombiere de la compagnie de Jesus.* Prædicatoris celsitudinis suæ Regalis Yorci nunc Reginæ Angliæ. Continentur hoc libello quæ Author scripsit mense illo, quem ipse dedit exercitiis spiritualibus S. Ignatii in tertio, ut vocant, anno probationis: incipit illum à dispositione animi, qua cum ingressus est solitudinem, & prosequitur eum annotando, quidquid in quavis meditatione ipsi accidit. Similiter describit remedia, quorum præsidio malas suas inclinationes voluerit corrigere, nec minùs industrias, quarum adjumento proposuit sibi in virtute proficere. Verùm quia existimabat perfectionem suam consistere debere in præscriptis à Religione suâ operibus juxta regularum apices peragendis, annotavit particularia sua proposita de perfecta earum observantia. Neque his ità in genere solùm propositis acquievit, verùm in specie notavit certas aliquas majoris momenti, & alias, contra quas subinde errare timebat, atque eas illibatè servandas pulchris se reflexionibus præmunivit. Nunc vos Religiosos maximè perspicaciori donatos ingenio alloquor, & quæro, cur vos non possetis insistere tam præclaris vestigiis? Nunquid simile capiendo consilium, præterquam quod tempus utiliter & cum delectatione transigeretis, omni anno, quo ad exercitia vos spiritualia confertis, idem faciendo libellum possetis conficere, in quo vestram ipsorummet manum subinde relegendo ad novos in via virtutis progressus vos possetis exstimulare? quantum equidem existimo, soliloquia S. Augustini sunt sensus illi pii, quos in oratione ipse concepit. Cardinalis Robertus Bellarminus annis & sapientiâ provectus, mensis illius spatio quem

quem omni anno exercitiis spiritualibus impendebat, unum ex libellis illis conscribebat, quorum etiamnum doctrinâ gaudemus. *De arte bene moriendi. De ascensione mentis in Deum. De gemitu columbæ* &c. Sæpiúsque ab eo, qui illud hausit ex ore Patris Danielis Bartholi, intellexi, quod libellus ille tam utilis de æternitate semper in consilium adhibenda, ab ipso scriptus fuerit tempore meditationis. Quo conjunxerit magnum illud ingenium suum & sapientiam cum fervore illo pietatis suæ & devotionis, qui tantorum, ut constat, bonorum author fuit. Ausim pro certo promittere, quod si quis de die in diem lumina à Deo accepta annotaturus esset, vel hoc solo magnos progressus facturus esset; uti & si minùs ampla à Deo lumina consecutus Deo se commendaverit, ut ipsum illuminet modò super veritate aliqua æterna, modò super mysterio aliquo vitæ Christi, aut Catholicæ fidei, deindéque dictata à Deo annotaverit, quod certum inde fructum percepturus sit: siquidem & ipsa annotatio requirit attentionem intellectûs & sic scribendo quotidie de rebus divinis, ipsum in spiritu proficere necesse est.

§. XXV.

Quis modus teneri possit in annotandis luminibus & propositis.

Modus annotandi lumina sua & proposita vix ad certum modum restringi potest verùm quandoquidem tironem docere institui, suggero sequentia: *Primò legendo libros spirituales discet, quâ ratione usi sint eorundem authores. Secundò possunt subinde aonotari per modum narrationis. ex. gr.* penetravi hanc veritatem, quod &c. Notavi in me hunc defectum, quod &c. volo uti tali remedio me emendandi fugiendo tales occasio-

nes, tales socios, volo talem instituere praxin devotionis, Volo sequi talem inspirationem. *Tertiò.* Potest alia illuc vice fieri ad modum gratiarum actionis hoc pacto : *O quantum mi Deus tibi obligatus sum, quod me de hac veritate erudieris.* Vel ad modum postulantis auxilium à Deo. Scribendo: *Quid mihi proderit ô Deus meus intelligere hanc veritatem nisi tu gratiam dederis illi me conformandi? adjuva me Domine, & ego conabor gratia tua cooperari*, potest & institui ad modum colloqui cum anima: *quid agis anima mea quid agis? Itane semper perstare in defectibus tuis nec te aliquando emendare voles? evigila tandem, & sincere age cum Deo tuo.* Aliter potes te ipsum inculpare hoc modo: *O me fatuum ac furiosum! ergone tam mei incurius vivam, ut negligam unicum ac verum bonum meum, & non attendam quid sit unicum ac summum malum meum?* Denique ad modum exhortantis seipsum. *Ex gr. Euge anima mea, cape animos dignos tuâ excellentiâ, noli timere defuturum favorem divinum, modo eundem non recuses:* Ex paucis his quivis facilè videt diversos notandi modos. Attendatur praxis servata in meditationibus libri hujus, & cui placuerit, poterit se ei conformare. Legat pulchras orationes, quæ subnexæ sunt officio parvo B. Virginis, alias ad ipsam B. Virginem, alias ad Jesum directas &c. Et inde disci potest utilis methodus. Pietas cujusvis à Domino adjuta faciet illum fœcundum : vide lumina à variis personis religiosis cum Spirituali simplicitate scripta, & sunt pulcherrima.

Dominus aderit.



§. XXVI.

Quomodo transigatur hora considerationis.

HOra considerationis est magnæ utilitatatis, & uti aliàs dixi, servit ad regulas ac doctrinas generales in meditatione expensas necessitatibus particularibus, quibus in statu suo quivis laborat, applicandas. Sciendum itaque, quod hora considerationis (uti ex ipso nomine satis liquet) aliter occupet exercitantem, quàm hora meditationis; non enim exigitur, ut illâ durante oratio instituatur, sicut in meditatione, ideóque adhuc minùs requiritur, ut in oratorio exercitans stet aut flectat, verùm tantummodo exigitur, ut intellectus nullâ habitâ ratione affectuum discutiat, perlustret, examinet statum vitæ habitualem, maximè circa dictamina rationis & inclinationes animi. Est hæc hora destinata ad agendum secum ipso syncerè, sine passione & simpliciter ad verè dignoscendum, quæ vitæ norma teneatur, id quod hoc tempore ad libitum sedendo aut ambulando præstatur. Foret autem utilissimum per viam examinis procedere, & se ipsum interrogare, nam hac familiari agendi methodo faciliùs comparatur, id, quod quæritur. Atque hanc methodum servavi uti videri potest in foliis considerationum huic libello inserendis. Quando porrò quis statum animæ suæ intellectu perscrutatus fuerit, debet procurare remedia malorum, & in bono se confirmare, & illa media definire, quæ finem ad hunc magis utilia ipsi videbuntur. Ponuntur autem à me puncta pro triplici differentia personarum, pro sæcu-

laribus nempe, pro Religiosis, pro Ecclesiasticis, non enim in iis possunt adduci nisi generalia & communia. Quare Directoris erit particularia excogitare, ad quæ tanquam necessaria exercitans descendere debeat. In statu seculari deprehenduntur, qui sunt equestris ordinis, Mercatores, Ministri rerum publicarum, Docti, Studiosi, Conjugati, Milites &c. In statu Religiosorum continentur, qui sibi & proximo, tum qui sibi solis vacant, tum hujus, tum illius regulæ, Novitii, professi austerioris aut mitioris disciplinæ, Laici, & non laici, spectant & huc moniales.

Ad statum Ecclesiasticorum pertinent Clerici & Sacerdotes, tam qui beneficiis præditi, quàm qui iis carent, Prælati & non Prælati omnibus autem præter communia proponenda sunt privata ipsis propria, quòd si non fecerit Director, sibi ipsi saltem nemo desit.

Antequam incipias, consulo ut divinam gratiam implores per *Veni Sancte Spiritus*, aut: *Mentes nostras quæsumus &c.*

Catalogus peccatorum positus pro juvandis iis, qui volunt confiteri generaliter, amplam dabit materiam pro hac horâ, quare illum poterunt perlustrare indéque capient fructum alterum, qui erit præparare se ad confessionem generalem. Vid. eundem num. 43.

Compendiosè proposuit S. Bernardus, quid horâ considerationis sit faciendum, inquiens, *redi ad cor tuum, & diligenter discute te ipsum: Considera, unde venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid omittis, quantùm quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectionibus frequentiùs tangeris, vel quibus tentationibus à maligno Spiritu magis impugnaris.* (De interiori Domo Cap. 14.) *Redite prævaricantes ad cor* Isaiæ 46. *Rectas facite*

in solitudine semitas Dei, omnis vallis implebitur, omnis collis & mons humiliabitur, erunt prava in directa & aspera in vias planas. Innuitur hisce, superari posse, quæ in quotidianis & consuetis operibus impediunt familiaritatem cum Deo, sive id fiat per excessum vitiorum, & ità omnis collis & mons humiliabitur, sive per defectum in virtutibus, & sic omnis vallis implebitur; idque certò eveniet, si invocato auxilio divino hac horâ seriò vitæ status consideratus fuerit. Bene feceris, si verba S. Bernardi descripta collocaveris ante te, ubi facilè ea possis ad renovandam memoriam inspicere.

§. XXVIII.

De reddenda ratione Conscientiæ.

INter cætera hujus temporis exercitia etiam est ratio conscientiæ reddenda Patri spirituali: qualis è Propheta Jeremia suaderi videtur his verbis: *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Quibus verbis insinuatur, ut sicut aquam ex hydria effundendo nihil aquæ adhæret testæ, dum è contrario aliquos liquores effundendo, uti vinum, oleum, similésve liquores, aliquid semper liquoris vasi adhæret, ità & in reddendo rationem conscientiæ Patri spirituali omnia expromenda sunt, ut nihil celetur, nihil abscondatur, idque ut ad decurrendam securè viam Dei adjuvemur. Itaque qui Exercitia obit, rationem reddat Patri spirituali tam de virtutibus quàm de vitiis, tam de bonis quàm de malis à se patratis, idque aut intra Confessionem, aut extra eam, prout ad commodum ipsius ac solatium visum fuerit. Sunt autem sequentia, de quibus reddenda ratio. *Primò.* Tentationes, passiones, inclinationes. *Secundo.* Opera bona, bona desideria, virtutes, usus orationis, mortifica-

tiones adhibitæ, inspirationes à Deo immissæ. *Tertiò*. Occasiones locorum, sociorum, occupationum, in quibus versatur. *Quartò*. Desiderium mutandi statûs, aut eligendi talem, siquidem nondum est in statu. *Quintò*. Norma quotidiana vitæ. Et quia is, qui reddit rationem conscientiæ, illam dat, ut dirigatur ad implendam voluntatem Dei, in hunc finem talem suî notitiam communicare debet Patri Spirituali, ut juxta eam in ipso dirigendo, & adjuvando prudenter possit procedere. Et cùm aliud non sciverit dicere, oret Directorem suum, ut tanquam Director animæ suæ dicat, quid conveniat facere ad salvandam animam. *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?*

§. XXVIII.

De usu Orationum jaculatoriarum.

Dixi superius, quòd tempore Exercitiorum multus sit usus Orationum jaculatoriarum: noto hîc, quod illis non sit tempus determinatum. Poteris illis uti toties, ac fieri potest: maximè quando ex Oratorio aliò vadis, aut dum aliâ occupatione non detineris. Orationibus vocalibus tempus suum assignatum est in distributione temporis. Pœnitentiæ corporales, quarum usus quidem præscribitur tempore Exercitiorum, debent adhiberi secundùm judicium Patris Spiritualis, nec ullæ assumi sine ipsius scitu & consensu.

§. XXIX.

De Conferentia Spirituali, dum multi simul ad Exercitia conveniunt.

Dum multi simul ad Exercitia spiritualia accipienda conveniunt, habetur conferentia: refert quivis in illa cum simplicitate illustrationem aliquam, quàm à Deo

Deo accepit, *Ex.gr.* veritatem aliquam, quam bene percepit; propositum aliquod à se factum &c. De hac agam in officio Directoris.

§ XXX.

Distributio Horarum pro tempore Exercitiorum.

DO sequentem Distributionem horarum, in qua series agendorum indies describetur: quam si observaveris præter fructum spiritualem, illud hinc referes, ut ad stuporem sinè fastidio tempus sit transiturum. Si quid circa hanc dubii occurrerit, propone Directori, qui facilè illud dissolvet. Non prætendo autem cujusquam conscientiam hîc stringere; nec enim sub veniali etiam peccato urget horum observantia.

DISTRIBUTIO PRIMA.

H*Orarum, tempore Exercitiorum spiritualium pro iis, qui utcunque adhuc rudes meditandi & peregrini sunt in Exercitiis spiritualibus.*

Dedimus corpori annum, demus animæ dies: impendimus tempora nobis, deputemus tempus Authori: Vivamus Deo paululum, qui sæculo viximus totum. D. Petrus Chrysologus Sermone 12. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* 2. ad Cor 6.

PRO TEMPORE MATUTINO.

Surgitur horâ.

Oratur vocaliter per quadrantem horæ, dicendo Orationes, quas ordinariè quis solet recitare.

Releguntur privatim puncta meditationis à Directore acceptæ per quadrantem.

Fit meditatio horâ per horam.

Fit Examen meditationis per quandrantem.

Notantur lumina spiritualia, & proposita per mediam horam.

Dicitur Matutinum cum Laudibus B. Virginis horâ.

Auditur Missa, & dum potuerit ac voluerit, communicabit; horâ

Fit lectio spiritualis horâ per mediam.

Privatim releguntur puncta meditationis per medium quadrantem, si meditatio fuerit mediæ horæ, sed per quadrantem, si meditatio futura sit integræ horæ.

Fit meditatio horâ per horam, vel per mediam.

Fit examen meditationis per quadrantem; aut verò per medium quadrantem.

Notantur lumina spiritualia, & proposita per mediam horam; aut per quadrantem horæ.

Recitantur horæ de B. Virgine usque ad Vesperas.

Fit Examen Conscientiæ per quadrantem, postea prandetur horâ

Si multi Exercitandi simul fuerint, conveniunt in unum cum Patre Spirituali, quocum spiritualem aliquam recreationem capiunt, quâ non dissipetur, sed paululùm tantùm relevetur animus, idque per mediam circiter horam.

PRO TEMPORE POMERIDIANO.

Finitâ recreatione memoratâ reditur ad cubiculum, & qui indiguerit, frui poterit quiete aliquâ : horâ quantò tempore Directori videbitur. Minimùm quam potest esse conveniret.

Accipiuntur puncta meditationis horâ quæ durabit, aut horâ aut mediâ horâ, prout Directori videbitur, qui reflectionem faciet ad vires exercitandi.

Releguntur puncta meditationis prædictæ in cubiculo privatim, aut per quadrantem, aut per medium quadrantem.

Fit meditatio horâ aut per mediam horam aut per horam, prout Directori videbitur.

Fit Examen meditationis aut per medium aut per integrum quadrantem.

Annotantur lumina spiritualia, aut per medium, aut per integrum quadrantem.

Fit Lectio spiritualis horâ per mediam horam

Visitatur Venerabile Sacramentum, vel devotum Sacellum.

Discutitur animæ status habitualis, & disquiritur, in quonam illa maximè indigeat emendatione. Adhibetur in hunc finem integra hora, quæ dicitur hora considerationis.

Recitantur Vesperæ & Completorium.

Accipiuntur puncta meditationis horâ

Releguntur puncta meditationis per quadrantem horæ

Instituitur meditatio per horam.

Annotantur lumina spiritualia, & proposita per mediam horam.

Recitatur Corona.

Cœnatur horâ.

Si multi convenrint simul, à Patre Spirituali devotâ recreatione distrahuntur, aut per quadrantem, aut per mediam horam.

Instituitur Examen Conscientiæ tum generale tum particulare.

Recitantur Orationes vocales, quas quis hoc tempore recitare consuevit.

Fit Examen Conscientiæ per quadrantem horæ. Aspersâ aqua benedictâ, itur cubitum.

Cui convenit; cum facultate Directoris utitur Disciplinâ.

DISTRIBUTIO SECUNDA.

Horarum, tempore Exercitiorum pro Religiosis, & Ecclesiasticis, iisque, qui in meditando sunt magis exercitati.

Media hora pro vestibus induendis : præparatione lecti, visitatione SS. Sacramenti, & lectione meditationis.

Hora pro meditatione.

Quadrans pro examinando successu meditationis.

Media hora pro annotandis luminibus & propositis.

Media hora pro Sacerdotibus, aliisque obligatis ad recitandas horas, pro dicenda earum parte, & pro præparatione ad Missam. Pro cæteris ad recitandam partem Officii Mariani, aut de Spiritu S. aliæque Preces vocales. Hi autem, qui obligati sunt ad frequentandum Chorum, illuc, & Laudes divinas loco Orationis vocalis decantabunt.

Media hora pro Sacerdotibus ad dicendam Missam, pro aliis ad audiendam.

Media hora pro lectione libri spiritualis. Pro Sacerdotibus autem quadrans pro gratiarum actione post Missam. Quadrans item pro lectione libri spiritualis. Qui tantùm communicat, poterit eundem ordinem servare.

Hora considerationis, quæ consistit in eo, ut quis mores suos discutiat, videatque, quomodo se gerat in præsentia Dei & hominum. Præcipuè qualia habeat dictamina intellectûs, quibus se conformat, quales affectus voluntatis, considerando minutatim id, quod habitualiter agit, initium faciendo ab hora matutina usque ad Vesperum. Quomodo statui suo conformiter vivat, potestque hîc componi Catalogus omnium actioum, & obligationum; quales sunt ex votis & regulis pro Religiosis: pro sæcularibus autem hæ, quæ sunt ex præceptis Dei & Ecclesiæ, nec solùm hæ, sed & obligationes, quæ aliunde incumbunt: quæ hîc omnia non possunt minuatim excuti.

Medius quadrans pro legendâ attentè Meditatione.

Media hora pro Meditatione.

Medius quadrans pro examinando successu meditationis.

Quadrans

Quadrans pro annotandis luminibus & propositis factis.

Quadrans pro Examine conscientiæ, quo discutiendæ cogitationes, verba, opera, omissiones temporis matutini.

PRANDETUR.

Post Prandium.

Una circiter hora pro distractione, qualis non debet esse, ut dissipetur devotio. Poteſt quis solus ambulare, aut opus manuale, ſive Exercitium corporale peragere, cavendum tamen colloquium titulo recreationis institutum de negotiis, quæ pariunt distractionem mentis.

Quadrans pro accipienda à Directore, aut in defectu hujus pro legenda meditatione suo tempore facienda.

Media hora pro somno, aut quiete illis, qui indigent; qui non indiget, aliud poteſt legere, quod non requirit multam animi applicationem.

Media hora pro lectione Spirituali.

Quadrans pro Sacerdotibus ad recitandam partem Officii divini. Qui non eſt Sacerdos poterit recitare partem Officii Mariani, aut Pſalmos Pœnitentiales, aut Officium S.Crucis. Obligatus ad Chorum, si commodè non possit habere exemptionem, pergat ad Chorum: & computet hoc tempus pro Oratione vocali.

Medius quadrans pro meditatione prævidendâ.

Media hora pro meditatione faciendâ.

Medius quadrans pro examinando successu meditationis.

Quadrans pro annotandis luminibus & propositis.

Hora considerationis.

Quadrans pro Sacerdotibus ad recitandam partem Officii. Pro non Sacerdotibus Oratio vocalis *e.g.* Rosarii.

Quadrans pro prævidenda meditatione.

Hora pro meditatione.

Media hora pro annotandis luminibus ac propositis.

Quadrans deambulando, si libuerit.

COENATUR.

Post Cœnam.

Mediâ horâ occupationes aptæ distrahere animum, sed quibus, ut dictum suprâ, non dissipetur devotio.

Quadrans pro accipiendis punctis meditationis, siquidem Directore utaris. Quod si talis tibi non fuerit, tibi ipsi de iis providebis, legésque, quæ manè die sequenti erunt meditanda.

Quadrans pro examinanda conscientia, super his, quæ die hoc acciderunt.

Quadrans pro exuendis vestibus, faciendâ Disciplinâ (si vires patiantur) & adeundâ nocturnâ quiete. moneo autem, ut indormire conetur cogitationibus de materia meditationis alterâ die peragenda.

§. XXXI.

De auditione Missæ, & visitatione Sacramenti pro secularibus.

ASsignavi in distributione horarum tempus pro audienda Missa: in ordine ad hanc debeo monere, quòd si secularis commoditatem non habeas eam domi audiendi, cures illam audire in templo maximè vicino: idq; ad vitandam occasionem distractionum, quæ accedere possunt extra cubiculum. Et in hunc finem non est morandum in via, nec discurrendum, nec curiosa lustranda: unde conveniens erit maturè domo exire, & vitare quemcunque, qui occasio distractionis esse posset: Quærendus quoque in templo locus secretior, ut tantò sis remotior à periculo alloquii. Quod visitationem Venerabilis Sacramenti attinet, si ad vicinam Ecclesiam subinde te conferre possis, facito: quod si deest opportunitas, Deum tantò ferventiùs congredere in cubiculo, flectendo versus Ecclesiam, ubi asservatur Venerabile Sacramentum.

§ XXXII.

Notæ circa prædictam temporis distributionem.

NOtare debeo, non esse, quòd scrupulosè angaris circa propositum temporis distributionem. Si illi te conformare non potes,aut ob indispositionem aliquam, aut quod *ex.gr.* es Religiosus, si ratio temporis tui non permittat facere omnia assignata; non est quòd de hoc labores. Age sincerè cum Deo, faciendo quod potes. Et omnia Deo placebunt. Et quoniam aliqui septem horas impendunt somno nocturno, alii verò plus, alii minùs, accommodandæ sunt horæ diei juxta horas somni dependenter à Patre Spirituali: quare reliqui spatium vacuum, & horas non determinavi, cum universaliter pro omnibus hoc fieri non possit: optem tantùm,ut animum inducas facere,quod potes,debes,& quod statuisti facere, priusquam Exercitia ordireris, ut ita non sit necesse tempus impendere deliberando de talibus: aliter enim distinendus esses dubiis super his punctis tum formandis tum dissolvendis, quæ jam ante decisa esse oporteret. Subinde etiam conveniet præponere aut postponere horas,ità exigentibus diebus festivis. In communi ordine designatæ sunt pro meditatione tres horæ de die; id quod factum, ut accommodarem me infirmitati incipientium. Si ampliora tibi posse videris,pone horam ubi notata est solùm media hora. Sed duplicandum tum etiam tempus pro prævidenda meditatione, pro examine post eam, & notandis luminibus ac propositis.

§. XXXIII.

De Lectione libri Spiritualis.

PAuca hîc mihi dicenda de lectione libri Spiritualis. Cura ut habeas libros devotos ac utiles. Viri docti in

hoc libro invenient loca ſacra Scripturæ, quæ applicari poſſint meditationi currenti, cúmque hæc devotè & attentè lecta fuerint, erunt ad animæ profectum, cùm ſint verba Dei. Alii utantur conſilio Directoris, aut Deo ſe commendent, ut ex ipſo etiam libro ſpirituali in meditando juventur. Libellus de imitatione Chriſti legitur ſemper cum compunctione; & quivis illo valet uti. Servit & omnibus liber Joannis Baptiſtæ Manni Soc. JESU, qui inſcribitur: Quatuor Regulæ Chriſtianæ Philoſophiæ: ſtatera temporis, & æternitatis Patris Euſebiii Nierenbergii Soc. JEſu: ubi in fine habet Indicem, in quo deſignat, quæ lectio de die in diem ex hoc libro, tempore Exercitiorum adhiberi poſſit. Simile ſubſidium invenietur in indice P. Pauli Segneri Soc. JEſu, qui inſcribitur: Manna animæ. Interim non intermittat Religioſus lectionem regularum ordinis ſui, conſiſtit enim perfectio ipſius in illarum obſervantia. Optimus foret liber vitæ Sanctorum, qui ſtatûs ejuſdem fuerunt: ſic pro Epiſcopis vita S. Caroli Borromæi. Et S. Franciſci Saleſii: vita Alexandri Luzzagò pro ſecularibus: vita Comitis Ubaldini pro adoleſcentibus &c. Liber Alphonſi Rodriquez eſt optimus pro Religioſis: caveat autem, ne à curioſitate & voluptate in legendo nimium ſe ſinat abripi; uti nec nimiùm ſinat ſe abſtrahi à cupiditate ſcribendi, aliàs enim horas rebus aliis aſſignatas ſuffurabitur.

Qui habuerit Chriſtianum inſtructum memorati P. Pauli Segneri, utiliſſimam materiam pro lectione Spirituali hinc poterit depromere. Ex diſcurſibus illius ſequentes annoto tanquam utiliores & magis accommodatos tempori Exercitiorum.

Pridie Exercitiorum poterit legi Diſcurſus tertius ex parte tertiâ.

Primo die Exercitiorum Diſcurſus ſextus ex tertiâ parte.

Secundo die diſcurſus 1 mus part, 2 dæ.

Tertio

Tertio die discursus ultimus part. 3tiæ.
Quarto die discursus 17mus part. 2dæ.
Quinto die discursus 18vus. part. 2dæ.
Sexto die discursus 5tus part. 2dæ.
Septimo die discursus 11mus part. 2dæ.
Octavo die discursus 9nus part. 3tiæ.
Nono die discursus 20mus part. 2dæ.
Decimo die discursus 9nus part. 2dæ.
Pro die post Exercitia discursus septimus partis 1mæ.

Sunt & alii libri, quos Author hic verè magnus, plúsque edidit, quos si exercitanti cum consilio Directoris legere placuerit, legere potuerit utiliter.

§. XXXIV.

Pro Religiosis.

QUoniam & pro Religiosis libruim hunc adaptavi, labore hoc quoque meo optem eosdem frui! Et quia difficultates aliquæ obmoveri possent, illis conabor hîc occurrere. Religiosi habent commoditatem cellæ, & claustri, est itaque ipsis provisum de loco secessûs opportuno quandoquidem hi, ad quos pertinet, veniam recollectionem faciendi ipsis concedere voluerint. Ut verò instruantur arte meditandi, quæ forte paulùlùm ipsis erit laboriosa, est autem una è præcipuis occupationibus Exercitiorum Spiritualium, erit ipsis utilissimum omni anno octo vel decem dies secessui huic impendere; sic enim Spiritus meditationis restaurabitur. O utinam superiores fructum, qui ex illis in subditos est emanaturus, bene perciperent, non modò non difficultatem illis essent facturi, dum ea peragere peterent, verùm etiam eos essent animaturi, incitaturi, exhortaturi, & tantùm non exoraturi, quin & signa ipsis

ipsis essent talia præbituri, ut subditi colligerent, magnopere ipsos sancto hoc ipsorum proposito delectari. Et ipsis quidem Religiosis, qui Divinam misericordiam in solitudine nonnihil experiri conarentur, quantum non illa adjumentum foret ad alleviandum disciplinæ Regularis jugum? Et quot non difficultates faciliùs superandæ? Effectum hunc in Religiosis nostræ Societatis per experientiam comperi, ausímque palàm dicere, orationem, quam faciunt, matutinam, secessum item juniorum singulis semestribus ad triduum, menstruum autem illum pro his, qui studia absolverunt, indispensabilem, item illum ad octo vel decem dies secessum singulis annis, communem omnibus, præcipuum esse ipsorum instrumentum, quod in regulari observantia eos continet, affectúsque inordinatos docet compescere. Hæc est vera ipsorum politia (quod posito affectu, ceu verissimum testari possum) quâ Respublica hæc conservatur, si quidem horum præsidio illa, quæ Deum inter & hominem se interponunt, ac perfectionem impediunt obstacula, è via tollunt, dum se continuò Regulis Evangelicis, ac veritatum æternarum cognitione præmuniunt, quarum virtute corroborati alacriter pro sua aliorúmque salute labores suscipiunt. Liceat hîc mihi Religiosas utriusque sexûs Personas compellare verbis illis dilecti Discipuli. *Scribo vobis Patres*, ita quidem compello vos Seniores in ordine, qui majori estis Dei notitiâ collustrati, *quoniam cognovistis eum, qui ab initio est*: Vobis, qui Novitiatu jam finito, votisque nuncupatis, mundum, carnem, Dæmonem pedibus supposuistis: *Scribo, vobis, adolescentes quoniam vicistis mundum.* Vobis qui adhuc in Novitiatu versamini, teneræ religionis soboles, quas Mater hæc Christo parturivit: *Scribo vobis infantes*; quoniam cognovistis, quàm bonus & dulcis vobis Pater debeat esse DEUS, amore cujus Parentes terrenos dese-

deſeruiſtis; *quoniam cognoviſtis Patrem. Scribo vobis juvenes*, vobis qui tanquam juventus efflorescitis, medii inter ſenes & infantes, atq; hinc melior ordinis portio, qui annos vitæ meliores agitis, ut Profeſſores ſcientiarum & ad gradus in artibus promoti. Scribo vobis juvenes, quoniam in vobis robuſtis meritò plus generoſi ad virtutem animi debet eluceſcere, *quoniam fortes eſtis*, *& verbum Domini manet in vobis, & viciſtis malignum*. Accedite animosè ad octo aut decem dies illos omni anno Deo bene conſecrandos. Facilè poteſt quiquis veſtrûm octo aut decem dies è duodecim menſibus decerpere, & ſi aliud tempus non foret liberum, ſaltem tempus vacantiarum poterit ſuccurrere. Pauculos hóſce dies date Deo atque animæ veſtræ: neque in animun. velitis inducere, tanquam quid inſolens exigatur, quod in oculos incurrat, quale quid poſſet æſtimari abſentia à choro: poteſt enim & ille ſimul utiliſſimè Exercitiorum tempore frequentari, poteſtque officii Divini decantatio computari pro horis aſſignatis orationi Vocali: poteſt & menſa communis frequentari, ſervando illud, quod cujuſvis ordinis diſciplina poſtulat: opportuniſſima eſt cella pro cæteris occupationibus, cujuſmodi eſt meditatio, lectio, Spiritualis, examen, conſideratio vitæ ſuæ ac morum, annotatio luminum ac propoſitorum, nec aliud faciendum ſupereſt, nisi ut tempore hoc abſtineatur ab officiis utcunque diſtractivis: à quibus immunitatem ſibi facilè ſciet procurare is; qui execitia obeundi ſtudioſus eſt; procurando ſibi qui ſuppleat, vel cùm Patris Spiritualis consilio ita omnia diſponendo, ut prædictum tempus poſſit libere animæ propriæ ſaluti impendi. Etenim ut paucis totum complectar, *quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

§. XXXV.

Difficultates, quæ obmoventur Religiosis ad-versùs usum Exercitiorum Spiritualium, & quomodo superandæ.

PRæcipua remora, quæ ut plurimum animas aliqua etiam Religiosorum maximè juniorum, & Monia[lium] um arcere solet, est timor apparendi exoticum ac sing[ula]rem: quo debili motivo deterriti sese ipsos privant ta[m] nobili ad perfectionem medio: Verùm ad hoc responde[o] quod, cùm Exercitia sint opus de se sanctissimum, à sum[mis] mis Pontificibus approbatum, nobili indulgentiarum i[n] obeuntibus concessarum thesauro locupletatum, à plu[ri]mis Religiosis, ac Monialibus variorum Ordinum fr[e]quentatum, non potest usus eorum pro perniciosa sing[u]laritate declamari, quandoquidem cum debita â Sup[e]rioribus dependentia proceditur, consensusque eoru[m] exquiritur. Quin & subinde non unus solum Religiosu[s] aut Religiosa, sed integræ communitates sub directio[ne] communis unius Directoris conveniunt, ut nulla tam[en] hinc nota particularitatis incurratur ab iis, dum conco[rdi] studio simul obeunt Exercitia, unde præstantissimi ef[fe]ctus sæpe consequuntur. Qui plura in commendatio[nem] Execitiorum spiritualium, & de eorundem praxi nô[sse] desiderat, legat librum P. Alphonsi Rodriquez Tract. cap. 25. ubi & multa ad peragendam Orationem ment[a]lem perutilia reperiet. Romæ simul â pluribus freque[n]tantur Exercitia spiritualia, à virginibus religiosis, nob[i]lissimi Monasterii dicti de Torredi Specchi. Bononiæ comprimis in eo, quod à IESU & Maria nuncupatu[r]. Parmæ & Placentiæ â Religiosis Ursulinis; similit[er] Cremonæ & alibi.

Occurrêre certæ difficultates illi, qui Moniales in E[x]ercitiis direxit, quæ quia ad me perlatæ sunt, quanqua[m]

fi

ſint debiliſſimæ, eas hic ponendas diſſolvendaſque putavi. Dixerunt itaque

1. Quòd Exercitia non conveniunt Perſonis rudibus & imperitis orandi, unde non ſint habituræ profectum. Ad quod *Reſpondeo*: curam hanc remittendam eſſe Directori, qui ſciet judicare, aptæne ſint ad orandum nec ne, quíque adjuvante divinâ gratiâ ſciet illas adjuvare, ut profectum capiant.

2. Quòd viribus non valeant: unde tam diu in orando perſiſtere, tamdiu jejunare, facere diſciplinas, aut genibus tam diu flexis durare nequeant. *Reſpondeo*: quòd penes Directorem ſit hæc omnia moderari, neque ab omnibus illa exigantur: certumque habeant, quòd in nullo S. Ignatius indiſcretus fuerit: neque Exercitia â tam multis frequentata, â tantis approbata fuiſſent, ſi prædictas actiones indiſcretas præciperent.

3. Quòd Exercitia ſint ſolùm occupatio propria Jeſuitarum, proindeque ſingularitatem, aut oſtentationem ſaperent, ſi alterius inſtituti Perſonæ ea amplecterentur. *Reſpondeo*: Dicta à veritate diſcrepare: nam Sancta Sedes illa declarat, eſſe apta omnibus fidelibus ad bene vivendum media, concedit Indulgentias omnibus, qui illa obierint. Et profectò nata ſunt magnum in ſpiritu profectum parere omnibus, quia ſcopus illorum eſt comparare ac diſponere animam, ut effrænes paſſiones homo domet, iiſque domitis bonam ſtatui, ad quem à Deo vocata eſt, conformem vivendi normam ineat, itáque ſalutem conſequatur. Qui finis an Jeſuitis ſolùm ſit proprius, an omnibus communis, non eſt neceſſe ventilare, Nemo eſt, qui non debeat paſſiones, motus, & concupiſcentias inordinatas refrænare, â quibus tot malis infeſtamur.

4. Quòd hæc futura eſſet novitas, & res inſolens, inducere Exercitia in Monaſteria, quæ illis faciendi non ſunt aſſueta. *Reſpondeo*: Fore novitatem, ſed

 ſimilem

ſimilem illi, cùm primum Miſſæ Sacrificium in Indiis celebratum eſt, verum novitatem nullo modo condemnabilem: cùm Exercitia à Vicario Chriſti approbata & in tot Religioſis domibus Italiæ & extra Italiam, idque cum fructu ſint frequentata. Verè Exercitia S. Ignatii non ſunt novitas, ſed Evangelicæ veritates, quæ methodicè ordinatæ diebus aliquot conſiderandæ proponuntur.

5. Quod abſque uſu Exercitiorum poſſimus ſalutem aſſequi, & ſanctitatem. *Reſpondeo* quod & abſque totaliis mediis illam poſſimus obtinere: quod ſine uſu roſarii, ſine ingreſſu in hanc vel illam Religionem, ſine abdicatione ſeculi ſalvi & ſancti evadere Poſſimus: non propterea hæc ſunt repudianda, quia media ſunt ad ſalutem & ſanctitatem conducentia. Idem dicendum de Exercitiis, quæ plurimum conducunt ad domanda paſſiones.

6 Amplius, inquiunt, requiritur quàm facere Exercitia quàm meditari &c. *Reſpondeo*, Quòd ſi hinc valeat illatio, dicam: amplius requiritur, ut quis ſit bonus Religioſus, & Religioſa, quam habitus Religionis, quàm cœnobium, quám chorus &c. Licet aliud rquiratur, ſcilicet: charitas, in qua ſita eſt ſanctitas, & perfectio, tunica tamen etiam exigitur, uti & cœnobium, & chorus, ſilentium & obſervantia regularis? eodem modo præter Exercitia, multa utique requiruntur ad ſanctitatem, ſed per hoc non eliditur, quò minùs Exercitia multum conferant ad ſanctitatem, & ad amplectenda libenter alia media quibus ad ſanctitatem enitimur, uti & ad tollenda obſtacula, quæ hanc impediunt; inter quæ cùm unum ſint noſtræ paſſiones, & ad eas ſubjungandas ſpeciali modo ſibi proprio & characteriſtico conducant Exercitia Quis non videt, quantum juvent ad acquirendam Sanctitatem: quantum non & juvant ad levius ferendam Diſciplinam

ciplinam domesticam; ad servandum silentium ,& ad hoc, ut quis in omnibus se communitati libenter conformet, ut se tractabilem & tranquillum præbeat? quantùm ad exactè obeunda munia Religiosi ordinis ? ad vivendum contentum iis ; quæ præbentur; quantum ad servanda ea, ad quæ vi votorum Deo obligamur? quantum ad toleranda æquo animo ea, quæ de die adversa occurrunt? & ad quid non? ad omnia memorata conferunt Exercitia S.Ignatii eorumque solitudo: paucis; juvant ad conservandam non ad destruendam Regulam atque Disciplinam

7. Quod pariant tædium: Et quod tædium, quæ melancholia decem diebus in solitudine degere? *Respondeo* contrarium monstrat experientia, dummodo rite obeantur. Tantùm abest, ut fastidium generent & scrupulos, ut dum Exercitans, maximè deposito peccatorum veneno per generalem confessionem, si tali indiguerit, longiùs in iis progreditur; tantâ afficiatur animi lætitiâ, ut nollet ex solitudine sua discedere, Itáque non modo non generent scrupulos, sed etiam pacem animæ scrupulosæ restituant.

8. Quod turbent observantiam Regularem & Disciplinam domesticam *Respondeo* quòd Disciplinam collapsam restaurent. Nihil enim eorum, quæ statui cujusque sunt propria, Exercitia S.Ignatii evertunt, verum expurgant, expoliunt, perficiunt. Seu vir nobilis fuerit, seu alterius sexus Domina, seu Eclsiasticus, seu mercator, seu maritatus, seu cælebs, nihil de statu cujusvis destruunt verùm succurrũt omnibus, ut passiones suas compescendo quivis Divinæ voluntati, ac statui suo congruenter vivat, & hâc ratione pertingat ad finem, ad quem Deus ipsum creavit.

9. Quòd hinc provocentur dicteria earum Personarum, quæ Exercitia non obeunt *Respondetur* facilè, quòd ser-

mones aliorum, dum cum debita dependentia bene agitur, cursum in bono non debeant sistere. Qui obit, & qui non obit Exercitia, libertate suâ utitur.

10. Quòd subinde non admodum magna morum correctio, aut constantia in bene cœptis advertatur in iis, qui Exercitia obiêrunt. *Respondeo* quòd si discursus hic subsistit, nec pœnitentiæ, nec S Synaxis Sacramentum frequentare, nec alia bona opera peragere necessum fuerit: Nam & ad vomitum, toties abjectum reditur: quod si emendatio non fuerit secuta post Exercitia, non est malum proveniens ab Exercitiis: culpa illius est, qui se iis non satis serio applicavit. Hoc non obstante, fructus inde proveniens, nunquam erit tam exiguus, ut non tempus iis impensum bene sit collocatum. Ad minimum status animæ non est deterior factus; passiones utcunque saltem sunt constrictæ; quæ non est pœnitenda correctio. Et quis scit, an non fortè ex illis Personis quæ Exercitiorum usum non approbant, una non subjecerit aliquid Exercitanti; unde sumpserit occasionem non se totam cum debitâ pace, & tranquillitate iis impendendi, qualis plurimum confert ad fructum ex iis hauriendum? Forté & sunt primæ vices, quibus se contulit ad Exercitia. Et quid damni, si primis vicibus non omnis fructus capiatur? frequentet omni anno, & tum experientiâ discet, quis profectus sit secuturus. De semine Evangelico sparso, aliud legitur fructum dedisse trigesimum, aliud sexagesimum, centesimum aliud. Sed quodlibet fructum suum protulit, quanquam inæqualem.

11. Quòd nonnulli in exercitiis sint infirmati. *Respondetur*: quòd & alii extra Exercitia in infirmitatem, imò & in mortem inciderint. O ridiculam objectionem! quàm diversis aliis è fontibus potuit hæc infirmitas promanâsse, & cur illa affingitur Exercitiis? cur non attribuitur servato indiscreto & illaudabili procedendi mo-

modo? maximè hæc iis adscribantur, quæ sinè dependentia à Directore facta sunt? si Exercitans sincere alteri miseriam suam manifestâsset, ille certè pro judicio suo avertisset, quidquid nocere poterat sanitati: tempus meditandi diminuisset, & amplius adjecisset quieti, forsan & imperâsset honestam aliquam distractionem, imò & recreationem. Interea omni modo contendimus Exercitia S. Ignatii in usum non posse deduci, cùm potiùs contrarium in pluribus Monasteriis videamus.

12. Quòd seniores, ætate & authoritate majores illa improbent. Amabo, an propter simile motivum in aliis etiam ceditur? Recusantur Exercitia spiritualia, quia ætate & authoritate digniores illa improbant: nescio an ex respectu seniorum, qui non approbant, quòd silentii legem transgrediantur, quòd magnâ temporis parte ad clathros cum secularibus confabulentur, quod minùs tempestivè ad chorum veniant, æquè hos defectus vitent, ac recusant S. P. Ignatii Exercitia ex se sanctissima ex eo solùm motivo, quòd seniores & in authoritate constitutæ obsistant ad urgendam tempestivam Chori frequentationem. An non in majori authoritate Superiorissima vel Pater spiritualis, quàm quævis alia Persona privata? quando ille vel illa approbant, non est, quòd absterreat prædictorum dissuasio: non ignoro, quantam hic respectus vim habeat ad absterrendum ab Exercitiis sanctis juvenes, & pusillas animas. Unde existimo, moneri à me debere hásce seniores, & in authoritate constitutas, ut bene attendant, quid consulant, & si quidem ipsi datâ occasione Exercitia, nescio ex qua præoccupatione animi, amplecti nolint, aut quâcunq; tandem ex causa, ea peragere nolint tempore, quo maximè illis congrueret; permittant saltē alias desiderio suo in sancta pace obsecundare. Cogitent, quid de duobus filiis Heli Sacerdotis scriptum sit

lib. 1. Reg. cap. 2. qui causa fuerant, cur multi Domin non offierrent victimas. *erat peccatum puerorum*, ai Spiritus Sanctus, *grande nimis coram Domino, quia ex trahebant homines a sacrificio Domini*. Hæc dicta hu jusmodi Personis sufficiant.

Sed quia fortè nonnulli etiam confessarii monasterio rum: sinistris ejusmodi Sermonibus permoti verentur u sum Exercitiorum horum apud Pœnitentes suas pro movere, optem tantùm hósce ipsosmet semel illa sub p riti alicujus Directoris instructione suscipere; & conf do, fore ut propriâ edocti experientiâ usum illorum pro pagent in monasteriis, nec recusaturos etiam credo ope ram P. trum Soc. JEsu, qui in hoc Spiritualium armorum genere (dicere liceat in simplicitate) multùm sunt exe citati, aut siquidem aliquid hinc sibi discessurum time rent per bonos hósce Religiosos, qui multis ab intentio ne ipsorum alienis suspicionibus subjiciuntur, adhi beant alium aliquem artis hujus peritum, quíque ben omnia explicare & exprimere noverit. Nec enim negai potest, quòd pro bono instructore plurimùm valeat bo na expressio: quo dono si confessarii aliqui ordinarii destitutos agnoverint ob defectum Exercitii, se per hc contemptos nullo modo arbitrari debent, si in altero ta lentum hujusmodi emicuerit: *Divisiones gratiarum variæ, & in eodem corpore omnia membra eundem act non habent*: inquit S Paulus: Neque in omni ordine Re ligioso omnes habent donum eloquii. Neque propterea qui illo caret, debet se æstimare contemptum per illum qui talento illo pollet, illùdque exercet! O quanti fru ctûs jactura fit, dum illius auxilium detrectatur qui scit, potest, vùltque succurrere. Hoc genus re cusationis simile est illi Judæorum timori. *Venient Romani & tollent Regnum nostrum*: Interea tot bon animæ, quæ magnum possent facere profectum, ob re spectum

ſpectum Paſtorum ſuorum illo debent carere. O miſeria compaſſione digna! non ità ſe geſſit S. Joannes Baptiſta adversùs Chriſtum.

Ante hujus prædicationem ipſe habebatur pro oraculo, poſtquam JESUS in Jordane baptizatus fuit, populus concurrebat ad ipſum audiendum Joanne relicto. Quid autem Joannes repoſuit, cùm de hoc conquerentur Diſcipuli illius? Ponam verba Sacri Textûs: & perpendat illa, quisquis in iis, quæ pertinent ad ſalutem animarum, urgetur Zelotypiâ adversùs eum, quem melioribus donis quàm ſe inſtructum advertit. *Venerunt* (Diſcipuli) *ad Joannem, & dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti ecce hic BAPTIZAT & OMNES veniunt ad EUM. Reſpondit Joannes, & dixit: Non poteſt homo accipere quidquam, niſi ei fuerit datum de cœlo. Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim: non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum: Qui habet ſponſum, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit cum gaudio, gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui.* Joan. 3. legatur attentè textus hic nobiliſſimus, plenus præſtantiſſimis ſenſibus de gloria Dei, & ſalute animarum abſque reſpectu ad vile illud commodum proprium.

13. Quid ſi & audires ab Exercitiis S.Ignatii abſtrahi nonnullos, factâ perſuaſione, quòd hæc ſit occupatio propria tyronum in via Dei, ſecularium, peccatorum, non autem eorum, qui in Spiritu jam profecerunt? verum eſt, quod & hac illuſione decepti quidam reperiantur, qui veritates ipſas fundamentales à Chriſto pro tenenda virtutis ſemita traditas auſint appellare Exercitium tyronum, ſecularium, peccatorum: Superi! nunquid felicitas noſtra eſt inſiſtere Chriſti principiis? felix, qui illa ſemper animo volverit ac revolverit.

Nunquam ſat penetrare poſſum altiſſimum finem propter quem Deus me condidit: Nunquam ſatis horrorem mortis, ac neceſſitatem puritatis, cum qua coram Divino tribunali comparendum eſt: nunquam ad claram ſatis cognitionem atrocitatis pœnarum infernalium pertingam, nunquã ſatìs agnoſcam, quas Deo gratias quotidie rependere ſim obſtrictus, quòd pœnas illas hucusq; evaſerim. Et forſan exigua horum recordatio animum meũ ſubivit. Bonum itaque fuerit memoriam horum inſtaurare ac renovare; cui innititur fundamentum bene vivendi, conſtans fuga & horror peccati mortalis cum amore Divinæ gratiæ, & Perſeverantiæ in eâdem uſque ad mortem. Atque hæc multò magìs dicta velim de iis, quæ ad vitam Chriſti, doctrinam ipſius, & exempla, ac potiſſimum paſſionem, mortémque Salvatoris ſpectant: quem hominum ſimilium ſenſum maximè aſpernandũ ſi ſequerer, me totius orbis arrogantiſſimum fore judicarem. Ne itaque, Lector chariſſime, ab amore Ignatianorum Exercitiorum hócce motivo te ſinas abduci. Motivum hoc nimis malè ſubſiſtit, plenum eſt faſtûs, vanitatis, ſuperbiæ, & arrogantiæ.

14. Dicunt alii. Semel illa obivi, ad quid illa omni anno repetere? *Reſpondeo.* Serviunt ad ſpiritum pietatis multum augendũ, ad infirmata occupationibus per anni decurſũ propoſita inſtauranda. Eccleſia omni anno commendat eadem vitæ mortíſq; Chriſti myſteria: proponit eaſdem omni anno Epiſtolas & Evangelia: omni anno è cathedra eaſdem ad emendationem vitæ ſpectantes veritates facit prædicari. Quid porro? Sol eundem omni anno curſum reauſpicatur, natura eaſdem tempeſtatum vices omni anno renovat, quia renovatio illa ad reperanda naturæ damna, ad novos fructus producendos eſt neceſſaria. Hæc applicemus nobis.

15. Quid illic quærendum, dicunt alii? an ergo

Exer-

Exercitiis finitis sancti evademus? *Respondeo.* Ad sanctitatem in illis disponêris,& adjuvaberis meditando veritates æternas per intellectum, & reaccendendo per affectus voluntatem; Deo te per orationis studium prolixiùs commendando, vel ab occupationibus te separando: Quod si autem nolueris vivere, uti Deus tibi vivendum ostendit, imputare debes voluntati propriæ, non Exercitiis spiritualibus. Illorum est disponere ad ea, de quibus sæpè supra dictum est, reliqua tuum est perficere Divinâ gratiâ cooperante: tu si cooperari non volueris: suggeri tibi poterit illud Prophetæ *perditio tua ex te*:de exercitiis autem *in me auxilium*, ut non pereas. Hæc autem Philosophandi, aut potius paralogizandi methodus probare posset ad Deum neque per orationem, neque per Sacramenta accedendum esse, nec medico, nec medicinis etiam utendũ esse; quoniam nec prima te immutabiliter sanctum faciunt; nec secundùm stabilem tibi sanitatem confert contra inordinatum vivendi modum, quem tenere eligis.

16. Multis annis vixi Bononiæ, ideóque ad Personas Religiosas alibi degentes corroborandas referam; Quid Exercitiorum Director unus è societate variis in monasteriis promoverit: Duo ipse inviolabiliter servavit: Primò ut nec acum ab ipsis in donum admitteret. Secundò ut nec unius Religiosæ Directionem susciperet extra tempus Exercitiorum: dum autem tempore exercitiorum Directionem earum admittebat, commendabat eis singulariter dependentiam à confessario ordinario, à Præposito legitimè ipsis assignato :monitumque,quod comprimis imprimebat, fuit, ut agnoscerent Deum in confessario. Siquidem quantum vis subinde in Persona illius non essent reperturæ satisfactionem etiam circa Directionem spiritûs desideratam, Deus tamen ipsis esset astiturus. Has sibi præfixas binas regulas accuratè servando suspiciones binas sustulit, quæ faciũt magnas umbras:

pri-

primam affectati commodi proprii. Secundam tollendæ hoc pacto Confessario directionis ordinariæ circa Religiosas suas pœnitentes, Itàque comprobavit spectare se unicè profectum Religiosarum, nihílque præterea. Monasteria in quibushoc modo laboravit : fuerunt S. Jacobi & Philippi:S.Ludovici. S.Bernardini:S. Joannis Baptistæ; S. Mariæ novæ. Ss. Trinitatis: S.Ursulæ: S. Homoboni: S,S.Gervasii & Protasii : Jesu & Mariæ. Contradictiones & adversarii ipsi non defuerunt, verum cooperante Deo superavit, & sustulit.

17. Cùm laudabilissimè locutus sim de Monasterio JEsu,& Mariæ, credo gratam fore informationem de modo,quem servant in obeundis exercitiis S.Ignatii.Do- itaque illum; bis de anno Religiosæ hæ obeunt Exercitia: primò in Aprili, deinde in octobri, tantâ quidem cum satisfactione, ut ad tempus illud suspirent, dicántque palàm: quòd istud sit corporum suorum, atque animarum restauratio, existimant enim octiduanam aut decendialem in Deo solo quietem felicem esse recreationem non onus: ità ut si quædam ob incidens aliquod impedimentum temporis hujus secessu privari debeat, affligatur, illudque alio tempore recuperare satagat: in tres classes consequenter distinguuntur, & certus cuilibet numerus ità exigentibus officiis assignatur; si enim simul ac semel omnes Exercitia obirent, non implerentur officia. Posteaquam Mater admonuit, quænam Exercitia sint ingressuræ:interiorem ingrediuntur Ecclesiam, & ad pedes altaris omnes flectunt. Interea devotissimè è choro decantatur *Veni Creator*,quo finito,mater aspergit omnes aquâ benedictâ,cuivis porrigit Crucifixum,dein velo singularum oculos obvelat,quod decentissimè à vertice per faciem descendens vultum cooperit. Quo actu admonentur modestiæ oculorum, Exercitiorum tempore comprimis observandæ. Dein præ-

eunte

eunte unâ, quæ crucem præfert, cum Processione, quæ componitur ex omnibus Religiosis devotè Litanias insonantibus, ducuntur ad cellulas suas Exercitandæ: cæteris interim subsistentibus, & cantantibus in ambitu Dormitorii,in quo cellulæ Exercitantium; omnes cellas Mater ingreditur,eásque lustrat aquâ benedictâ. Deinde singulæ obvelatæ flectunt genua, & cum magna humilitate in præsentiâ ceterarum ex ordine dicunt culpam suam: Quo peracto processio regreditur ad Ecclesiam, aliæ autem suo in cellas ingressu declarant, quòd Exercitia auspicentur. Hæc pietas tantæ est ædificationis,ut ipsæ Religiosæ confiteantur, se semper compungi,teneróque pietatis sensu affici, quantumcunque eandem reiteratam videant. Per decursum septimanæ semper oculos velatos servent sive ad chorum pergendum, sive ex alia necessitate palàm in monasterio comparendum: quod velum cùm subtilissimum sit, nihil incommodi affert,& cùm decentissimum, movet ad venerationem; porrò in signum humilitatis hoc tempore consueverunt suas in choro stallas permutare: unde Mater tempore Exercitiorum locum inibi postremum occupat, & ita consequenter singulæ juxta gradum suum. Dicunt hoc tempore culpam suam in Refectorio de aliquo defectu juxta directionem Directoris & Matris; summa quoque cum alacritate varios illic actus humilitatis obeunt *ex.g.* ceterarum pedes osculantur &c. Quod summopere ædificat, non tam propter operis arduitatem,est enim facillimum, nihilque sanitati præjudicat, quàm propter protestationem illam publicam, quâ se ceteris viliores ac imperfectiones declarant. Quod insinuare volui ad tollendam Personarum phantasiam, quæ audito nomine publicæ humiliationis exhorrescunt,hanc damnant, & detestantur. Interea cum gaudio & alacritate in monasterio Jesu & Mariæ, quod nobilibus filiabus abundat, & in

aliis tales publicè decenterque,& cum proprio profectu, atque aliarum ædificatione exercentur. Superi! quando res capiuntur, ut decet, dum gladius non acumine sed manubrio prehenditur, quantum differunt judicia, affectus & effectus! Denique finitis Exercitiis, in processione rursus progrediuntur ad Ecclesiam interiorem,ubi voce unanimi intonant *Te Deum laudamus*, quo finito Mater velum,quo singulas velaverat,ab oculis earum levat;& factis dein orationibus aliquibus communitati restituuntur. Hoc exemplo prælucent Religiosæ illæ verè Exemplares in civitate Bononiensi, pro qualibus habentur ab omnibus,vivuntque in communione; & obtentâ dote suâ,ac moderatâ suppellectile,nunquam deinde cognatos suos inquietant. Regula ipsarum est suavissima, mores humanissimi, verùm omnia juxta dictamina vitæ Spiritualis studiosæ sunt orationis mentalis, frequentes in adeundis Sacramentis,charitatis,vinculo inter se conjunctæ, exactè erga Præpositam obedientes. Quas minutias hîc commemorare volui, ut Religiosæ aliæ hæc narrari audientes videant,quàm quietæ ac contentæ vivant Domicellæ etiam teneræ ac nobiles lumine veritatum æternarum illustratæ. Constantiam suam in observatione Regularis Disciplinæ ipsæmet secundùm gratiam Dei refundunt in usum Exercitiorum S. Ignatii. In quibus infirmitatulas illas, quibus, ut fert natura humana, aliquo modo obnoxiæ fuerunt, solerter corrigere student: unde quia earum defectus callum nequeunt obducere; omni semestri renovatur earum devotio, regularum observantia, ac virtutis studium, amorque vitæ communis, seclusa omni particularitate instauratur. O inæstimabile Monasteriorum beneficium, ubi hoc vivendi genus servatur: verùm omnes Religiosæ hoc fructu gaudere possent, modò vellent: etenim si omnes (loquor de his, quæ non vivunt in communione bono-

bonorum) illa unde vivunt in particulari, annuum nempe reditum, aut quod opere manuum lucruantur; syncerè ac generosè cederent Præpositæ, è multis bursis unicam conficientes, unde provideretur omnibus, pariformiter possent sustentari ac gubernari. Et quot tollerentur imperfectiones! quantæ amoverentur inquietudines! tolleretur omnis mundanæ vitæ Species, quam alterum præ se fert; quàm ferventer se Deo Virgines offerrent! quantò feliciùs assequerentur finem, propter quem mundum deseruerunt! utinam illâ pollerem authoritate, ut fidem apud omnes Religiosas invenirem, omnibus conarer inspirare desiderium felicitatis illius, quam vita communis secum affert: posśetque hæc facilè sine omni violentiâ introduci, modò quælibet eligeret abdicare & sacrificare Deo, ac bono communi particulares aliquas affectiunculas, reculas ac respectus, unde unicè profectò tam magnum animæ, corporisque commodum impeditur. Scio, quòd in quodam monasterio propositâ veritate persuasa quædam præclarorum talentorum Religiosa, quæ amplo gaudebat proventu annuo, corde à Deo tacta omnia pertulerit ad Præpositam: quo succursu facto provisum est omnibus, & introducta communitas, qualis hodiedum isthic floret, plures enim secutæ sunt exemplum alterius, & paulatim vixērũt contentissimæ, manibusq; palpârunt, quàm facilè à Religiosis possit communitas vitæ observari. Totus rei cardo in hoc vertitur, ut ipsæ velint, si voluerint, omnis difficultas est applanata; si noluerint, quidquid dictum, quidquid actum fuerit, in vanum recedit. Ad hoc ipsum autē volendum plurimùm conducit, obire Exercitia S. Ignatii: nam, consideratis illic veritatibus æternis, intellectoq;, quòd tã grandi bono privent passiones & affectiones nostræ, statuerēt tales abnegare, & Deo ac sanæ rationi consecrare, dumq; ad regulas bonæ electionis, quæ in illis traduntur,

legen-

legendas pervenirent, persuaderentur eligere vitam communem. Verùm de his ex incidente dictum satis. Religiosæ superiùs memoratæ de Jesu & Maria fuerunt fundatæ operâ servi Dei, PatrisGeorgii Justiniani Soc. Jesu. A viro hoc assueto vivere in perfectâ communione, & usu ExercitiorumS. Ignatii, unum simul atque alterum adjumentum retulerunt.

§. XXXVI.

Responsio ad quasdam interrogationes de Exercitiis Spiritualibus.

VIdeor mihi dixisse, quantum sufficit pro parva aliqua informatione de eo, quid sintExercitia spiritualia S. Ignatii, & quomodo instituantur. Interim cùm aliquæ supersint minutiæ, quibus singulis caput integrum non poterat congruè aptari, sub uno hîc titulo quæstionum, eas comprehendo. *prima ergo sit; qualis solitudo est necessaria pro eo, qui se occupare vult Exercitiis S. Ignatii? Respondeo* talis per quam liberemur â negotiis, quæ distrahunt mentem ab inspiciendis rationibus, ac statu animæ; cujusmodi sunt studia, scriptio literarum, cura rerum domesticarum, tractatio negotiorum &c. Occupationes etiam alioquin sanctæ aliquæ, directæque ad salutem proximi sunt omittendæ: uti continuatio missiouis Apostolicæ, doctio scholarum, & similia; exceptis casibus, in quibus prudentia, & charitas dictat, oppositum esse faciendum, & Christum relinquendum propter Christum. Et hæc observant Patres Soc Jesu.

Secunda. Qualia opera pœnitentiæ possunt adhiberi tempore Exercitiorum; Respondeo quòd in consilium adhibendus sic Director, dúmque talis non suppetit, attendat Exercitans, ne excedendo vires debilitet, valetudinémque ad meditandum, & alia majoris momenti necessa-

riam frangat. Dum interim contrarium non fuerit suasum à Directore, poterit horâ unâ aut alterâ gestare cilicium, aut catenulam: poterit per miserere unius spatium adhibere Disciplinam, verùm non aculeatam, quæ eliceat sanguinem, poterit abstinere à cibo magis delectabili: Sæpius terram osculari ac similia. Somno necessario noli te fraudare, necessario inquam, non superfluo; S. Dominicus Catharinæ alicui, quæ primum vitiis infamem postea virtutibus spectabilem vitam egit, suasit, ut carnem quotidie centum quinquaginta vicibus pungeret premeretve unguibus.

Tertia. Cur statuuntur tres horæ pro meditando, cur manè pro prima meditatione assignatur integra hora, & deinde pro secundâ meditatione hora media? Et econtra pro prima meditatione à prandio cur statuitur media hora, & deinde postea priùs integra hora. Respondeo: non aliam ob causam, quàm quia supponitur, manè caput esse magis vegetum, ut quod recenter per nocturnã quietem est restauratum, ideòque major labor hoc tempore imponitur; & è contrario supponitur post prandiũ caput magis inflammatum aut vaporibus à sumptis paulò ante cibis oppletum, meliùs autem dispositum ante cœnam esse: ideóque à meridie primæ meditationi assignatur tantùm media hora, alteri autem integra hora.

Quarta Quæstio. Quomodo se debet gubernare Exercitans, cui non est Director. Respondeo. Quòd quia præcipuum, ut infra videbitur, officium Directoris est, assignare & explicare meditationes, officium illud in se ipso debeat implere is, qui caret Directore, ordinémque meditationum in fine ponendum poterit adhibere. Ubi observari peto, quod sicuti is, qui utitur Directore, suo tempore ipsius explicationi debet auscultare, ità Exercitans eodem carens, alterum tantum temporis impendere debeat eidem sibi enucleandæ, idque eo tempore juxta

distributionem horarum superiùs positam, quo auditurus esset Directorem, Interea dum Directorem suî ipsius agere cogitat, commendet se Deo & pro auxilio ipsius obtinendo dicat; *Domine hominem non habeo, dirige in conspectu tuo viam meam*.

Quinta Quæstio. Si quis prætendat, non Posse sese meditari, neque attentionem intellectûs obtinere, quid talis faciet? si tantùm voluerit, facilè adjuvabitur meditationibus infrà positis. Sunt (ut inquit P. Suarez de meditationibus ex Tomo IX. sancti Augustini) ita factæ, ita digestæ, ut tiro aliquis inde possit carpere utilitatem si præmissis præparationibus prælectâque debita cum diligentia meditationis instituendæ materiâ, oculos apponat ad chartam, in qua meditatio est descripta, eámque lentè perlustret, sistendo ubi lineolas invenerit, atque hoc pacto totum tempus assignatum consumpserit: quod si tempus redundaret, redeat ad præcedentia, præcipue ea, per quæ se moveri sensit: atque hâc ratione optimam peraget meditationem

§. XXXVII.

Quomodo possit quilibet Exercitiorum dies offerri in unione operis alicujus Christi.

Optimum erit quamvis diem Exercitiorum offerri Deo in unione actionis alicujus Christi: quomodo autem illud fieri possit, hìc insinuabo,

Pater Joannes Suffren pius Author è Societ. Jesu suadet primum diem uniri cum secessu, quem JEsu pe

per novem menſes fecit ingrediendo uterum Virginalem ſanctiſſimæ matris ſuæ.

Secundum cum eo, quem fecit naſcendo in ſtabulo Bethlemitico.

Tertium ſuadet offerri in unione illius, quem fecit in deſerto, jejunando quadraginta diebus.

Quartum in unione illius, quem tenuit in Nazareth quando duxit vitam mundo abſconditam, ſubditus Mariæ & Joſepho.

Quintum in unione illius, quem fecit in Civitate Ephrem, quò cum Diſcipulis ſuis confugit relictâ Judæa.

Sextum in unione illius, quem fecit in monte Thabor, in quo fuit transfiguratus.

Septimum in unione illius, quem habuit in monte, in quem pergebat ſolus noctem ducens in orationе.

Octavum in unione illius, quem fecit nocte ante paſſionem ſuam in horto Gethſemani.

Nonum in unione illius, quem corpore relicto in ſepulchro, anima habuit ad limbum deſcendens.

Decimum in unione illius, quem totâ die ſervat in auguſtiſſimo Sacramento abſcondens ſe ſub ſpeciebus panis.

Induſtria hæc præter meritum unionis cum actionibus Christi, valet ad diſſipandam omnem nauſeam ac faſtidium. Quâ enim ratione tædio poſſit affici, qui notatos Chriſti receſſus recordans, cogitat ſe etiam talem obire in Societate & comitatu Chriſti?

Poteſt prædicta induſtria facilè dilatari. Primò enim poteſt primus dies uniri cum meritis infantiæ Chriſti: Secundus cum meritis Chriſti pueritiæ. Tertius

enim meritis adolescentiæ ipsius. Quartus cum merritis dierum quibus jejunavit. Quintus cum merito temporis, quo prædicavit, Sextus cum merito temporis, quo perambulavit vicos & civitates. Septimus cum tempore, quo internis doloribus cruciatus fuit. Octavus cum merito dierum, quibus externos passus est dolores. Nonus cum dolore agoniæ ipsius, Decimus cum doloribus acerbissimæ mortis.

Secundò. potest primus dies uniri profusioni sanguinis Christi factæ in circumcisione. Secundus profusioni factæ in horto. Tertius sparsæ ab alligato ad columnam. Quartus. Factæ in spinea coronatione. Quintus factæ à perforatis clavo manibus sanctissimis. Sextus factæ à sacris pedibus clavo terebratis Septimus factæ ex lancea percusso latere. Octavus in unione lacrymarum quas profudit in cruce. Nonus in unione derelictionis, quam sustinuit à Discipulis. Decimus in unione derelictionis à patre.

Tertiò potest uniri primus cum merito humilitatis Christi, Secundus cum merito obedientiæ. Tertius cum merito paupertatis. Quartus cum merito castitatis. Quintus, cum merito charitatis. Sextus cum merito patientiæ. Septimus cum merito modestiæ. Octavus cum merito mansuetudinis. Nonus cum conformitate ad Divinam voluntatem. Decimus cum amore, quo erga animam ipsius Exercitantis accensus fuit.

Tertiò. potest primus dies offerri Deo in gratiarum actionem pro Beneficio Creationis & Conservationis, Secundus pro beneficio Redemptionis. Tertius pro beneficio Sanctificationis. Quartus pro exhibita longanimitate in perferendis peccatis. Quintus pro datis inspirationibus, Sextus pro bonis exemplis, quæ in salutem

lutem nostram excitavit. Septimus pro concessa commoditate & occasione bene operandi: Octavus in gratiarum actionem pro eo, quod nos in gremio Matris Ecclesiæ nasci & educari fecerit. Nonus pro oblatis occasionibus sæpe confitendi, communicandi, audiendi Missam &c. Decimus pro omnibus beneficiis nobis incognitis.

Quartò. Poterit primus dies offerri ad obtinendum gratiam vivendi conformiter fini creationis nostræ. Secundus ad obtinendam gratiam serii doloris de peccatis & syncerae confessionis. Tertius ad obtinendum auxilium contra tentationes Dæmonis. Quartus ad obtinendum robur contra respectum humanum. Quintus ad idem impetrandum contra passiones nostras. Sextus ad obtinendam abstinentiam pro fuga malorum sociorum. Septimus ad obtinendam gratiam non peccandi per occasiones, quas secum ipse status alicujus invehit. Octavus ad impetrandam malorum exemplorum fugam. Nonus ad impetrandam gratiam residuum vitæ tempus bene collocandi. Decimus ad adipiscendam gratiam non abutendi misericordiâ & gratiâ Divinâ

Quintò. Poterit pro quolibet etiam die adoptari aliquis é sanctis pro patrono & protectore Exercitiorum præter Beatam Virginem & Angelum tutelarem, pro primo quidem die SS. Apostoli ut tibi impetrent fidem vivam in Christum. Secundo Ss. Evangelistæ, ad obtinendam gratiam bene capiendi Regulas doctrinæ Christianæ in Evangeliis propositas. Tertio Ss. Virgines ut amorem puritatis tibi impetrent. Quarto Ss. Doctores, ut impetrent tibi usum bonum intellectû à Der concessi. Quinto Ss. Confessores, Ut obtineant tibi gratiam constanter in Exercitio Christia-

narum Virtutum perſeverandi. Sextò SS. Eremitæ, ut tibi impetrent Spiritum mortificationis & pœnitentiæ de peccatis tuis. Septimò SS. Martyres, ut tibi impetrent gratiam non erubeſcendi in publicâ profeſſione hominis Chriſtiani & devoti. Octavò SS. Reges & Principes, ut tibi concilient contemptum mundanæ vanitatis. Nonò Sancti, qui fuerunt ſtudioſi vitæ contemplativæ, ut pro te gratiam exorent omni die mentem in rebus Divinis defigendi. Decimò Sancti iſti, qui ejuſdem fuerunt ſtatûs, in quo tu verſaris, ut tibi gratiam impetrent Virtutes illorum imitandi.

Sextò. Poteris omni die diſtinctam facere Pœnitentiam ad impetrandam gratiam hoc Sacrum Tempus bene impendendi. *Primò* quidem: Triginta tribus vicibus terram oſculari in memoriam triginta trium annorum, quos Jeſus in terris tranſegit. *Secundo*: Geſtare per tres horas cilicium in memoriam trium horarum doloroſæ agoniæ Chriſti. *Tertiò*: Flagellare corpus, ictusque omnes referre ad honorandam Chriſti flagellationem ad columnam. *Quartò*: Abſtinere à quodam cibo grato in honorem fellis à Chriſto delibati. *Quintò*: Abſtinere à vino in memoriam aceti Chriſto propinati. *Sextò*: Recitare quinque Pater & Ave flexis nudiſque genibus in honorem Orationis Chriſti in horto. *Septimò*: Jejunare in honorem jejunii Chriſti. *Octavò*: Tribus diverſis temporibus recitare tria Miſerere expanſis in Crucis modum brachiis in honorem manuum Chriſti Cruci affixarum. *Nonò*: Si fueris ſecularis, erogare aliquam eleëmoſynam; ſi Religioſus, ſpoliare te aliquâ re ſuperfluâ, in honorem JESU nudi in Cruce pendentis. *Decimò*: Incommodationem aliquam cubationis in lecto quæ-

rere

tere in honorem Christi, cui crux durissimus lectus fuit.

Omnes hæ minutiæ valent ad excitandam devotionem (quæ debet esse anima Exercitiorum) pro omnibus quidem, sed maximè pro tironibus, quorum commodo scribo. Interea quis dubitet, quin meliora hi ipsi perinde, atque expertiores inventuri sint? Idem suppono & opto.

§. XXXVIII.

Invitatio omnium secularium ad Exercitia quot annis obeunda.

REdeo ad seculares, à quibus desiderem omni anno semel Exercitia spiritualia frequentari. Hoc peto à Nobilibus, à Domicellis ac matronis, à Mercatoribus, Literarum Professoribus, à Senatoribus, & nescio à quibus non; peculialiter autem ab iis, quibus majorem Deus contulit capacitatem, maximè ingenii, sapientiæ ac prudentiæ! O quot veritates æternas lumine Divino irradiati perspicerent, quæ ipsis omninò novæ erunt, quia animo pertractatæ non fuerunt! *Non est qui recogitet.* Undenam sanctitas præstantissimum illud hominis ornamentum tam paucos, inter mortales, sui procos nanciscitur? *Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Eccur non in qualibet civitate ampliore posset erigi domus Exercitiis Spiritualibus frequentandis destinata? Tot monimenta ad Christianam pietatem nutriendam laudabiliter excitantur, & cur non hoc æternæ pietatis monimentum, domicilium aliquod, ad quod possint fideles confugere ad ruminandas Evangelicas veritates posset excitari? in Francia reperitur civitas Bri-

tanniæ dicta Vannesium: *in eadem Societas Jesu Domum habet unicè destinatam Exercitiis, semper patulam recipiendis, quotquot de Regno ad eadem peragenda confluũt: quorum numerus tam est frequens, ut omni anno eorum numerentur aliquot centeni An.* 1665. *accessit ille ad sexcentos. An.* 1666. *numeratæ fuerunt Personæ omnis generis & conditionis homines ultrà octingentas & quadraginta: partim de statu Ecclesiastico Episcopi, Vicarii, Canonici, Parochi, Concionatores, Missionarii, Confessarii, Regulares variorum Ordinum magno numero: de statu seculari, Domini de Parlamento, Magistratus Civitatis, Marchiones, Comites, Barones, Gubernatores, Capitanei, Judices, Advocati, Procuratores omnigenæ. Accedúntq; è locis ad triginta & plures leucas dissitis, modò tempore Verno, modò in Autumno, alii pro commoditate sua, diversâ anni tempestate. Memorabilis porrò est methodus, quâ convocantur: sub initium anni imprimitur Index dierum statutorum, quibus inchoantur Exercitia pro qualibet classe: Promulgatur ille à Prædicatobus è cathedra, à Parochis ad aram, à Confessariis Pœnitentibus suis, præmittiturq; fama impressis foliis per Provincias. Viginti sunt eorundem vices; id est, binæ omni mense, excepto Octobri, qui vacat ob ferias autumnales. Duæ item septimanæ vacant ratione occurrentium in iis primariorum festorum. Omnes de reliquo menses frequentantur, unus quidem præ altero, omnes tam copiosè: jucundum est videre, quâ ratione ad præoccupandas stationes præmittantur ablegati modo ab adunata Territorii unius turma, modò à confraternitate quadam, modò à Collegiata aliqua Ecclesia Clericorum, modo à Religiosorum Conventu aliquo; Nec minùs præstans laudabilisq; finis est, propter quem conveniunt: Sacerdotes quidem recenter initiati ad disponendum se ad celebrandas Primitias, Pastores novi ad præparandam se pro bene administranda cura gregis sui: Confessarii & Prædicatores*

ad bene inchoandam functionem ministerii sui Apostolici: adolescentes pro elegendo vitæ statu: senes ad perdiscendam artem bene moriendi. Qui omnes, Deo sint laudes, conformes intentioni suæ, ac statui experiuntur impressiones insolitas, motusq; Spiritûs sancti extraordinarios. Hæc omnia descripsi ex aureo libello, qui inscribitur: Notitiæ Memorabiles Exercitiorum S.Ignatii Loyolæ, conscriptæ à Patre Gregorio Rosignoli Soc. JESU. Apud quem, cui plura legere libuerit de domo hac, in qua ad obeunda octo vel decem diebus exercitia absque ullius incommodo vel expensa plurimi conveniunt ac sustentantur, cum magna satisfactione leget. Invenies & illic, quemadmodum à præcipua aliqua Domina fuerit erecta similis Domus optimis prudentiæ legibus temperata ad modum Monasterii, pro Exercitandis mulieribus, ut & hæ fructu hoc gaudere possint. P.Guillote è Societ. Jesu libellum edidit, cui titulus: Solitudo Sacra pro Matronis, dedicatum Ducissæ d'Aumont; estque in linguam Italicam traductus, & modò Italiæ exhibet, quanta cum facilitate & commodo etiam Dominæ, octo possint dies Exercitiis consecrare.

§. XXXIX.

Modus quotide faciendi Examen generale Conscientiæ.

EXperiens foret, eos, qui ingressuri sunt Exercitia, ante ingressum suum callere modum examinandi conscientiam. Eundem in finem hîc facilem illius peragendi methodum declaro. Regulæ Examinis illius, quod quotidianum aut generale vocari solet, & ab Exercitantibus bis de die, primùm ante prandium, secundum ante somnum peragitur, paucis comprehenduntur.

Regula *prima.* Deo aguntur gratiæ pro omnibus acceptis beneficiis, maximè pro collatis die currenti; dicendo *ex.gr.* corde aut ore: *Gratias tibi ago Domine* pro beneficiis tam corporis quàm animæ mihi à te toto vitæ meæ tempore præstitis: specialiter tibi gratias ago, quòd me feceris nasci Christianum & Catholicum; quòd tempus pœnitentiæ, occasionemque confitendi & communicandi mihi indulseris: gratias tibi quoque ago, quòd me à mille animæ corporisque periculis tum semper, tum maximè hac die liberaveris. Gratias tibi ago pro omnibus beneficiis mihi cognitis & incognitis. *Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro universis beneficiis tuis*

Secunda. Petitur lumen pro agnoscendis peccatis & gratiâ, eadem detestandi: *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte.*

Tertia. Examinatur conscientia, & dispicitur, in quibusnam Deum offenderimus, cogitatione, verbo & opere. Ad quænam peccata magis feratur noster affectus. Examinatur pariter, in quibusnam propriis statûs nostri & officii rebus deliquerimus: sic diversæ sunt obligationes Patrisfamilias, Parochi, Professoris, Studiosi, Religiosi &c.

Quarta. Delictorum venia à Deo poscitur, excitando se ad veram contritionem, id est, ad dolorem ex motivo illo supernaturali, quo Deum offendisse displicet propter bonitatem suam infinitam, infinities amabilem dignamque, ut nullo modo offendatur. Poterit servire sequens formula corde ac ore pronuntianda: *Pœnitet me O Domine! & doleo ex toto corde, quòd te offenderim, idque propter infinitam bonitatem tuam, quæ meretur ab omnibus amari. Ah! pœnitet me, & doleo ex toto cordis affectu, teque supplex oro, ut peccata mea mihi condonare digneris, maximè illa, quæ hodie admisi.* Quiesce hîc paululum, & ex toto corde dole ac detestare peccatum illud, aut peccata, quorum conscientia maximè remordet.

Quinta. Concipirur propositum emendationis, vitandi occasiones & pericula peccandi. In quem finem serviet sequens corde ac ore dicenda formula: *Propono mi Deus, cum auilio gratiæ tuæ, vitare omnia peccata*: Specialiter N.N. Exprimè hîc in animo peccatum, quòd conscientiam gravat. *Propono vitare occasiones N.N. & pericula N.N quibus me exposui.* Propono potiùs millies mori, *quàm rursum te offendere. Propono occasione proximâ peccata mea confiteri.* Quod propositum tantò vivaciùs conaberis elicere, quò magis culpâ tuâ te in peccatum gtave incidisse deprehenderis, aut dubium fundatum habueris te illud commisisse.

Videris hoc loco mihi monendus, ut, quemadmodum fecisti propositum de peccato, in quod lapsus es evitando, ità & dum te bene ac laudaciliter operatum fuisse inveneris, in benefactis persistere, eaque ampliùs perficere statuas.

In fine potest dici Psalmus *Miserere*, quinquies terram osculando, & recitando totidem vicibus Pater & Ave in honorem quinq; Vulnerum Christi Domini, ad obtinendam peccatorum remissionem; gratiamq; non moriendi sine Confessione, maximè si quis se reum peccati mortalis agnosceret. Ubi adhortor, ut si culpâ tuâ te in tale aliquod prolapsum esse animadverteres, ut frequentes actus contritionis repetas, etiam dum noctu evigilas. Servire possunt ad talem de peccatis dolorem excitandum sequentes Orationes jaculatoriæ. Prima: *Propter nomen tuum Domine propitiare peccato meo, multum est enim.* Secunda: *Ne sumas Domine vindictam de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea.* Tertia: *Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Quarta. *Sanguis Christi emunda conscientiam meam ab operibus mortuis, ad serviendum Deo.* Quinta. *Malum & amarum est, reliquisse Dominum meum.*

Sexta. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Septima. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Octava. *Peccavi valde in hoc facto, sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stultè egi nimis.* Nona. *Tædet animam meam vitæ meæ; dimittam adversum me eloquium meum, dicam Deo, noli me condemnare.* Decima. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Undecima. *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Duodecima. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.*

Modus hic faciendi generale Examen conscientiæ potest & servari, quando instituenda est Confessio, sive unâ sive pluribus vicibus de septimana, & quandocunque libuerit. Neque alia hîc occurrit diversitas, nisi quod in uno solùm recolantur peccata unius diei, alterum autem extendat se ad plures dies, septimanas, menses, &c.

§. XXXX.

Quomodo fiat Examen particulare.

PRæter Examen generale, quo discutiuntur omnes defectus & peccata ab ultimo peracto Examine commissa, occurrit Examen, quod vocamus particulare. Referturque illud aut ad PARTICULAREM aliquem DEFECTUM emendandum, aut ad VIRTUTEM aliquam PARTICULAREM acquirendam. Quapropter videndum, statuendumq; quem maximè defectum quis debeat, ac velit emendare. An iram, an impatientiam, an detractiones, an acediam, atque alios ejusmodi. Similiter, quam Virtutem sibi compare velit; an Mansuetudinem, an Patientiam, an Humilitatem &c. Hoc jam determinato, ecce modum Examinis hujus instituendi. Fit autem omni die, & tria diei tempora complectitur.

Primum.

Primum est tempus matutinum, quo homo, ut primum evigilat, propositum debet capessere diligenter cavendi, ne in tale peccatum vitiúmve illud particulare, à quo sibi abstinere proposuit, relabatur. Eadem ratio servanda circa Virtutem, quam quis ambit: discusso similiter somno, statim proponendo, quod quis de die in Virtute hac se diligenter velit exercere.

Secundum tempus est meridies, quo à Deo petenda est gratia reminiscendi, quoties quis lapsus sit in particulare illud peccatum, quod quis meditatur extirpare, ac deinceps præcavere: aut verò recordandi, quoties quis elicuerit actum illum Virtutis, ad quã quis animum adjicit, exorando simul auxilium pro eadem frequenter iteranda. Tum deinde incipit primum Examen, ab anima rationem exigendo de peccato, vitio, aut Virtute. Percurrenda est quælibet pars diei ab hora, quâ surrexit, usque ad præsentem, observando, quot vicibus ceciderit, aut defecerit in eo, quod emendare voluit: quòt item vicibus exercuerit Virtutem illam, quam assequi intendit. Deinde totidem Virgulas aut Puncta annotet in prima linea figuræ infrà positæ: novúmque eliciat propositum cavendi sibi diligentiùs à memorato peccato, aut sæpiùs eliciendi actus prædictæ Virtutis.

Tertium erit vespertinum tempus, in quo, post cœnæ horam, facienda est discussio secunda, percussis itidem horis singulis, ab Examine priore usque ad præsens lapsis, eodem modo rememoratis, enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriore linea figuræ sequenti similis, ad hoc præparatæ.

Observanda porrò sunt quatuor.

Primum est: ut quoties id peccati seu delicti genus

hom.

homo commiſerit, manu pectori admotâ, doleat de lapſu: quod fieri poteſt etiam adſiſtentibus aliis, nec advertentibus. Quoties autem actum Virtutis elicuerit, toties de hoc Deo gratias agat.

Secundum eſt: ut ſub noctem numeratis, comparatiſque invicem punctis linearum, quarum prior priori Examini, poſterior poſteriori aſſignatur attendat, an à priore Examine uſque ad ſecundum aliqua ſucceſſerit emendatio; vel aliquis in Virtute profectus.

Tertium eſt: ut conferat diei ſecundæ atque præcedentis Examina invicem, conſiderans ecquid ſibi emendationis aut profectûs intervenerit.

Quartum eſt: ut collatis hebdomadarum duarum inter ſe Examinibus, pari modo, factæ vel omiſſæ emendationis rationem habeat. Aut verò profectum comparet.

Notandum ulteriùs, quod figurarum, quæ hîc ponuntur, prima ſeries ſit pro emendatione defectuum, altera autem pro notando profectu in Virtute. Prima incipit à lineis majoribus, & deſcènditur per breviores, cùm par ſit indies diminui erratorum numerum. Secunda figura procedit ordine oppoſito, ſine ullâ tamen obligatione, ut quotidie numerus actuum Virtutis accreſcat.

Sequens Figura eſt pro emendatione defectuum, maximè horum, qui ſunt magis radicati.



Dominica

Lunæ

Martis

(Dies) Mercurii

Jovis

Veneris

Sabbathi

Ex his Figuris colliges, quâ ratione ad similitudinem harum in libellum sint referendæ similes, pro singulis septimanis Figuram unam talem concinnando, & totidem, quot septimanas numerat annus. Quàm præclara hæc S. Ignatii industria! per tale Exercitium commonstrat homo, quod profectum animæ suæ sibi cordi sumat, *Non accepit in vano animam suam.*

Sequens Figura servit pro dignoscendo incremento pro Virtute aliqua. *Pro Virtute.*

Dominica

Lunæ

Martis

(Dies) Mercurii

Jovis

Veneris

Sabbathi

§. XLI.

Consideratio ad bene peragendam ordinariam Confessionem.

Superiùs mentio facta de usu Confessionis, quare & videtur utile futurum, ut doceam, qui circa eam se gerere oporteat. Et quoniam utilissimam in hunc finem considerationem reperi in libello, qui inscribitur: Vera Sapientia: hic eam prolixè describo. Primus illius Titulus est. *Quid ante Confessionem est præmittendum.*

1. Considera: quemadmodum ad bonum integrumque judicium non sufficit latronem apprehendere, verũ & mortis eum oportet damnare; ita nec ad bonam confessionem sufficit, peccata commissa per Examen deprehendere, verùm & deprehensa necesse est per dolorem occidere. Atque in hoc dolore principaliter consistit bonitas confessionis: nec sufficit talem desiderare, sed in effectu verè habendus est, neque hic defectus aliunde suppleri potest: nisi malum patratum detestatus fueris, non potes pacem cum Deo habere, veniam à Deo obtinere non potes. Dolorem hunc comparabis, partim humiliter & iteratò talem à Deo postulando, per merita sacratissimi sui sanguinis, partim legendo ac ponderando ea, quæ faciunt ad bene concipiendam peccati gravitatem (*quam adumbratam invenies in meditationibus suo loco ponendis*) omni autem studio conare dolorem hunc perfectum elicere: id est stude, te ad dolorem permovere nec per inferni timorem, nec per spem beatitudinis; nec per turpitudinem peccati, verùm hoc solo motivo; quò peccatum est Dei offensa, & injuria adversùs supremam Majestatem, & oppositum bonitati illi infinitæ; quæ ab omnibus unicè amari meretur: altera debet esse conditio Doloris, eáque indispensabilis, ut nempe

ſit efficax, id eſt, ut dolor ſit conjunctus cum firmo propoſito nullo unquam tempore, nullâ occaſione, nec timore mali temporalis evadendi, nec boni ſimilis lucrandi ſpe, deinceps peccandi. Non ſufficit itáqua dicere: VELLEM me libenter emendare: oportet reſolutè dicere: VOLO: nam & infernus plenus eſt illis, qui vellent; cœlum autem iis, qui volunt: & hoc ſolum eſt propoſitum, quod Dæmon metuit in confeſſione: quare quemadmodum ille omnia molitur ad iſtud impediendum, ſic omni tu ſtudio conare ad illud concipiendum? Divinum implora auxilium, quo aſſiſtente poſſumus omnia. Præ omnibus autem advertendum, quòd ad efficatiã illius requiratur voluntas efficax proximas peccandi occaſiones vitandi; talis autem occaſio eſt illa, quam, dum adis, frequenter cadis. Si adeundo domum aliquã aut temporis fallendi gratiâ, aut negotiorum causâ; ſi Perſonæ alicujus operâ utendo, & multò magìs, ſi eam domi detinendo, tibi ſit occaſio ſcandali; aut intermitte Confeſſionem, aut lapidem hunc offenſionis, quem tibi ponit hæc habitatio, hæc familiaritas, amor hic, aut aliud quidvis, quod removeri non ſit moraliter impoſſibile, è medio tolle. Nec dixeris. *Sufficit, quod promittam non peccare ampliùs, de reliquo quid impedit hanc me amicitiam continuare?* Ne ità loquaris, hoc enim eſt legem pro arbitrio ſuo ſtatuere, non vero obſervare legem Dei: qui & per Sacras Scripturas, & Per os omnium Doctorum nimis quàm apertè declarat neceſſitatem fugiendi hujus periculi proximi. Dic potiùs: *Non curo cœlum, nihil ad me ſalus animæ: renuntio amicitiæ Divinæ, ne neceſſe ſit, meo in ſcortum aliquod affectui renuntiare, ne cogar abdicare coopertum iſtud ſterquilinium, quod paucos poſt dies reſolvetur in maſſam vermium & cloacam putredinis.*

Et tunc verum dixeris: Verùm quàm te brevi pœnitebit permutationis tam ſtolidæ!

In secundo Titulo agit de eo, *quod faciendum in Confessione.*

2. Considera, quod vestimentum, in quo peccator coram hoc tribunali comparere debet, sit habitus humilitatis & confusionis. Hæc docebit te peccata tua manifestare, non excusando, non culpam eorum refundendo in alios, neque fugere Confessarios, qui te corripiunt, & peccatorum tuorum gravitatem tibi ob oculos ponunt. Infirmus, qui medicum medendi ignarum inquirit, parvum ostendit sanitatis desiderium: quid ergo vis, de te concludam, si dato studio eligis Confessarium elinguem, qui sit de numero eorum, in quos Deus invehitur apud Jeremiam. *Nec aperiebant tibi iniquitatē tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Thren. 2.

Tertius denique Titulus enarrat: *quid post Confessionem sit faciendum.*

3. Considera, quid restet tibi faciendum post Confessionem circa Deum, circa proximum, circa te ipsum. *Circa Deum.* Humillimè Deo sunt agendæ gratiæ quod te in amicitiam suam reassumere, & scriptam contra peccata tua mortis sententiam abolere dignatus sit. Repete dein promissum fidelitatis, supremo Domino tuo debitæ, & implora auxilium, quo debilitas tua adversum omnes Dæmonis assultus corroboretur. *Circa proximum.* Vide an ad restitutionem aliquam honoris aut bonorum tenearis, & eam facere quamprimum procura, hanc enim absque sufficiente causa differre, novam culpam habet. Denique *Circa te ipsum.* Imple seriò, devotè ac celeriter pœnitentiam, siquidem talis est, ut statim impleri possit; Deinde cogita, quibus mediis uti valeas, ne in peccata relabaris: Media autem hujusmodi sunt triplicis generis, quæ bene adhibita perseverantiam in bono securè promovent. Sunt autem, Oratio, fuga oc-

›ccasionum, frequentatio Sacramentorum. Propone ibi itaque, quod saltem manè & vespere te Deo & sanctissimæ ejus Matri commendare velis, ut propositum uum non ampliùs saltem graviter peccandi confirmare elint. Propone tibi non velle ampliùs domum illam dire, sed amicitiam malam rumpere. Propone tibi uamprimum velle ad Confessionem redire, dum tentatione ad culpam aliquam abducendus esses, ad novas ires contra Dæmonem Virtute Pœnitentiæ & Euchariiæ acquirendas. Præ omnibus verò te per salutem aniæ tuæ rogo, ut statuas nunquam abuti Sacramento œnitentiæ ad facilitatem peccandi; uti multi faciunt, ui dicere audent: Si peccavi, possum confiteri, & pecare licet, quantùm libet: An verò posset sermo Deo nagis injuriosus & saluti animæ tuæ magis pernitiosus ferri? Deo est injuriosissimus, quia Christi sanguine in acramento ad destruenda peccata tua præparato, ad eccata multiplicanda hoc pacto abuteris: tibi pernitiossimus, quia nunquam de bona Confessione securus es: licèt debitè confessus fueris, nihilominus ut plurimum ost Confessionem multi adhuc effectus pernitiosissimi e peccato destructo remanent, eâ ferè ratione, quâ ost expulsam febrim in convalescente adhuc remanent nalæ reliquiæ à curata infirmitate relictæ. Et si aliud on remaneret, sufficit, quòd remanet vitiosus habitus, naximum illud salutis impedimentum. Considera itaue bene, quid dicas, inquiens: *Peccatum hoc faciam, & postea confitebor*: Quò pluribus te peccatis obligas, antò major est salvationis difficultas, licèt benè confiaris. Intellectus enim peccato semper magis magisue obscuratur; voluntas magis induratur; auxilia Diina magis semper impediuntur: vires Dæmonis mais invalescunt, & in te magis deficiunt: atque

auxilii illius robur, quod pro paucis culpis extinguendis erat ſuperabundans, pro menſura creſcentium peccatorum decreſcit & extenuatur. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eam.* Amos 1.

§. XLII.

Inſtructio pro facienda Confeſſione Generali.

SUpereſt, ut inſtructionem præbeam pro Confeſſione Generali. Doctrinam hanc decerpo ex *Pœnitente inſtructo* P. Pauli Segneri. Duo, inquit judicia adminiſtrat Dominus, unum in fine vitæ (& in hoc feretur prima ſententia) alterum obibit in extremo die, vocaturque Univerſale, & in hoc ſententia lata Particularis confirmabitur. Hac ratione convenit duliciter etiam nos judicare animamnoſtram: ſemel per Confeſſionem particularem, *de qua paulò antè*, in qua prima fertur ſententia ſuper peccata nondum judicio ſubjecta: Secundò judicamus per Confeſſionem generalem (*de qua nobis modò ſermo erit*) & in hac Confeſſione ſententia ſemel lata confirmatur.

Confeſſio hæc aliquos obligat ſub præcepto, pro aliis tantùm eſt conſilii. Toties eſt de præcepto, quoties præteritæ Coufeſſiones non fuerunt validæ; quæ invaliditas dupliciter evenire poteſt, aut defectu Sacerdotis, qui caſus eſt rarior, aut defectu Pœnitentis, qui caſus eſt frequentior, & tunc *Primò*: quando magna in examine conſcientiæ neglıgentia intercurrit. *Secundò*: Quando ex verecundia peccatum aliquod certum reticitum fuit aut de quo an grave eſſet, dubitabatur: qualia ſunt certæ impudicitiæ in pueritia admiſſæ, quanquam ſemper de hoc ſe erubuiſſe quis recordetur, quòdque non niſi in

n occulto talia patraverit, fugiens conſpectum, & timens caſtigationem, quod ſignum non leve eſt agnitæ lius malitiæ. *Tertiò.* Quando elicitus non fuit verus lolor de peccatis, quanquam in Confeſſione manifeſtais, qualis in Perſonis iis defeciſſe cenſendus eſt ordinariè; uæ ipſimet Confeſſario, quocum peccârunt, ſemper onfitentur, aut qui ſtudiosè inquirunt Confeſſarium liquem ſurdaſtrum, aut tam ignorantem, ut debitam b eo inſtructionem accipiendam non eſſe, poſſint omiari. *Quartò.* Quando defecit ſerium propoſitum in eccata non relabendi ampliùs, vitandi occaſiones, faciendi reſtitutionem ablati honoris aut bonorum, condonandi injurias &c. Aut ſi hæc tantùm ore & non corde romiſſa fuerunt. In omnibus hiſce caſibus neceſſaria rorſus eſt Confeſſio generalis, quâ Confeſſiones particulares, invalidè factæ, reparentur, quantùm eſt neceſſaium, ſi nulla unquam ſuper his facta fuiſſet Confeſſio; licèt etiam expreſſa talis ejuſdem Confeſſionis generalis neceſſitas non exiſteret, maximè tamen conſultum ſt Confeſſionem generalem de tota vita obire ſaltem emel; uti & ſæpiùs, *Ex.gr.* de anno in annum, etiam requentiùs, incipiendo ab ultima; omnes angulos conſcientiæ ſuæ, & peccata ab ultima Confeſſione generali erpetrata perveſtigando: ſervit illa non ſolùm ad majorem noſtri confuſionem, majorem compunctionem, majoremque humilitatem, dum uno obtutu omnes ulpas noſtras ita diſpicimus, verùm etiam ad majorem imorem Divinæ juſtitiæ; dum peccata aliis peccatis ddita, ceu montes montibus cumulatos attendimus, tà ut cum veritate poſſimus illud Eſdræ de nobis enuniare: *Delicta noſtra creverunt uſque ad Cœlum.*

Quis etiam non videt, abſque tali Confeſſione non oſſe acquiri ſolidam pacem conſcientiæ, felicitatem, quæ

quæ tantopere æſtimatur? ſed ſemper dubia, eáque fundata, oritura meritò eſſe, an frequentes illæ recidivæ non naſcantur ex omiſſis debitis ad Confeſſionem diſpoſitionibus. O quot Confeſſiones à multis æſtimantur validæ, quales tamen non ſunt!

Parens aliquis diu in flammis piacularibus detentus, tandem apparuit filio? & quod nullum ab eo ſubſidium accepiſſet, expoſtulabat. Et quì hoc, chare parens, reponebat filius. Jam triginta fluxerunt anni, quòd è vivis deceſſeris, & tanti temporis ſpatio nunquam pro te orare intermiſi: Verum quidem illud eſt, repoſuit pater: ſed tuæ mihi preces nihilum profuerunt, quia ſemper peccato mortali obnoxius vixiſti, dum nunquam tuæ Confeſſiones fuerunt validæ. Quare ſcias, quòd licèt intra tot annos ſæpiùs etiam quàm trigeſies confeſſus fueris, nunquam tamen ritè peregeris Confeſſionem, defectu veræ diſpoſitionis, maximéque defectu ſinceri propoſiti emendationis. Quo filius attonitus (qui tam grave de ſe malum nunquam præſumpſerat) quamprimum conſcientiam ritè expurgare conatus eſt, *Collect. ex 26 de Confeſſ.* Tu interim noli nuntium quendã ex altero mundo, qui te de animæ tuæ ſtatu edoceat, expectare, verùm juſto timore correptus, unâ ſaltem vice cum ſingulari diligentia ac præparatione in una Confeſſione conjunge, & uni omnem illum dolorem, quem in aliis Confeſſionibus ſparſim elicuiſti, & ex tot rivis mare unum confice. Quæ melior poſſit eſſe diſpoſitio pro nova vita, & quæ melior præparatio pro vicina morte? quæ aptior induſtria pro peccatis occultis detegendis, quàm inſtituere hanc quaſi Venationem Generalem, & in ſpelæis ſuis ità feras deprehendere? Verùm hujuſmodi commoda nunquam meliùs agnoſcuntur, quàm per experientiam, unde mira

nira in animis eorum consolatio & tranquillitas enasci-
ur, qui cum diligentia debita eam peregerunt. Hâc
utem peractâ oportet quiescere, & non continuò
Confessionem repetere: in quo sibi scrupulosi no-
cent, maximè illi autem, qui per peccata lubrica
nagis deliquerunt, si in iis affectus complacentiæ, talia
ememorando renovetur.

Examen Confessionis hujus Generalis cum propor-
ione ad Examen particulare instituendum est. Per-
urrenda est tota vita, ætas, loca, negotia, offi-
ia vitæ præteritæ: & quò plurium annorum cur-
us excutitur, hòc minùs determinatus peccatorum
numerus inveniri potest: ùnde memorandum est
empus, à quo *Ex. gr.* mala hæc consuetudo con-
racta, & quoties circiter de septimana, aut de
nense delictum sit: sufficiétque hoc ad integritatem,
& conscientiæ tranquillitatem; non solùm; dum devo-
ionis gratiâ, verum etiam dum ex necessitate illa
peragetur.

§. XLIII.

Capita, quæ percurri possunt ad faciendum Examen pro Confessione Generali, quæ etiam servire possunt pro hora Considerationis.

ID quod medicinam de se aliàs tam salubrem, Con-
fessionem inquam, multis ceu amaram atque ingra-
tam potionem reddit, est labor Examinis conscientiæ:
multi non intelligunt legere, & plures etiam nolunt
discere, ut apti fiant libro hujusmodi legendo;
atque ità laborem hunc fugiendo non tantùm

non possunt induci ad peragendam Generalem Confessionem, verùm & ægrè satisfaciunt præcepto particularis Confessionis: suntque similes infirmo delicato, qui non solùm purgationem aliquam longiorem pro recuperanda sanitate recusat; verùm nec simplicem aliquam medicinam, ut sumat, persuaderi potest. Interim ad facilitandum usum Confessionis generalis (quod & pro particulari servire potest) formabo hîc Interrogatorium aliquod, quo continetur Summa peccatorum illorum, quæ magis communiter sunt commissa, discurrendo per Præcepta Decalogi, reducendo huc etiam majoris brevitatis gratiâ peccata contra præcepta Ecclesiæ, eaque, quæ vocantur Capitalia.

PRIMUM PRÆCEPTUM.

Peccata Cogitationum.

An habueris cogitationes contra fidem, iisque voluntariè inhæseris; an verò tantùm negligens fueris in illis excutiendis. An nimis curiosè scrutatus fueris Mysteria Divina. An diffideris de misericordia Dei, aut verò cum præsumptione de eadem peccaveris. An animum ad peccandum, donec poteris, obstinaris, cum animo in morte pœnitentiam agendi. An nimium ingenio & industriæ tuæ præfideris. An fidem habueris somniis.

Verborum.

An in adversitatibus tuis contra Deum murmurâris. An superstitionem aliquam docueris. An de peccato aliquo gloriatus fueris. An alios exploseris in benefactis, dum nolunt se vindicare, & quia Legem Divinam observant. An malis consiliis bonum impediveris.

Operum

Operum.

An superstitione aliquâ usus fueris, *v.gr.* à tergo gestando scedulam contra vim armorum: media adhibendo ad perdiscenda occulta: utendo medicinis ad finem, ad quem virtutem naturalem non habent. An libros prohibitos legeris, aut apud te retinueris absque licentia: an ostenderis horrorem rerum sacrarum, & fastidium in audiendo verbo Divino. An fueris negligens in oratione, aliisque rebus Divinis. An dederis acceperisque pecuniam pro beneficio aliquo Ecclesiastico.

Omissionum.

An fueris negligens in addiscendis Mysteriis sacræ fidei & doctrinæ Christianæ. An in tentationibus gravibus animæve periculis neglexeris ad Deum recurrere. An habueris bonam intentionem in tuis operibus. An bonum opus ex respectu humano omiseris. An omiseris ad sacram inquisitionem deferre illos, qui conformiter edictis illud merebantur.

SECUNDUM PRÆCEPTUM.

Peccata Cogitationum.

An perjurandi intentionem habueris.

Verborum.

An Deum, B.B. Virginem, aut Sanctos blasphemaveris. An sine reverentia nomen Domini nominaveris. An ad jocum traduxeris verba sacræ Scripturæ. An juraveris absque necessitate, aut falsum, aut de cujus veritate dubitabas. An juramentum feceris de te vindicando, aut de malo alteri inferendo. An jurato promiseris aliquid sine animo promissum adimplendi.

Operis.

An alterum ad falsò jurandum induxeris, aut blasphemandi occasionem præbueris.

Omiſſionis.

An vota non obſervaveris, aut negligens fueris in iis ſervandis. An nimis diu impletionem eorum diſtuleris.

TERTIUM PRÆCEPTUM.

Peccata Cogitationum.

An voluntatem deliberatam habueris non audiendi miſſam aut in die feſto laborandi.

Verborum.

An ſub Miſſa aut Divinis officiis fueris fabulatus.

Operum.

An laboraveris, aut alios abſque neceſſitate laborare feceris, & quando tempore: an erga Perſonas Eccleſiaſticas, aut in Eccleſias fueris irreverens; quales ſunt, qui illic tractant amores, fabulas, riſum, aut alia hujuſmodi. An nec ætate, nec labore, nec virium debilitate excuſatus, jejunium violaveris. An in diebus feſtis, tempus luſu ac nugis diſſipaveris. An te inebriaveris. An ultrà neceſſitatem comederis, aut cum nimia voracitate. Aut incurreris cenſuram aliquam. An tempore ſuſpenſionis tuæ actum aliquem ordinis exercueris. An extra caſus à jure permiſſos communicaveris cum excommunicatis non toleratis.

Omiſſionis.

An peccâris non impediendo, quò minùs ſubditi extra caſum neceſſitatis die feſto laborârint. An per negligentiam omiſeris auditionem miſſæ. An ſanctiſſima Sacramenta ſine neceſſaria diſpoſitione frequentâris, aut ſaltem ſine debita devotione. An per negligentiam bona opera peragere omiſeris *ex. gr.* auditionem concionis, lectionem libri ſpiritualis, præſentiam in veſperis.

QUARTUM PRÆCEPTUM

Peccata Cogitationum.

An oderis Patrem & Matrem, aut ſuperiores tuos. An mortem illis optaveris. An temerariè de illis judicaveris. An in corde deſpexeris.

Verborum.

An contra Parentes aut in præſentià, aut in abſentià eorum murmuraveris, an illis maledixeris, minatus ſis, injurias intuleris. An contra domeſticos ſimilibus deliqueris.

Operis.

An exiguum Parentibus reſpectum exhibueris, manu intentando verbera aut alio modo eos graviter contriſtando. An illis in iis, quæ bonos mores concernunt, inobediens fueris. An contra eorum voluntatem jocos tractaveris. An abſque illorum licentia è domo aliquid ſuſtuleris. An deſpexeris Sacerdotes, Religioſos, Superiores, Senes, Profeſſores. An matrimonio proles tuas præter voluntatem eorum copulandos dederis. An eos in ſtatum Religioſum intruſeris, aut ad ſtatum aliquem coëgeris, demptâ ipſis eligendi libertate.

Omiſſionis.

An Parentibus in gravi eorum neceſſitate non ſuccurreris. An tempeſtivum obſequium illis non exhibueris. An abſque eorum conſilio ſponſalia cum Perſona aliqua contraxeris. An debitam ſuſtentationem uxori aut familiæ ſubtraxeris. An neglexeris proles tuas aut ſubditos educare in timore Domini. An ad Eccleſiam & Doctrinam Chriſtianam eos non compuleris. An modum orandi eos docere omiſeris. Ad de moribus eorum informationem capere non curâris. An bono officio aut opificio eos applicare neglexeris.

QUIN-

QUINTUM PRÆCEPTUM.

Peccata Cogitationum.

An desideraveris vindictam, mortem aut grave malum proximi. An malo alterius exultaveris. An invidus alteri fueris. An laudibus alterius aut felicitate afflictus, aut verò aliorum contemptu ac incommodis exhilaratus fueris.

Verborum.

An in adversitatibus tuis fueris impatiens. An malum tibi fueris imprecatus. An à Dæmone è medio tolli petiveris. An similes imprecationes aliis feceris. An aliis dederis consilium sese vindicandi, aut in consilium tale consenseris. An alicui præsenti aut absenti injuriam intuleris. An alicui maledixeris. An asperis verbis pauperes rejeceris. An in correctione terminos transgressus fueris. An ex passione, & non ex charitate correxeris.

Operum.

An sine necessitate te exposueris periculo vitæ, aut simile adiveris ad peccatum committendum. An per crapulam aut gastrimargiam valetudini tuæ damnum intuleris. An injurias ultus fueris. An aliquem percusseris, aut vulneràris. An rixas excitaveris, inimicitias alueris, aut lites iniquas duxeris. Aut malum exemplum præbueris, aut impedire conatus sis bene operantem, aut malè operantem adjuveris, protegendo maleficos, prædones, latrones; an cum præjudicio proximi affectâris aut assumpseris officium, cujus non eras capax *Ex. gr.* Medici, Professoris, Advocati. An ad simile munus ineptos promoveris. An ad beneficium Ecclesiasticum, & præcipuè ad curam animarum Personas indignas commendaveris, aut talibus provideris.

Omis-

Omissionum.

An omiseris correctionem debitam proximi, aut bonum illi consilium, dum dare poteras, neglexeris, An inimico veniam roganti, eam concedere detrectaris. An similem petere ex arrogantia omiseris. An illi quem offendisti, debitam satisfactionem dare recusâris. An inimicos salutare intermiseris. An dum primus alteri injuriam intulisti, cùm eo colloqui primus nolueris.

SEXTUM ET NONUM PRÆCEPTUM.

De hac materia multis loqui fugio, quia picis speciem habet, quæ quocunque modo contingatur, inquinat, orémque fœdum etiam utcunque remotis afflat. Qui contra duo hæc præcepta peccat, satis illud intelligit, & qui non peccavit contra illa, bonum est, ut non discat, Dico solummodo, quod peccatum hoc pestis quædam est, quæ totum hominem inficit. Quod si autem hìc reus es prævaricationum, examina omnes potentias tuas memoriam, intellectum, voluntatem. Examina omnes sensus tuos, comprimis visum, auditum, & maximè tactum. Considera cogitationes, verba & opera. Examina somnia, an evigilans præstiteris consensum. Vide, an aliquos ad peccandum hìc incitaveris, an occasio mali fueris literis scribendis aut perferendis, cantu aut aliis ineptis actionibus, comœdiis, saltibus, conventionibus aut alio malo exemplo. An malâ intentione te ornaveris, an ad templum iveris malâ intentione; an orationem in tentatione neglixeris. Nota præterea, quod in hoc peccato duæ circùmstantiæ sunt manifestandæ; persona, quacum peccâsti, & locus an fuerit sacer, in quo peccatum est admissum. Denique in hac materia nullum defectum pro levi reputa. Est cloaca aliqua, cujus omnis exhalatio est contagiosa; omnis inquam delectatiò hìc plenè voluntaria est peccatum mortale.

SEP-

SEPTIMUM ET DECIMUM PRÆCEPTUM.

Peccata Cogitationum.

An habueris voluntatem proximo aliquid aufferendi, in bonis decipiendi, debita non ſolvendi. An nimis ſtudioſus fueris divitias accumulandi.

Verborum.

An lucratus fueris fraudibus, mendaciis, perjuriis. An damni alterius, ſuaſione aut approbatione fueris Author.

Operum.

An moveris injuſtas lites. Au emeris bona furtiva; An à non habente jus vendendi. An pretio juſto minore. An cum filiis familias aliisve ludendo fraudem feceris. An vendideris fraudando in pondere aut menſura. An merces malas pro bonis vendideris. An illas vitiaveris mala admiſcendo. An uſuram feceris. An monetam falſam pro vera obtruſeris, aut eam, quæ levior eſt, pro ſatis appendente. An expenſas juxta ſtatum tuum ſuperfluas feceris in veſtes, luſus, bellaria. An propter dilationem ſolutionis, merces vendideris ultra ſummum pretium. An emptoribus interrogantibus vitia mercium occultaveris. An in venatione ſementi aliisve locis fructiferis damnum intuleris. An proximo in bonis aliis damnum intuleris. An occultam compenſationem aut ſolutionem tibi ipſi procuraveris, dum creditum tuum non erat liquidum. An negotiando in ſocietate lucrum non diviſeris æqualiter. An depoſito, aut pignore uſus ſis ſine expreſsâ licentiâ Domini. An mutuum non reſtitueris tempeſtivè. An damnum reparaveris illius, qui vadem pro te præſtitit. An aliquid ad ſenſum illegitimum expoſueris, & ſine conſilio virorum ſapientum. An arbores fructiferas, aliaſve ſucciderіs, aut in aliis, quorum tantum uſus fructus ad te pertinuit, proximo damnum intuleris, an in libello injuriam feceris.

Omiſ-

Omissionum.

An servaveris pacta & promissa. An laboraveris, ad quantum obligabaris. An salarium servis, mercedem operariis detinueris. An satisfeceris debitis, legatis, Testamentis. An perdita bona retinueris, non inquirendo, ad quem pertinerent. An negligens fueris in administrandis bonis communitatum aut Ecclesiarum. An non dederis Eleëmosynam pauperi in extrema aut gravi necessitate constituto. An in talibus casibus dederis sine spe proprii lucri. An non impediveris damnum proximi, ad hoc vel ex officio, vel ex charitate obligatus, dum commodè poteras impedire.

OCTAVUM PRÆCEPTUM.

Peccata Cogitationum.

An temerarias suspiciones vel judicia de proximo conceperis.

Verborum.

An aliis suspiciones vel judicia tua de aliis manifestâris. An secretum violaveris. An mendacium dixeris cum damno vel sine damno alterius. An proximum verbis equivocis deceperis. An alteri nescienti, defectum occultum proximi revelâris. An murmurâris, aut murmurantibus applauseris. An contra charitatem nova narraveris. An alicui sis adulatus. An alteri contumeliam feceris præcipuè honoratioribus. An quempiam ad falsum testimonium induxeris.

Operum.

An inter alios suscitâris discordiam. An alterum falsò accusaveris. An per calumniam aut detractionem impediveris alterum à consequendo officio aut dignitate.

Omis-

Omissionum.

An murmurationes & convitia dum poteras, non impediveris. An honorem omnibus debitum non exhibueris.

Alia huc etiam spectantia peccata inclusa sunt præcepto sexto & septimo.

MONITA.

Primum. Non est in ipso confessionali adhibendum hoc interrogatorium, ut de puncto ad punctum velis de eo rationem reddere, aut memoriæ mandatum illic quasi recitare: verùm seligenda hinc tantùm sunt ordine quodam peccata perpetrata.

Secundum. Non omnia hîc notata, sunt peccata mortalia, sed ea tantùm sunt mortalia, quæ in materia gravi cum plena advertentia, & voluntate deliberata repugnant charitati Dei, proximi, aut nostri ipsorum. Quod si non noveris distinguere peccatum mortale à veniali non refert: ad plenam conscientiæ pacem sufficiet, eo modo, quo peccatum admissum est, in Confessional annuntiare.

Ea quæ ad excitandum de peccatis dolorem, & propositum per gratiam Dei non peccandi amplius huc pertinerent, suppono tibi esse nota; unde illa non est necesse hîc repetere. Verum est interim quòd specialis cura doloris & propositi videatur hîc prærequiri, quia hîc dicuntu conjunctim, quæ in particulari confessione divisim refe rebantur. Sit adjumento sequens actus doloris, quo, perac to examine, & jam iturus ad confitendum, uti poteri.

ACTUS CONTRITIONIS.

Peccavi, quid faciam tibi O Custos hominum.

NImis quàm verum est, ô Domine, quod peccaverim peccavi, & peccatis gravibus. Quid faciam? cog

tab

tabo iram tuam effugere? sed quis ego sum, ut ad me dignissimum omni pœna, à te justè infligendâ, reflectã? Te solum attendo ac considero. *Quid faciam tibi?* Optarem ut honorem tuum redintegrare possem, quem tibi sustuli, me supra & contra te exaltando. Confiteor itaque coram omnibus creaturis tuis, quod me gesserim instar proditoris ingratissimi & infidelissimi. Doleo proinde de omnibus injuriis tibi illatis, easque detestor ac retracto; non aliam ob causam quàm ob purum tui amorem: Doleo ex toto corde, perhorresco & abominor peccata mea, quia amo te: paratus sum millies mori, quàm deinceps te rursum offendere. Tu bone Custos hominum custodi me etiam tanquam rem tuam; verùm præ omnibus custodi me ab hoc malo, quod omnium æstimo malorum maximum, ne unquam ullo tibi modo displiceam.

§. XLIV.

Loca varia, ubi simul Exercitia obeuntur.

PRo ædificatione refero sequentia. Neapoli in septimana sancta anno 1669. in Domo professa Soc. Jesu tradita sunt Exercitia spiritualia solita suo tempore cum insolito accursu nobilium, senatorum, & magno satis affluxu variorum ordinum Religiosorum, ut loci sat aliàs ampli spatium non potuerit omnes, illa postulantes, capere: Pro plurium verò utilitate factum est, quod subjungo: Conspiciebatur eisdem diebus omnis circum circa Domum professam locus repletus curribus, & famulis qui tum ab equis, tum à cubiculis, tum à comitatu, similisque generis ministris, qui magno numero invigilabant ad reditum Dominorum suorum; ne hi otio tantum aut jocis indulgerent, aliisve famulitio simil cõmunibus vitiis distraherentur, pater aliquis proclivis perhumané

eos primum ſalutabat, exinde in unum ipſos locum convenire petebat, dicturum ſe grata auditu pollicitus? dixit itaque ad concionem conformiter eorum ſtatui, & præclarus fructus, morum nempe correctio ſecuta fuit: & prout intelligo, in uſum laudabilem hoc Patris conſilium tranſivit, durátque adhuc in hodiernum diem; dum Magnatibus illis cæteríſque Exercitia traduntur.

Quin & in ſpectabili hac Civitate inceptum aliud ad ſtuporem amplius. Ante ſexageſimam nempe traduntur Exercitia in famoſis illis amplisque carceribus, & coram Venerabili Sacramento uno in loco omnes incarcerati conveniunt. Maxima illic cum ædificatione miſeri hi rei Pœnitentias publicas ultro eligunt; & fit generalis communio, proceſſio item inſtituitur per ambitum carcerum. Unde per Confeſſionem generalem &c. Magni animorum motus, magna mutatio in miſeris reis videtur. Imò & in triremibus uſus Exercitiorum locum habere cœpit magno cum fructu eorũ qui ad háſce damnati ſunt.

Mediolani, Genuæ, Taurini, Cremonæ, Nobiles turmatim exercitia de anno obeunt; alii ſeorſim domi, alii uno in oratorio ſimul congregati.

Majori adhuc numero illa obeunt ſuperiorum facultatum Diſcipuli in ſcholis Soc. JEſu, modò per tres, modò per octo dies. Eſt & Bononiæ Congregatio una erecta ſub titulo aſſumptæ in cœlos Virginis, quæ pro bono adoleſcentum eandem conſuetudinem induxit. Concurrúntque ad eadem Diſcipuli antiquiſſimæ hujus atque inclitæ univerſitatis tam domeſtici, quàm extranei. Anno 1685. fuerunt adoleſcentes 156 qui tam ſalutari operi curam ſuam impenderunt. Concurrit collegium Pontificum de monte albo cum ſuis alumnis, Collegium Lucenſe Sinibaldi alterúmque
d

dictum à Viola erectum à Principe Masserano, præter Sacerdotes & Doctores, qui exemplo suo juventuti, tam Devotæ præluxerunt, Aliàs (cujus sum testis oculatus, ut qui tunc Bononiæ habitavi, & Congregationi illi eram congregatus) triginta tres eorum in honorem totidem annorum vitæ Christi, antecineralibus jocis se abdicârunt, & triduo Bacchanalium Meditationibus S. Ignatii se totos dederunt. Id quod didicerunt à Congregatione adolescentum erecta in Collegio Brixiano, qui ad hoc exemplo præiverunt, quam laudem meritis eorum tribuere oportet. Adolescentes item Congregationis primariæ erectæ in Collegio Romano omni anno per octiduum vacant Exercitiis, utì & qui educantur in Seminario Romano, aliísque Collegiis sacræ urbis sub directione Patrum Societatis. Ad hæc eadem animum adjiciunt tempore quadragesimæ, qui sunt de Illustrissimo Collegio Parmensi, in quod flos selectæ nobilitatis, pietate & honestate illustrissimæ, confluit sub umbra liliorum Farnesiorum, & etiamnum Colloquium Brixianum, utì & Taurinense, Senense, & bina alia Bononiæ erecta sub titulo S. Francisci Xaverii & B. Aloysii. Est & Mediolani introductum, ut nobiles quidam adolescentes in villa suburbana sub directione Patris de Societate eundem in finem nullis suis sumptibus congregentur. Quod & Taurini faciunt nonnulli nobiles ætate maturiores. Quæ omnia hìc commemoranda putavi, ad communitates etiam integras animandas, ad sacram hanc toties commendatam Exercitiorum solitudinem semel de anno amplectendum, admittendo eos, quos præfuturus iis Director capaces judicaverit. Loco autem, quo daturus sum Instructionem pro Directore, praxim facilem servatu & exactam dabo, quámque potero facillimam, futuram, ut experientia habita me jubet ominari, utilissimam.

Optarem quàm maximè, ut omnes communitates, quæ ad ea sunt obeunda idoneæ, præ omnibus verò eæ, ex quibus adolescentum scholæ coalescunt, usum hunc introducerent. O si Professores illud intelligerent, & discipulos suos tum exemplo, tum operâ suâ ad exercitia peragenda inducerent, viderent eos aliquando uti emendatos in moribus, sic etiam meliùs dispositos ad scientias magna cum facilitate & profectu percipiendas. Est enim indubitatò certissimum illud? *Initium sapientiæ est timor Domini*: Equidem pro gloria Dei & pro solido juventutis commodo rogatos cupio Professores, ut singulis annis duabus vicibus adolescentes suos eisdem excolant: Primâ quidem vice *per quatuor dies*, circa studiorum renovationem præscribendo ipsis meditationes desumptas ex prima septimana, sunt autem prima *de ultimo fine hominis*: Secunda *de labsu Angelorum*. Tertia *de peccatis propriis*. Quarta *de morte*. Quinta *de Iudicio* particulari. Sexta *de Iudicio universali*. Septima *de Inferno*. Octava *de filio prodigo*: tradendo etiam illis quæ pertinent ad examen conscientiæ, & modum confitendi generaliter. *Alterâ vice rursus per quatuor dies* in septimana sancta. Proponi autem poterunt meditationes sequentes. Prima *de duobus vexillis*. Secunda *de Magdalena*. Tertia *de passione Christi in genere*. Quarta *de proditione Iudæ*. Quinta *de passione Christi in particulari*. Sexta *De bono latrone* Septima *De malo latrone*. Octava *De resurrexione, de gloria paradisi, de amore Dei*. Ominor maximum fervorem in litteris & pietate ex hoc Exercitio esse promanaturum; atque hinc Parentibus multam domi pacem, Professoribus satisfactionem, Discipulis utilitatem, Civitatibus integris ædificationem obventuram considerem. Faxit Deus: non enim aliud facere possim, quám ut adhorter. Noverit etiam Lector, quod Patres Soc. JEsu in

in domiciliis suis eos, qui Exercitia Spiritualia obire expetunt, recipiant nullâ etiam factâ expensâ : atque mos ille obtinet Romæ, Mediolani, Neapoli, Genuæ, Bononiæ iidem præstabunt cæteri, dum requisiti fuerint ab iis, qui ad Exercitia obeunda apti sunt, sive seculares fuerint, sive Religiosi.

§. XLV.

Quâ ratione Parochus in Parochia sua sive oppidana, sive alia possit per Exercitia Spiritualia suis prodesse.

ECce, ad quæ particularia etiam descendam : ad istud autem inducit me utilitas meditationis veritatum, quas in aureo suo Libello Exercitiorum S. Ignatius considerandas proponit : estque illa amplissima, quamvis veritates hæ nec integrè nec tam perfectè, uti ipse præscribit, meditandæ forent. Quare conceptum aliquem meum cum Parochianis, præcipuè oppidanis, communicare mihi lubet : incidunt subinde tres festivitates continuè, quales sunt festa Natalitiorum & Pentecostes : subinde etiam mense Julio, dum festum S. Jacobi incidit in diem Veneris, S. Annæ in Sabbathum, & sequitur dein Dominica. Eccur Parochus à suis obtinere non posset, ut Parochiani sui tempore aliquo ex præmemoratis diebus in Ecclesia congregarentur, pars ante missam pars post illam tempore matutino ; tempore autem pomeridiano pars ante Vesperas, pars post Vesperas, animumque applicarent ad meditandam unam alteramve veritatem in Exercitiis propositam? Quod si Parocho aliud facere non placeret, quam ut devotè cum pausis ad præscriptas lineolas prælegeret medita-

tiones, quæ in libello hoc proponentur, sufficeret; & meditatio satis foret adaptata etiam rudium captui. Posset pro lectione libri Spiritualis adjungere, lectionem quatuor Regularum ex P. Joanne Baptista Manni è Soc. Jesu, aut similem librum prælegere, quemadmodum P. Ludovicum Granatensem, P. Didacum Stella, Christianum instructum P. Pauli Segneri. Pro Examine vitæ habitualis posset servire aut Interrogatorium de Confessione supra positum; aut de aliis etiam rebus, super quibus extra Confessionem novit Parochianos suos maximè esse examinandos. Posset & uni aut alteri suorum licentiam permittere faciendi publicam pœnitentiam pro defectu aliquo, modò nihil indecori hinc secuturum, foret metuendum; quæ facultas mulieribus non est concedenda, ad omnem etiam minimi mali speciem præcavendam. Posset ultimâ die parva Processio circum Ecclesiam institui, & dari benedictio aut Crucifixo, aut Venerabili: quod si hoc duabus de anno vicibus iteretur *ex. gr.* festo natalitiorum ad impetrandam peccatorum per decursum anni commissorum remissionem, & in mense Julio, aut circa festum Pentecostes, foret hoc optimum in reliquum tempus pabulum pro grege ipsius *Primo tempore posset tradere meditationes de ultimo fine hominis, de peccato Angelorum; de peccatis particularibus; de morte; de judicio; tum particulari, tum universali; de Inferno; de Filio Prodigo: altero tempore meditationes de duobus vexillis; de Æternitate; de Passione Christi; de Resurrectione; de gloria Paradisi; & de Amore Dei*: eaque, quæ è re futura esse judicaverit, ex libello Instructionis Directoris adhibere poterit.

Ampliùs & facilius idem posset fieri à Confraternitatibus expectando pariter concursum trium festorum, quibus prædicto modo congregari possent.

Idem à Religiosis utriusque sexûs; possentque superiores

riores ipsi talium cœtuum esse Directores, prælegendo meditationes, uti suprà prænotatum. Specialiter Magistri Novotiorum cum Novitiis suis, qui utpote novalia, recenter à seculo elocata comprimis culturâ indigent; cúmque loco ab aliis separato habitent, secessûs hujus majorem etiam habent commoditatem.

§. XLVI.

Catalogus propositorum faciendorum in Exercitiis.

QUanquam valde studiosus fuerim in decursu meditationum præfigendi fructum, qui ex qualibet meditatione sit capiendus, conformiter naturæ veritatis ad meditandum propositæ: pro majori tamen hujus etiam commodi exquirendi facilitate placet hìc mihi subtexere Catalogum, in quo persona quævis ex diversa illa triplici hominum classe, seu secularis, seu Regularis, seu Ecclesiasticus, facilè dispicere possit, quid sibi fugiendum, quid amplectendum sit. Qui Catalogus ante oculos versans poterit esse continuus excitator & monitor, qui quid resolvendum, statuendûmque, sit, commonefaciat, ut finitis Exercitiis proposita facta, servandáque in eo simul relegi possint. Videatur etiam in hunc finem libellus pulcher, qui inscribitur Praxis Exercitiorum Spiritualium Authore Adm. Rever. Dom. Francisco Maggio Clerico Regulari Panormitano Romæ editus apud Ignatium de Lazeris anno 1656 qui Author vir fuit valde Spiritualis, & versatus in rebus divinis. Moneo tamen, non omnes hìc minutias à me esse ponendas verùm generalia solùm capita. Interim opto, ut quivis addat; quod conscientia melioris vitæ studiosa suggeret, Patrèsque spirituales addendum judicabunt.

PRO PERSONIS SECULARIBUS.

Diis, quorum fugam tempore Exercitiorum pro omni tempore sibi debent proponere.

1. Statuant vitare peccatum mortale, atque omne etiam veniale deliberatum.

2. Evitare occasiones offendendi Deum, quæ aut tales sunt ex natura sua, aut tales sunt propter fragilitatem Personæ.

3. Fugere pernitiosos animæ, congressus occultos.

4. Uti & omnem malam societatem: lectionem librorum obscenorum, theatra, in quibus repræsentantur aut audiuntur inhonesta. Magis autem ad talia non permittere accessum prolibus; Quæ illic dicunt, quæ nunquam discenda forent; & cui imputandum, si didicerint talia; Non nisi vobis ô Parentes! qui liberos vestros eò conduxistis. Idem dicendum de liberioribus bacchanalibus deque choreis levioribus.

5. Non jurare, minùs autem blasphemare, neque in subditis suis, talia dissimulare.

6. Cavete lusus vetitos, maximè præcipitem lusum alearum & chartarum.

7. Non mentiri, maximè cum damno aliorum.

8. Vitare irreverentiam contra res sacras Personasq; Deo consecratas. Uti & irreverentiam in templis.

9. Non fovere, nec protegere homines turbulentos, neque personas ineptas promovere.

10. Non præbere malum exemplum, maximè domi suæ, verba indecentia proferendo &c.

11. Non velle abusus introducere, maximè unde libertas mala esset secutura. Quò reducitur superflua pompa in vestibus' libertas conversationis viros inter & fœminas: vanitates positæ in puncto honoris &c.

12. Non præbere malum consilium, in quacunque demum materia fuerit.

13. Non

13. Non vindicare ſe, nec ad id homines facinoroſos conducere & animare.

14. Non facere ſumptus quaſi habituales in offenſam Dei; cujuſmodi ſunt alere concubinas, ſuſtinere ganeas, lupanaria, paraſitos, emiſſarios, conventicula, in quibus Deus offendi ſolet.

15. Vitare expenſas in convivia nimis frequentia, ac nimis lauta, & in picturas laſcivas. Exclamari hic lubet: O cœli, ô Superi! fierine poteſt, ut vir honeſto loco natus indignitates tales, cujuſmodi in fœdis illis tabulis continentur, prolium ſuarum oculis ſpectandas objiciat? quæ vel ætatis etiam tam teneræ ſolius gratiâ ex ædibus eliminandæ forent.

16. Non defraudare operarios mercede ſuâ; nec inquietare miſeros, quia vel hoc ſolo titulo, quòd miſeri ſunt, nequeunt ſe defendere.

17. Abſtinere à fraude, duplicitate, infidelitate in promiſſis: uti nec promiſſum facere, cum intentione illud non implendi.

18. Non velle alios, maximè innocentes, ſtratagemate aut mercede inducere ad Dei offenſam. O peccatum molâ conterendum! idem dicendum de his, qui docent alios peccare; de eo, qui mittit aut portat literas provocantes ad malè operandum, ſcedulas, literulas, nuntios.

19. Non velle abuti Sacramentis, aut rebus aliis ex natura, aut inſtitutione ſuâ ad cultum Divinum deputatis.

20. Nolle diſſeminare doctrinas pietati ac virtuti contrarias, maximè cum puſillorum ſcandalo.

21. Nec malis actionibus applaudere, & hoc pacto in malè cœptis alios animare, atque alios ſimiliter hac ratione ad eadem ſeducere.

22. Non velle vitam laxæ conſcientiæ vivere.

Sequentia sunt, quæ facienda, potest sibi proponere homo secularis.

1. Præcepta Dei & Ecclesiæ observare, uti & obligationes proprias statûs sui, eoque contentum velle vivere.

2. Pietatem etiam publicè, sine erubescentia profiteri.

3. Charitatem libenter proximo exhibere, miseriis illius tum corporalibus tum spiritualibus compati: atque in his etiam misericordiam exercere.

4. Humanum respectum vincere, quoties ille aut mali faciendi aut boni omittendi præbet occasionem: animum inducere repudiandi, dum necesse est, postulata, iniqua atque illicita.

5. Inspirationes à Deo submissas acceptare: in eoque statu animam suam conservare, in quo mori optaremus, & non aliter quàm si omni die moriendum esset.

6. Sanctissima Sacramenta frequentare, ad eaque sese debitâ dispositione cum auxilio divino comparare.

7. Conformiter statu suo, honorem & servitium Dei promovere.

8. Stabilem aliquam devotionem servare: uti recitare Rosarium, Officium B. Virginis, septem Psalmos Pœnitentiales &c. Jejunare diebus Veneris aut Sabbathi, Aggregare se alicui Sodalitati: & similes.

9. Eodem quantum fieri potest, Confessario stabiliter uti, nec varios frequentare.

10. Injuriam amore Dei condonare! ô excellentem Virtutis actum!

11. Frequenter Dei recordari, & ob innumera beneficia omni die, & quantum fieri potest, omni horâ gratias illi agere.

12. Bona perinde ac mala tanquam à manu Divina submissa acceptare, in prosperis non insolescendo, in adversis animum non despondendo.

13. Superiori, quem Deus quocunque modo proposuit, ſubjectionem & obedientiam præſtare.

14. Gaudere de bono proximi, neque ex philautia ſibimet tantùm omnia cupere.

15. Pretioſi temporis habere rationem, animæ illud ſuæ impendere, ne dies, ſeptimanæ, menſes, anni ſinè fructu in ordine ad ſalutem elabantur. O miſerum nonnullorum diſpendium, qui ab ortu ſolis, ad occaſum uſque, non niſi plateas nugáſque terendas ſibi præfixerunt.

16. Aliquam ſemper diei partem animæ tribuere, ac Virtutibus Evangelicis meditandis deputare. Veſperi examen conſcientiæ pariter inſtituere.

Hæc pauca ſuggeſſiſſe ſufficiat, quæ, ſi Exercitans in opus redigere ſtatuerit, magnum hoc ipſo fructum ex Exercitiis referet.

PRO RELIGIOSIS.

Quid ſibi evitandum proponere debeant.

1. Religioſus proponat ſibi non tantùm evitare quidquid eſt contra vota quoad ſubſtantiam, verùm & quidquid perfectam eorum obſervationem impedit.

2. Idem intelligendum de Regulis & Ordinationibus Superiorum. Sunt enim accipiendæ tanquam Ordinatio Divina, quanquam ab hominibus intimata. Quo bene intellecto obedientia reddetur facillima: quod motivum adhibet S. Ignatius ad eam Religioſis ſuis ſuaviorem reddendam.

3. Dictamina & inſuſurrationes adverſus regularem diſciplinam, potiſſimùm eas, quæ à junioribus proficiſcuntur, vilipendere.

4. Nolle conqueri de victu, veſtitu, habitatione, aliiſq; corpus ſpectantibus. Cogitandum eſt, Religionem ceu

locum pœnitentiæ nos esse amplexos: recordentur plures, quæ hic ipsis ministrentur, nempe quæ in Domo Paterna plurium ne quidem aspectum subivissent: & fortè hi ipsi sunt queruli.

5. Nullum admittere defectum deliberatum, maximè in materia Votorum, rerumque Deum concernentium, & quibus vel levissimè Angelica puritas labefactari possit.

6. Abstinere ab amicitiis particularibus tum domi, tum foris. Idem intelligendum de non fovendis diffidiis, simultatibus, discordiis, factiunculis &c.

7. Evitare immodestiam, in moribus, in situ, in gressu, in verbis.

8. Non affectare unum potiùs quàm alterum officium, maximè dum unum foret commodiùs ac speciosiùs

9. Nolle murmurare, uti nec adulari, & cum Regularum transgressione gratiam alicujus captare, animo obtinendi per patrocinium illius aliquod ad justum suum officium gradumve aliquem.

10. Nolle silentium, fallendi maximè temporis, aut affectui alicui obsecundandi gratiâ frangere.

11. Nolle frequenter, purè distractionis, conversationis, novellarum audiendarum causâ domo exire.

12. Abstinere ab omni vanitate in vestitu, aliisque rebus, quæ secularibus scandalum pariunt.

13. Nolle excitare rixas, aut excitatas animare, & nihil charitati contrarium promovere: non alterum exsibilare, mordere, traducere &c.

14. Sunt porrò ulteriùs actiones sequentes Religiosis proponendæ pro objecto fugæ. Alterius intentionem malè interpretari, suspiciones deinde concipere aut prodere &c.

15. Invidiæ ac melancoliæ locum cedere: quæ vitia sæp

ſæpè radices ſunt gravium caſuum. Et quænam ſit perniitioſior non facilè dijudicavero; ambo omni ſtudio devitandæ ſunt.

16. Dicta Superiorum quævis referre ſubditis, & his illorum dicta quævis viciſſim, uti & ſubditorum ſermones alternè referre ſubditis, aut ſimilibus aures nugis benevolas præbere. Punctum hoc dignum notatu, utpote punctum malæ ſæpius conſequentiæ, maximè inter Moniales. Nec hujuſmodi ſcientiam affectare decet; neque facilis, ſed averſus potiùs animus narrantibus ſimilia exhibendus eſt.

17. Nimium temporis ſomno non ex neceſſitate, ſed ex pigritia & commoditatis amore impendere.

18. Quærere latibula ac diverticula ad occultandum actiones ſuas Superioribus.

19 Opera ſua ex conſuetudine non animo Deo ſerviendi, & in gratia proficiendi peragere.

20. Tepiditati & acediæ, à quibus tanquam à verme omnes totius vitæ operationes corroduntur ac corrumpuntur, ſe totum permittere. Tepidus & acedioſus inutiliter vitam tranſigit: talis profectò à mane uſque ad veſperam ignavam vitam trahendo nullum lucrum animæ ſuæ ſeponit, queſtum nullum vel exguum pro cœlo facit.

Sufficiant hæc Perſonæ Religioſæ ad commonſtrandum, quid ipſi ſit fugiendum. Plura inveniet, ſi uti adhortor, ſinus animæ ſuæ diſcutere voluerit.) Statuat porrò & ſequentia facere.

1. Seriò dare ſe perfectioni; hic enim finis eſt ingreſsûs in Religionem.

2. Incumbere ad profectum in Virtutibus, & ad omne id, quo gratia in hac vita, & gloria in altere multùm augeri poteſt.

3. Tenero affectu amare inſtitutum vocationis, ad quod

quod à Deo quis vocatus, & pro eadem Deo gratias agere. Quem in finem Religiosi nonnulli, dum manè se vestiunt, religiosam vestem osculantur, & in protestationem simul obligationis pro Vocatione Religiosa.

4. In omnibus operibus, quantum quidem fieri potest, rectam conari habere intentionem.

5. Tempus rebus spiritualibus debitum liberaliter iis impendere; ut aliis liceat colligere, illas nobis esse cordi.

6. Accommodare se communitati, nec in oneribus exemptionem prætendere. Quàm jucundum videre eos, qui magis præ reliquis mererentur exemptionem, nullam talem velle? hæc est vera gloria Religiosi.

7. Deum agnoscere in Superioribus; & ex tali motivo alacri animo eorum mandata amplecti, ac bene interpretari omnem eorum voluntatem.

8. Operari ex veris principiis Spiritualibus, id est, è motivis supernaturalibus. Incredibile est, quantum ad pacem & quietem animi talia conferant.

9. Permittere se indifferenter regendum arbitrio Superiorum, Patrumque Spiritualium, & confidenter ad eos recurrere.

10. Teneritudinem conscientiæ conservare, nec animum præbere doctrinis laxioribus inescandum.

11. Sæpè Dei recordari; suas ipsi actiones dedicando, frequenter visitando Venerabile Sacramentum, de rebus Spiritualibus libenter sermocinando, sæpius etiam vota renovando.

12. Profiteri ædificationem publicam, & Regularum observantiam; eamque in aliis, nullâ dicteriorum, quæ occurrere inde possent, habitâ ratione, conari promovere. Singulariter attendat; ne secularibus per actiones suas scandalum præbeat.

Plura

Plura pietati ac industriæ propriæ invenienda relinquo. Inſpiciatur libellus, cui titulus : Ars vivendi contentum in Religione Authore Fauſtino Lombardelli, qui eſt longè utiliſſimus.

PRO PERSONIS ECCLESIASTICIS.

De iis, quorum fugam Eccleſiaſticus ſibi debet proponere.

1. Conſtituat fugere quidquid ſtatum gradumve ipſius dedecet : occulta conventicula, luſus, converſationes liberiores: vanitatem in veſtitu, cincinnis, & cæſarie. Libertatem in loquendo & agendo.

2. Quidquid caſtitatem, (ut quam vovit) vel per umbram etiam obſcurare poteſt.

3. Caveat ſcandalizare proximum, maximè indecorâ Miſſæ celebratione, ac indecente officii Divini recitatione.

4. Non implicet ſe negotiis ſecularibus, qualia ſunt negotiatio aut mercatura &c.

5. Verbo : omnia (& multò plura jure meritò) quæ homini ſeculari commendata ſunt, ſibi vitanda proponat. Statuat præterea, quod ſubjungitur tanquam proprium gradui ſuo, ſtudiosè amplecti, nempe

1. Devotionem, pietatem ac decorem in miniſteriis Divinis, quia ad ea decenter obeunda ſpecialiter eſt electus.

2. Vitam exemplarem tam domi, quàm foris : ut omnibus ſit *Chriſti bonus odor.*

3. Accurationem omnem poſſibilem in recitando Divino Officio.

4. Si beneficium habet, aut ſi cura animarum ipſi concredita eſt, obligationi è duobus his titulis enaſcenti reſpondere proponat.

Non extendo me ad plura, quia, cùm vivant, ut sup-pono, in sæculo multa superiùs pro secularibus posita ipsis possunt esse communia.

Ut suprà positæ animæ resolutiones effectum nanciscantur, non sufficit quocunque modo illas decernere verum conformiter rationi persuadenti, proposita hæc sunt capessenda: unde conformiter illi, quod quis fuit meditatus, quod consideravit, legit, audivit à Directore aut à Deo accepit inspiratum, proposita capiat præmonstrata, conformiter nempe illi, quod fides, ratio ac discursus persuasit, Petit deinde humiliter à Deo gratiam illa exequendi. Deliberet etiam de utilibus propositis sua exequendi mediis, exquirat similia à Directore aut Patre spirituali; statuat omnia eorum obstacula è medio tollere, qualia à Dæmone, mundo, carne injicienda esse, facilè augurari potest. Quòd si hæc propositorum formandorum methodus adhibenda esset, credo ea seriò esse apprehendenda; & secuturum consequenter affectum, ipse proponens sibi poterit spondere: ità ut finito Exercitiorum tempore Persona exercitans in aliam mutata secundùm interiora & exteriora Virtute motivorum, quæ à veritatibus æternis sunt subministrata, palàm sit apparitura. Dominus det gratiam suam omnibus, quotquot Exercitiis sunt operam navaturi, Amen.

§. XLVI.

In quidnam ista Exercitiorum efficacia refundenda sit.

DEnique non omittam respondere postulanti à me, quid magna illa animam perficiendi efficacia, quâ Exercitia S. Ignatii admirabili pollere, hactenus sæpè diximus, sit refundenda: ad illud ergo postulatum.

Respondeo *primò*. Quòd illa refundatur in peculiarem Dei assistentiam, qui iisdem à Vicario suo in terra approbatis peculiarem illam tribuit virtutem.

Secundò. Posita est in eorum omnium, quæ S. Ignatius præscribit, observantia, in meditatione seria & attenta; cum affectu, intellectu omnia seriò ponderante, & dirigente meditationem ad inflectendam in fugam mali, in prosecutionem boni voluntatem, in meditatione animi à curis omnibus liberi, & ad profectum cum gratia Dei se disponentis per ferventem opis Divinæ implorationem, usum pœnitentiarum, & per omnium, uno verbo, quæ in paginis hisce minutim protuli, adimpletionem. An verò tot operum piorum cumulus parvæ tibi efficaciæ videatur? Affirmo tibi, quòd, quia gratia Dei actualis principaliter consistit in illuminationibus intellectûs (per quas discimus, quid nobis sit agendum) & in motibus voluntatis (ut illa id, quod Deus exigit, amplectatur) is, qui Exercitia obit, modo particulari se disponat, ut illuminationibus Intellectus per illas gratias primas illustretur, & per secundas excitetur ad actu operandum. In Exercitiis, ut ostendi, excutiuntur æternæ veritates, ordinatæ ad praxin, id est, ad traducendam vitam homine Christiano dignam (atque per hanc meditationem illustratur Intellectus] voluntas autem specialiter movetur in colloquiis, quæ maximopere S. Ignatius urget. Quâ ra-

tione ergo non ſint efficacia Exercitia , & cur non conferant ad animam perficiendam !

Tertiò. Hæc omnia in variis meditationibus quotidie per integram hebdomadem, aut ſpatium etiam amplius reiterata, unà cum examine conſcientiæ, cum lectione Spirituali, cum periti Directoris operâ, qui fieri poteſt, ut non ſint aptiſſima ad memoriam finemq; profectò ſi Propheta dolens loquitur, *Non eſt qui recogitet corde* , cauſam huic dolori non præbet tempus Exercitiorum. Non tantùm in *iis cogitantur* veritates, ſed *& recogitantur*, ut ſi ictus unâ vice non penetret, pervadat vice alterâ. Exercitans cogitat, & recogitat *corde*, id eſt, libenter, cum affectu & bona voluntate. Cùm & ultroneè ab omnibus occupationibus & diſtractionibus ſe expediat, ac ſeparet, eo tantùm fine , ut prædictis veritates cogitet ac recogitet corde, tanquam fundamenta vitam vivēdi non animalem ſed rationalem prudens ipſe Lector judicare velit, fidemne mereatur, quòd Exercitia Spiritualia S. Ignatii efficacia ſint ad finem , ad quem ſunt ordinata ? Et efficaciam illorum abundè Dæmones cognoſcunt, & impii, uti vel ex eo ſolo patet, quòd pios deridendo, exploden do, urgendo ne fiant, ab eis amplectendis conentur abſtrahere. Profectò non arridet ipſis cum Deo tractari in oratione ; reflecte, quantoper (ſcilicet) Dæmonem oblectet oratio ; quid e go de ipſo dicemus, ſi octo vel decem diebus, &

tc



ot horis quotidie illa repetatur ? Optat ipse x mente prorsus veritatum æternarum cogi-ationes exterminari: Optat nunquam de emen-atione vitæ cogitationem occurrere &c. Quid rgo mirum, quòd tot adversus illa contradi-ctiones jam hinc, jam inde, quot numerari vix possunt, promoveat: sed contradictiones sibi psis contradicentes: dum subinde malum, sub-nde bonum ex parte ipsorum obtendit. Ad re-utandum Dæmonem sufficit, ipsum menda-ciorum patrem prodire, ac decertare con-ra medium tale à sacra sede approbatum, fru-ctuque, de quo loquimur, per experientias con-firmatum.

MONITUM.

Ad Personas Religiosas.



PRo supplendo Directoris, qui Exercitia tradat, defectu, sive absentiâ, medium facile, de anno semel ad finem suum se disponendi, suggero. Mense Majo aut Septembri vel Octobri, cùm auræ tempestas sat mitis sit, illo tempore, poterunt inter se convenire Religiosæ, imò & Religiosi (accedente tantùm permissione & nullâ obligatione) dum in choro congregantur manè ad matutinum, à prandio ad

ad vesperas : Duabus hísce vicibus , non nemo puncta meditationum illis prælegat, quales in aliis paginis sequentur. Fiat hoc per octo vel decem dies. Hac industriâ, absque invocato ullius extranei præsidio, poterunt se mutuò adjuvare in ruminandis veritatibus æternis, & in procuranda tali morum emendatione, quali indiguerint.







PARS II.
SOLITUDINIS SACRÆ.

Quâ continentur Meditationes sufficientes pro octo, vel decem diebus Exercitiorum.

COnstitui te hodie, ut evellas, & destruas, & dissipes, & ædifices, & plantes. *Jerem.* 1. Rectas facite in solitudine semias Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aspera in vias planas. *Isaiæ* 40. In meditatione mea exardescet ignis. *Psal.* 88. Meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar. *Psal.* 148. Ascendamus duobus quibusdam Pedibus, Meditatione & Oratione, Meditatio docet, quid desit; Oratio ne desit, obtinet: illa vitam ostendit, hæc deducit. *Bern. serm.* 1. *de S. Andrea.*

PARS II.

Continens Meditationes pro decem diebus sunt que selectæ ex quatuor hebdomadis ad quas S.Ignatius Exercitia deduxit; pro majori autem incipientium facilitate fusiùs à nobis propositæ. Et quoniam primo loco eas ponimus, quæ è prima septimana sunt desumptæ, Additiones pariter præmittimus illis conformes, quæque tempore illo, dum has oportet meditari, semper observandæ sunt. Incipiunt autem à fine, propter quem homo conditus est, usque ad meditationem de filio prodigo. Recolatur instructio facta in prima parte pag. 32. n. 22.

ADDITIONES

Ad Exercitia meliùs agenda, & ad ea, quæ optantur, invenienda perutiles.

PRima est, ut post cubitum, ante somnum, modico temporis spatio, quo recitaretur semel Angelica Salutatio cogitem de horâ, quâ surgendum mihi erit, & de Exercitio faciendo.

Secunda: ut expergefactus, statim exclusis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applicem, quod in primo mediæ noctis Exercitio contemplaturus sum: utque majoris verecundiæ, & confusionis gratiâ, exemplum mihi hujusmodi proponam: Quomodo miles aliquis staret coram Rege suo, & cœtu Aulico erubescens anxius, & confusus, qui in Regem ipsum, acceptis ab eo priùs beneficiis, donisque plurimis ac magnis graviter deliquisse convictus esset. In secundo itidem Exercitio reputans, quantum peccaverim, fingam me catenis vinctum

ctum esse, ac protinus sistendum coram summo Judice; sicut mortis reus quispiam, ferreis ligatus compedibus, duci ad tribunal solet. His igitur, vel aliis, pro meditandarum rerum genere, cogitationibus imbutus, vestitu meo me induam.

Tertia: ut à loco futuræ meditationis uno, vel gemino adhuc passu distans, per tantillum tempus, quo percurri Oratio Dominica posset, animo sursum elevato, considerem Dominum meum JESUM ùt præsentem, & spectantem, quidnam acturus sum; cui reverentiam cum humili gestu exhiberi debeam.

Quarta est: ut ipsam aggrediar contemplationem nunc prostratus humi, & pronus, aut supinus jacẽs, nunc sedens, aut stans; & eo me componens modo, quem spem faciliùs id consequi, quod opto. Ubi adverti hæc duo debent: primum; quòd si flexis genibus, vel in alio quovis situ voti compos fiam, nil requiram ultrà: Secundum; quòd in puncto, in quo assecutus fuero devotionem quæsitam, conquiescere debeo sine transcurrendi anxietate, donec mihi satisfecero.

Quinta: ut completo exercitio, sedens, vel deambulans, per quartam circiter horæ partem, mecum dispiciã, quonam modo meditatio, seu contemplatio mihi successerit: & si quidem malè, inquiram causas cum pœnitudine, ac emendationis proposito: sin verò bene, gratias Deo agam, eundem postea modum observaturus.

Sexta: ut cogitationes, quæ gaudium afferunt, qualis est de gloriosâ Christi resurrectione, subterfugiam: quoniam talis quælibet cogitatio impedit fletum & dolorem de peccatis meis, qui tunc quærendus est, adscitâ potiùs mortis, vel judicii recordatione.

Septima: ut eandem ob causam omni me privem lucis claritate; januis, ac fenestris clausis tantisper, dum ibi moror: nisi quando legendum, aut comedendum est.

Octava: ut à risu, verbisque risum provocantibus maximè abstineam.

Nona: ut in neminem oculos intendam; nisi salutandi, aut valedicendi poscat occasio.

Decima: ut aliquam addam satisfactionem, seu pœnitentiam: quæ quidem in interiorem, & exteriorem dividitur. Interior est dolor de propriis peccatis, cum firmo proposito cavendi tum ab illis, tum ab aliis quibusvis in posterum. Exterior autem est fructus interioris, videlicet castigatio aliqua de commissis: quæ tribus potissimùm modis assumi potest.

Primò. Circa victum; subtractis quibusdam non superfluis solùm (quod temperantiæ est, non pœnitentiæ) sed etiam convenientibus alimentis: & eò fit meliùs, quò plus subtrahitur, vitatâ interim naturæ corruptione, aut debilitate gravi, seu infirmitate.

Secundò. Circa somni, & strati modum, sublatis non mollibus tantùm, aut delitiosis rebus; sed aliis etiam opportunis, quantum licet citra vitæ, aut valetudinis grave periculum. Quapropter de somno necessario nihil demendum est, nisi aliquantisper ad consuetudinem (si qui est nimii somni) moderandam.

Tertiò. Circa ipsam carnem, ut inflictum sentiat dolorem, admotis, gestatisque ciliciis, funibus, aut vestibus ferreis; vel incussis verberibus, ac plagis; magis expedire videtur, ut doloris sensus in tantùm sit, nec penetret ossa cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potissimùm utemur ex funiculis minutis, quæ exteriores affligunt partes, non autem adeò interiores, ut valetetudinem adversam causare possint. Notanda sunt insuper quatuor hæc circa pœnitentiam.

Primum, quòd pœnitentiæ exterioris triplex est usus seu effectus: nimirùm ut pro delictis præteritis satisfiat; ut vincat seipsum homo, inferiorem sui partem

qu

quæ ſenſualitas appellatur, ſuperiori, hoc eſt, rationi, magis ſubjiciens: Ut poſtremò quæramus, atque impetremus aliquod gratiæ Divinæ donum, quod optamus; puta intimam cordis contritionem de peccatis, & abundantiam lachrymarum, vel propter illa, vel propter pœnas, & dolores Paſſionis Chriſti; aut dubii alicujus, quod nos angit, reſolutionem.

Secundum; quòd Additiones primæ duæ ſolis conveniunt Exercitiis, quæ mediâ nocte, ſub auroram fiunt. Quarta verò in templo vel coram aliis nunquam, ſed domi tantùm, & clanculum exequenda eſt.

Tertium; quòd, quando is, qui exercitatur, effectum quæſitum non conſequitur, ut dolorem, vel conſolationem, mutare ſubinde expedit rationem victûs, ſomnique, & alia genera pœnitentiæ: ita ut pœnitentiam unam per triduum ſectemur, & proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo: prout diverſis plus, aut minus pœnitentiæ eſt ſumendum.

Præterea cùm pœnitentias hujuſmodi ſæpe omittamus ob affectum carnis, aut erroneum judicium, quaſi naturalis noſtra complexio ferre illas non poſſit, citra ingens valetudinis detrimentum: & econtrariò juſtum nonnunquam pœnitentiæ modum excedamus, de corporis robore nimis confidentes; mutatis, ut dictum eſt, pœnitentiæ generibus, ac per vices ſumptis, ac relictis, evenit plerumque, ut clementiſſimus Dominus, qui naturam noſtram perfectiſſimè cognoſcit, unicuique id compertum reddat, quod ipſi expedit.

Quartum; quòd particulare Examen fiat ad tollendas culpas, & negligentias, quæ circa Exercitia, & Additiones ſolent obrepere: id quod etiam per alias ſequentes hebdomadas obſervandum venit.

ADDITIONES SIVE REGULÆ,

Quas S. Ignatius obſervandas iis propoſuit, qui occupantur Meditationibus primæ ſeptimanæ.

MONITUM I.

FRuctus, quem è meditationibus S.Ignatii ad primam ſeptimanam oportet capere, debet eſſe hic generalis, ut anima abſtrahatur ab amore inordinato Creaturarum, quo Creator earum offenditur; deteſtando toto corde ſummum illud malum, peccatum, quod à Deo ſummo bono ſeparat: huc omnia hoc tempore, de quo modò ſermo, referri debent: oranduſque Deus, ut gratiam peccata commiſſa deteſtandi largiatur, cùm ſerio propoſito ab iis deinceps abſtinendi.

MONITUM II.

Meditationes ſequentibus in paginis deſignandæ ſufficientes ſunt pro decem diebus, ut fortè abundantes, uti ex Indice, in quo videri poteſt diſtributio in ſingulos dies, manifeſtum fiet: multò ampliùs abundabunt, dum octo tantùm dies Exercitiis dandi fuerint, quod idem dicendum de materiâ propoſitâ pro horâ conſiderationis. Ideoq; pro caſu ſuperfluitatis conſulo, ut cum approbatione Directoris, meditationes, uti & conſiderationes, quæ ſuperfluæ fuerint, adhibeantur pro lectione libri ſpiritualis: quin &, dum materia non redundârit, in defectu librorum Spiritualium, hæ ipſæ Meditationes, & conſiderationes quantacunque diligentiâ in meditatione expenſæ ſervire poterunt pro utiliſſimâ materiâ lectionis ſpiritualis: quo pacto fiet etiam meditationis repetitio, quam tantopere urget S. Ignatius; uti ex iis patebit; quæ in fine Opuſculi hujus dicenda ſunt pro inſtructione Directoris.

MO-

MONITUM III.

Pro Personis magis doctis, proque Ecclesiasticis in lectionem spiritualem selegi varia Scripturæ loca, quæ lector dum legit, hortor, ut aperto capite, aut genibus etiam flexis, ex reverentia in verbum Divinum eadem perlegat.

MONITUM IV.

Personæ autem minùs doctæ, legendo eadem cum devotione, quamvis etiam sine perfecto eorum intellectu, fructum suum capient.

MONITUM V.

Dum integræ Communitati, uno in Oratorio congregatæ, Exercitia traduntur, meditationes etiam simul obiri eodem in loco possunt, & ad devotionem excitandam faciet, ut finitâ meditatione Director in Orationes illas jaculatorias, quæ cuique Meditationi subnexæ sunt, affectuosè præeat, additâ parvâ Paraphrasi, aut explicatione non tam verborum, quàm sensuum.

MONITUM VI.

Nonnulli meditationibus è prima septimana desumptis tres dies, quando octiduana obeunt exercitia; alii autem quatuor, dum decendialia obeunt. Quid autem faciendum sit, consulendus est Director.

MONITUM VII.

Pro tempore peragendæ Confessionis generalis, sive de tota vita, sive de parte, duo comprimis tempora observanda: nempe dies, quo instituitur Meditatio de peccatis particularibus, aut quo occurrit Meditatio de filio prodigo.

MONITUM VIII.

Compositio loci præfigitur cuilibet meditationi, verùm eo modo, ut incipiens, causam non habeat eam tanquam difficilem intellectu, aut molestâ in praxi perhorrescendi. In instructione Directoris de eâdem, uti & de præludiis, & de Oratione præparatoriâ pluribus agam.

Non

Non volui ſub his vocabulis de eis hucusq; loqui, ne illis terrerem eum, pro cujus utilitate potiſſimùm ſcribo.

MONITUM IX.

Cùm in ſequentibus meditationibus non proponantur niſi veritates fidei; ſuadeo, ut ſingulis actus fidei circa punctum, quod meditandum ſuſcipitur, præmittatur: dicendo *E.gr.* Credo Domine, quòd me creaveris, ut Tibi in hac vitâ ſerviam, Teq; fruar in alterâ. Credo, quòd peccatum omne ſit offenſa Tui. Credo, quòd mihi moriendū ſit. Credo, quòd actionum mearum à me Tibi in judicio reddendæ ſint rationes. Credo, quòd exiſtat Infernus, quòd detur Paradiſus, quòd eorum futura ſit æternitas.

Dum myſteria vitæ Chriſti meditanda occurrent, recita Symbolum Apoſtolicum, ut quòd illorum eſt compendium. Imò & ejuſdem recitatio utiliſſimè omni meditationi præmitteretur. Expediet etiam redacta in compendium cujuſque meditationis puncta, illique ſubnexa legere, & de iis actum fidei elicere; poteriſque uti verbis cæci illius Evangelici: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.

Et hac ultima animadverſione facilè colliges, Exercitiis S. Ignatii, doctrinam minimè exoticam, aut inuſitatam, ideoq; illuſioni, ac deceptioni obnoxiam contineri, verùm purè complecti veritates à Chriſto prædicatas, ab Apoſtolis, & SS. Patribus traditas: quare ad vitam reformandam non poteſt non plurimum facere ſeria eorum per octo, vel decem dies meditatio. Nec dixeris mi Lector, quòd jam eas conſideraveris aliàs: ad hoc enim reſpondeo, ſemper illas eſſe recogitandas, uti & ſemper neceſſe eſt, ut omni modo poſſibili te diſponas ad finem ultimum, qui eſt ſalvare animam ſuam. Et quis, amabo, niſi revelatum illi cælitus fuerit, novit, utrum odio, an amore dignus ſit? Omnium una & communis, eſt timoris Domini continuò inſtaurandi, neceſſitas.

EXER

EXERCITIUM I.

De fine, ad quem Deus hominem creavit.

Sive de

PRINCIPIO ET FUNDAMENTO.

Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens Architectus FUNDAMENTUM *posui : alius au-em superædificat. Fundamentum enim aliud nemo po-est ponere, nisi id, quod positum est.* 1. ad Corinth. 3. *Multi sunt (flens dico) quorum* FINIS *interitus, uorum Deus venter est, & gloria in confusione.* Ad Philip. 3.

EXERCITIUM

Trium animæ nostræ Potentiarum pro supradicta meditatione.

Prima hæc meditatio desumpta est ex prima Septimana Exercitiorum S. Ignatii.

Veritas, quæ hîc proponitur vocatur principium, tum quia cuivis Christiano illa innotescit tanquam prin-pium in facultate aliqua; tum quia hæc præ omnibus obis est ponderanda. Dicitur similiter fundamentum, uia super illa tanquam lapide fundamentali ædificatur, uidquid in reliquorum Exercitiorum cursu S. P. ap-onet. Quare in sequentibus omnibus meditationibus reviter memoriam illius renovabo, ut appareat vis & ficacitas, quam quælibet continet ad hunc finem relata. Exercitia facturus, meditationi huic studiosè intendat nimum, ut & Exercitia auspicetur cum fervore, & me-ùs doctrinam quàm necessariam, tam parùm sæpè & igidè examinatam profundiùs penetret. Antequam xordiaris, cogita te ab Angelo Custode sisti ante so-um augustissimum SS. Trinitatis : Deinde quidquid ælo continetur, oculo circumspiciens, imaginare à

Deo hanc ad te vocem allabi. Ego principium sum & finis horum omnium; quæ vides, omnium Author & Dominus. Præparationem adhibe meditationibus præmittendum, de qua *pag. 32. & 34. in prima part.*

Fructus, quem consideratio Intellectûs & voluntatis affectus hic spectare debet, est emendatio mali usûs creaturarum, quibus contra finem, ad quem & tu & illæ creati estis, abutendo peccâsti. Ut ad fructum hunc consequendum Dominus auxilium tibi conferat, dices brevissimam hanc orationem. *Notum fac mihi Domine finem meum, ut sciam, quid desit mihi.*

Cardinalis Sforza Pallavicini, Scriptor Historiæ Concilii Tridentini; spatio 22. annorum omni die palmarem hanc veritatem, quæ primo hoc exercitio continetur, fuit meditatus.

PUNCTUM PRIMUM.

Creatus est homo in hunc finem, ut Dominum Deum suũ laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat.

VEritatem hanc breviter reduc in memoriam & de illa Intellectu discurre O ANIMA MEA! & dic intra te, sistendo nonnihil ad lineolas descriptas. O quanto favore Dominus me dignatus est! quàm præcellente! --Quæ creatura alia sub cælo ad finem tam nobilem condita fuit? - - Nulla in terris, nisi homo omnino, ut Angeli in cœlis. - -Sol, luna, stellæ sunt, ut mundum illuminent -- bestiæ propter actiones, cum quibus earum vita terminatur -- plantæ ut fructus suos proferant -- nequaquam, ut cum pari excellentiâ Deo serviant, quâ homo, cognoscendo illum per Intellectum, amando per voluntatem. & ita modo nobilissimo eum laudando -- ita est: non ob finem ejusmodi dictæ creaturæ mundum incolunt -- multò minùs ut Deo æternum in cælis fruantur - quid dicis ad hæc? nunquid verissima? --equidem sunt verissima: -- Itaque Deus te longè super omnes exaltavit; nunquid, ita? ita

ita ſanè -- ita eſt. edic modò, unquàmne pro honore tâm ſublimi Deo egiſti gratias? -- metuo, ne non feceris. -- O anima mea, quàm ergo ingrata fuiſti! -- modò ad minimum illud præſta per colloquium animatum affectu ardentis voluntatis, & gratiarum loco dic illi:

Mi amabiliſſime Deus! O quæ inventiones amoris tui! quanta dulcedine recreâſti me in meditatione finis hujus tam præcellentis! quanta amoris tui ſolertia! magna hæc eſt -- imò maxima: -agnoſco illam & confiteor: -- & ex toto corde tibi gratias ago; -- Imò mi Domine: -- gratias tibi ago quod me creaveris, ut tibi ſerviam, te amem, te laudem in hoc mundo, & in altero tui æternum particeps fiam.

Hoc jam præſtito, ulteriùs progrediatur intellectus tuus O anima mea, & examina actiones vitæ tuæ ac mores: vide quí te geſſeris à tempore creationis tuæ. An in pueritia: in adoleſcentia, in ætate virili, in publico, in ſecreto, cum amicis, cum ſociis, verbo, opere, cogitatione, affectúque ſerviveris Deo, eum amando, laudando, voluntatémque illius faciendo - ſi hæc feciſti, propone continuare: ſi non, projice te ad pedes illius: elice affectum doloris, & ſequens in corde tuo inſtitue colloquium plenum affectu, quo voluntatem tuam excites ad gratiarum actionem, & dic: -O mi creator! quantæ adverſùm te ingratitudinis monſtrum ego fui! - accuſo me, & doloroſè me accuſo, quòd ex quo veni in mundum, in hanc horam uſque, tibi non ſerviêrim ſyncerè, nec te laudârim debitè nec amarim: doleo de hoc, & toto corde doleo -doleo de hoc, uti & quod cauſa fuerim aliis, quòd tibi non ſerviêrint, te non laudârint, nec amârint - imo occaſio fui, quod te offenderint, te ſpreverint, -- te contempſerint quantum de hoc doleo, quantopere illud deteſtor; ignoſce O bonitas infinita, da mihi gratiam bene agnoſcendi, quod in ſerviendo tibi in amando & laudando te præter honorem meum, ſumma

mea agatur utilitas quia ita vivendo in terris, æternùm in te gaudebo in cælis

Immorare dein paululum. ad hoc ipsum confirmandum, quod in colloquio expressisti. Examina porrò causas, cur propter tam nobilem, tam tibi lucrosum finem non fueris operatus; fortè invenies, quod illius non fueris recordatus, aut passione aut tentatione aliquâ abstractus. Dum autem originem tam gravis erroris deprehenderis, cogita de eo reparando. Optimum mihi videtur remedium futurum, si tibi proposueris sæpe meminisse finis, ob quem mundum intrâsti. Ad hoc propositum exequendum poteris manè, priusquàm surgas, illlius recordari, & dicere orationem aliquam jaculatoriam, ex iis, quæ subnectuntur meditationi; simúlque facere intentionem omnia ad honorem Dei, & ad animæ tuæ salutem referendi pro reliquo diei tempore. Idem propositum poteris confirmare sub auditione missæ, in recitatione precum, & occurrente piâ aliqua imagine in ambitu aut alibi. Vel si quid melius tibi occurrit, illud amplectere, aut patrem spiritualem consule.

PUNCTUM SECUNDUM.

Reliqua verò super terrã sita, condita sunt hominis ipsius causâ, ut eum ad finẽ creationis suæ prosequendũ juvent.

QUid judicat intellectus tuu de hac veritate O ANIMA MEA, dum illa memoriæ occurrit?--- puto, quod sacro horrore perculsa exclamare debeas:-- O quot media deo serviendi, ipsum laudandi & amandi in hoc mundo! --quot viæ tendendi ad æternam ipsius fruitionem in altero mundo! -- dedit mihi Deus creaturas numero multas & varias---voluit illas esse bonas in se, & amabiles pro me: & quare?-- non ut in illis sisterem, verùm ut ex illarum bonitate & pulchritudine ascendendo ad cognitionem Domini mei, qui illas dedit, tantò libentiùs iis ad amandum & laudandum Deum & in eo me oblectandum uterer.----Verùm quid horum fecisti? aliud tibi

bi gaudium in iis proposuisti, dicendo cum impiis ;-- *Venite fruamur bonis*:non verò iis ceu medio debito usa es -stulta proinde es anima mea:quàm enim insipiens foret aurifaber, cui optimi suppeterent malleoli, pulchræ limæ,bellæ trochleæ; si in horum pulchritudine contemplanda sisteret,ad aurum verò elaborandum, cui ista parata sunt,minimè adhiberet.-Tantò autem es amantior, quod Deum simul offenderis, ampliùs amando media quàm finem,ampliùs creaturam,quàm creatorem. Cogita, an non hæc vera sint; Síque de veritate convicta es, sequens collòquium affectuosè ad Deum iratum institue.

Misericordia Domine! misericordia!confiteor aliquas à me creaturas amatas fuisse, tanquam si verus meus ultimúsque finis fuissent,neque iis me usum esse ad tibi serviendum,prout lex tua mihi ordinavit; -fateor ,-- dedisti mihi solem, ut luce illius uterer ad gloriam tuam ;-- abusus sum illa ad opera iniquitatis & tenebrarum :--- dedisti mihi vires,sanitatem,&victum,ut ad tibi serviendum roborarer: & ad tui offensionem illis sum abusus; - commoditati meæ modò hanc,modò aliam subministrâsti creaturam, ut te impensiùs amarem; & ad te irritandum toties eas converti. --Facultates,dona,amicos:consortia in opera tibi displicentia converti. -- Mihi famulo, ô famuli propudium! tam elegantem solvistis monetam; & contra te expendi. -Miserere Domine, quia errorem meum agnosco & retracto, noleo quod tot creaturis ad tui offensionem abusus sim maximè illis NN.Hìc in corde designa creaturam illam,propter cujus frequentatum abusum conscientia te maximè mordet, & propone emendationem:siste dein paululum,& propositum ratum habe,quod in colloquio concepisti. Examina dein; quæ fuerit origo,quod creeturâ memoratâ abusus fueris'Forté inveniens fuisse hanc,quia,ad bonum sensibile aspirâsti non æstimando, licitúmne foret nec ne,nec curando an Deo displiceres, modò desideria tua expleres. Applica

dein remedium, quale poteſt eſſe ſeques. *Ut nempe circa creaturas ſis indifferens, ſtatuáſque non plus ex iis uſurpare, quàm Deus, & lex permittit.*

PUNCTUM III.

Unde ſequitur, quod creaturis non ſit utendum, niſi in quantum nos juvant ad Deo ſerviendum, ad ipſum laudandum & amandum, illic autem ipſo æternùm fruendum; nec affectando nec repudiando ullam, niſi in quantum ad hunc finem conducit aut ab eo abducit.

O ANIMA MEA! ſi intellectu bene expenderes veritatem, quam memoria modò propoſuit, agnoſceres eſſe veriſſimá. Aurifaber utitur indifferẽter forcipe, malleo, incude, neque cum majore in unum inſtrumentum inclinatione, aut ab altero averſione; utitur vel deponit illud prout ad ſuſceptum opus perficiendum conducit aut eidem obſtat. Nonne ita eſt? imò verò: idem & tibi agendum amplius aut minùs de creatura tibi utendũ eſt prout plus minúſve conducit ad ſerviendum Deo in hoc mundo, ut illo fruaris æternum in altero. Si ad finẽ hunc expediat, utendũ eſt, licèt ſenſualitati tuæ diſpliceat. Dum non juvat, magìs autem dum obſtat, ab ea abſtinendum licèt ſenſualitati allubeat. Niſi ita es diſpoſita ô anima mea non operaris conformiter naturæ tuæ rationali: oportet enim ſcire, quod nulla creatura reſpectu tui bona eſt niſi te adDeum conducat, neq; mala ſi ad hunc ipſũ ferat: quare ſi te excutiendo invenis, quod in hoc graviſſimo puncto aberraveris, ſequentem affectum doloris voluntatua aliciat, & emendationem proponendo, cum omni reverentia ita ad Deum loquere.

O Creator mi amabiliſſime ecce me reum & accuſatorem corã Divino tuo tribunali, qui multis creaturis à te mihi conceſſis ceù mediis te amandi abuſus ſum ceu inſtrumẽtis ad te offendendũ: ad peccandũ ſerviêrunt mihi tres potentiæ memoria, intellectûs, voluntas, quinq; item ſenſus viſus, auditus, guſtus, tactus, odoratus, verùm quàm graviter me erràſſe agnoſco; tam graviter doleo: propono

ad

adjuvante tuâ gratiâ seriam emendationem atq; hoc propositum exequar, deinceps abdicabo me omnibus quantumcunque delectabilibus, amicis, conversatione, libertate etiam meâ, dum prævidero, iis me à Sanctissimæ legis tuæ observantiâ abstrahendum admittam alteram creaturam quantumcunque displicentem (pœnitentias, humiliationem, & abnegationem meorum appetituum) si videro profutura ad serviendum tibi in hac vita, & fruendum te æternùm in alterâ -- Deinceps nunquam utar creaturâ aliquâ cum despectu Creatoris mei --- illas solùm amabo, quas lex concedit -- modoque illo tantùm eis utar, qui illi placebit.

Quiesce paululum, ad propositum modo ceptum confirmandum. Perquire intra te, quid te impulerit ad creaturâ aliquâ cum Dei offensâ abutendum. Fortè te naturæ tuæ malitia abduxit; aut spes boni alicujus temporalis, aut vani damni timor illexit; spes *v.g.* lucis & æstimationis aut metus displicentiæ & contemptûs. Postquam mali præteriti radicem detexeris, cogita de remediis, ne cadas deinceps; unam apprimis utile mihi futurum videtur, si consilium super hoc inieris cum Patre spirituali. Et alterum, si specialiter orationem ad Deum direxeris pro intelligentia illius obtinenda; si frequenter confessus fueris, illiusq; quod modò meditatus es, tibiq; proposuisti, sæpe, memineris.

Monitum.

Optarem ut methodus hæc reflectendi ad radices peccatorum, mediaq; simul illa emendandi, semper in exercitiis observaretur, atq; à Directore suggereretur, à qua repetenda deinceps ad fugiendum prolixitatem, abstinebo.

Orationes Jaculatoriæ.

Quales expedit ante abitum è loco orationis, omninò affectuosè dicere ad fovendam devotionem, quæq; ignẽ accensum conservabũt, si repetitæ fuerint tempore intermedio ante instantẽ meditationem. Sunt autẽ sequentes.

I. Oblitus sum Domine finis mei. II. Quid mihi est in cœlo & à te, quid volui super terram nisi te Deus. III. Tu es principium meum & finis ô Deus. IV. sordes in pedibus

meis

meis ſunt,non ſum recordatus finis mei V. non ſit mihi alius Deus præter te VI, Creâſti me Domine in laudem & gloriã tuam VII, Uſquequo Domine gravi corde,ut quid diligam vanitatem,& quæram mendacium VIII. revertar ad Dominum Deum meum IX. in te Deus ſunt omnia vota mea. X. Erravi,ſicut ovis quæ periit. XI. Quis dabit mihi pennas ut columbæ, & volabo & requieſcam in te. XII. Dominus meus tot bona mihi tradidit, quomodo poſſum malum facere & peccare in Deum meum?

Oratio.

PRotector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut te Rectore te Duce ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.

Finitâ meditatione oſculare terram dicendo, Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: recita Pater & Ave. Examina dein ſucceſſum meditationis; nota ſenſa tua & propoſita tempeſtivè juxta modum præſcriptum.

Per reliquam diei, quæ ſupereſt, partem ſtude obſervare additiones ſpectantes ad primam ſeptimanam, deſcriptas pag. 135. in ſecundâ parte. Et diſtributionem temporis notatam in primâ parte pag. 55.

Compendium meditationis præcedentis.

I. Deus creavit hominem ut ipſi ſerviat, ipſum laudet & amet in hac vita, & in altera æternùm ipſo fruatur.

II. Dedit illi creaturas,ut bonus earum uſus ipſi ſerviat tanquam medium ad ſupradictum finem conſequendũ.

III. Quare tali tantum modo & menſurâ adhibendæ ſunt, qualem Deus in lege ſua cuivis (conformiter ſtatui ſuo, permittit.

Monitum.

Suadeo ut puncta pro hora conſiderationis dividas in tempus antemeridianum & pomeridianum. Ponuntur autem in tertia parte hujus opuſ. ſub ſigno Tit. ubi ea inquire, & prout fueris aut ſecularis, aut Eccleſiaſticus aut Religioſus; cape, quod tibi conveniens. Quod hîc noto neceſſe ſit repetere idem.

EX-

EXERCITIUM II.

DE POENIS,

Quibus Deus triplicem ſpeciem Perſonarum, quæ graviter deliquerant adverſus finem, ad quem à Deo creatæ fuerant, caſtigavit.

SI Deus ANGELIS peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, exemplum ponens eorum, qui impiè acturi erant Petri. 2.2. *ADÆ verò dixit, quia comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: in ſudore vultûs tui veſcêris pane tuo, donec revertaris in terram, quia pulvis es & in pulverem revertêris.* Geneſis 3. *Et omnis prævaricatio & inobedientia accepit juſtam retributionem: quomodo nos effugiemus?* ad Hebr. 2.

EXERCITIUM

Trium animæ potentiarum pro Meditatione.

De pœnis, quibus Deus caſtigavit triplicem ſpeciem Perſonarum, quæ graviter peccârunt aberrando à fine, propter quem Deus eas creaverat; eſtque ſecunda primæ ſeptimanæ deſumpta ex Exercitiis S. Ignatii.

PRimæ ſubtexitur meditatio præſens, ut è ſuppliciis quibus in prævaricatores Deus animadvertit, homo dignoſcat, quàm vehementer Deus velit homines ad finẽ illum tendere, propter quem illos creavit, Priuſquam incipies, imaginare tibi, quaſi in obſcuro carcere deprehenſus ligatus eſſes catenis, manicis & compedibus ponderoſis trahendus ab locum aliquem ſupplicii. Fructus eliciendus ex intellectûs conſideratione, & affectibus voluntatis conſiſtet in eo, ut debitam ideam tam grandis mali, quale eſt peccatum, tibi efformes, ut ab eo ſemper ſis quàm remotiſſimus. Ut præſidium à Deo impetres ad fru-

fructum hunc optatum comparandum, recurre ad eum per brevem hanc Orationem: *Domine! iniquitatem ego cognoscam.* Observa alias præparationes ad Orationem notatas pag. 32. & 34. in prima parte Opusc. hujus.

PUNCTUM I.

Primi, qui à fine creationis suæ deviârunt, fuerunt angeli; uti & primi in pœna, dum ad æternæ gehennæ incendia primi sunt detrusi.

Materiam hanc memoria breviter proponat, & intellectus dein ruminet O ANIMA MEA, & ad lineolas siste Dic intrate: Qualesnam fuerunt hi Angeli tam severè puniti?—non fuerunt creaturæ viles aut populares, sed nobilissimæ.---Primæ, quas Deus è nihilo eduxit;—creati in cælo empyreo: dotati perspicacissimo intellectu ornati summâ sapientiâ & pari pulchritudine. - Immortales, Sancti, capaces æternæ Beatitudinis, & videndi Deũ —Exclama anima mea: ô Creaturæ excellentissimæ! & verum dices.—Verùm quid illis factum!—cum Lucifero Duce suo in ignem inextinguibilem sinè spe liberationis sunt præcipitati.— O infinita Dei justitia! cur ita evenit?- quoniam per unicum actum voluntatis detrectârunt Deo obedire, sícque non sunt operati conformiter fini, propter quem Deus eos creavit.. -Quàm acerba hæc una prævaricatio?— unum momentum—unum momentum. Ita est, unum momentum & non plura.

ANIMA MEA de veritate hac convicta erumpe in affectum voluntatis; sitq; *confusionis* coram Deo, quòd reatu tot peccatorum internorũ (quæ dubio procul numero sunt majora, quàm externa peccata operis (tam facilè nullo cogente in eadem sis prolapsa; & dic ad Deum: Itane ô Domine unicum peccatum Angelorum, ídque momentaneum à te mulctatũ fuit pœnâ æternâ;. - Neq; ad condonandum te movit, illud fuisse primum,- & commissum sinè prævio exemplo supplicii de aliis sumpti?-- numero quidem totidem, ut comparativè ad nos dici possint innumerabiles, —cùm posses etiam prævidere

qu

quòd veniâ obtentâ tibi ferventiùs fuiſſent majorique cum amore ſervituri. — Nihil, nihil horum ô Domine, curſum juſtitiæ tuæ ſiſtere potuit, —deturbâſti omnes in infernum; —ô quantum propterea confundor in me & erubeſco! —Heu quantum peccavi, malis cogitationibus inhærendo per intellectum! —quantùm deſideriis & moroſis delectationibus per voluntatem! —non ad momentum tantùm, ſed longo tempore, — interim hæc peccata non deflevi, vindictam tuam offensámque non timui — ô quàm temerarius fui! vide me nunc ad pedes tuos proſtratum, ac deteſtantem peccata interna phantaſiæ, — intellectûs, — voluntatis, — è quo impuro fonte tot alia externa profluxerunt.

Finito colloquio examina, quis tibi cauſa fuerit peccatorum internorum à te commiſſorum: fortè invenies radicem eſſe modicam cuſtodiam ſenſuum, aut quòd libros non ſatis caſtos legeris, quòd picturas inhoneſtas inſpexeris, aut comedias obſcœnas frequentâris. Quæcunque autem occaſio fuerit, propone illam evitare, mediaq; tibi determina, quibus ad hunc effectum uti velis, optimum erit mortificare ſenſus tuos non tantùm intra res illicitas, verùm etiam illas, quæ quanquam non ſunt prohibitæ, te tamen periculo relabendi exponent. Hinc libros impuros Vulcano trade, ſtatue non frequentare ſcenas liberiores, toties pronuntiare ſaltem corde, ſacra nomina JESU & MARIÆ, quoties mentem impuram aliquod phantaſma invadet, ne illic ſedem figat. Deniq; recurre ſubinde ad Deum, dicendo: Munda cor meum, aut Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Aut ſi alia tibi media occurrerint, aut Pater ſpiritualis ſuggeſſerit, adhibe. In aliis quoque Exercitiis conare ſequi hunc modum in faciendis propoſitis.

PUNCTUM II.

Primum peccatum ab hominbus factum fuit peccatum Adami & Evæ, quod admiſerunt eſu pomi vetiti, ideoq; à Deo condemnati ſunt ad miſerias vitæ humanæ, & ad mortem, quæ inter eas eſt maxima.

Considera per intellectum O ANIMA MEA veritatem, cujus jam tibi memoriam renovavi. Nec Adam nec Eva manus suas infami aliquo homicidio contaminavit ---neq; ullâ turpitudine, -- nec injuriam Deo ullam intulerunt blasphemiâ, perjurio aut idololatriâ,--- nec graviore alio facinore perpetrato contravenerunt fini, ad quem Deus eos creavit.—Peccatum illorum fuit manducâsse pomum, quod prohibitum fuerat.—Nunc verò, quæ pœna in eos lata?—è Paradiso terrestri, omnis innocuæ voluntatis domicilio sunt ejecti, atque in hanc lacrymarum vallem ad plura secula (plura enim illic extraxerunt) sunt relegati, per omnes vitæ humanæ miserias sunt exercitati, donec supremam incurrerunt, nempe mortem.--Collige nunc cogitando ô anima mea unum in cumulum omnes vitæ humanæ calamitates, paupertatem, morbos, ignorantiam, lites, bella, clades, desolationes,—exaggera in montem omnia mortuorum ossa, quotquot terram olim incoluerunt,—& conjectis in tot mala oculis percôtare, unde hi fructus, aut potiùs pœna, --unde tot myriades mortuorum?--ac deprehendes primam omnium malorum r[illegible]em esse peccatum Adami.

His bene perpensis, excita in voluntate affectum commiserationis erga tantas hominum miserias, tot fratrum tuorum mala, & loquere ad Dominum. Compatior mi Deus! calamitoso hominum generi, & ex corde condoleo, & ob innumeras ærumnas, quibus quotidie exagitatur;—compatior illi in rebellione appetitûs sui, quam quotidie experitur,—compatior ob pericula, quibus in momenta jactatur in manus Dæmonis jurati hostis sui incidendi—& in abyssum infernalem corruendi;—compatior,—verùm dum compatior, non possum non indignari peccato, quòd horũ aliorúmq; malorum vera fuit scaturigo—ô mi Deus! nisi Adam peccâsset, justitia, pax, natura, omnia fuerant nostra;—fuerat nostra vita una felix in hoc mundo,---& magìs vita una felicissima

ſima in æternitate, --- peccatum ipſius tot nos bona fecit perdere in hoc mundo,--- & continuo verſamur in periculo alteram meliorem perdendi in altero; --- quàm exitioſum itaque malum ſit neceſſe eſt peccatum! cùm unum ab uno capite commiſſum, torrentis inſtar inundatione malorum omnium nos involverit.

Finito colloquio ingredere in te ipſam ô anima mea: & reflecte, quantopere iraſcaris Adamo, quòd non impediverit mala illa, quæ ex vili gulæ cupiditate ſecutura erant, dum ſuæ obtemperavit concupiſcentiæ; --- ab Adamo dein ad te ipſam tranſi, teque ita alloquere: ut quid ergo cæca in tot peccata proruo, dum perſpicio experioŕq; tot mala ab unico etiam peccato provenientia? --- Turbor toties, quoties miſeria aliqua me premit, & attriſtor, --- quantò ſatiùs peccatum amolirer, in cujus pœnam adhuc hodiedum Deus temporalia ſupplicia immittit tum ipſi peccāti, tum integræ etiam ſubinde communitati, in qua peccator ille degit; --- quare audi me: & ne quis deinceps tuâ cauſâ patiatur, expia per ſacram Exomologeſin præteritas culpas, & cave, ne deinceps ejuſmodi committas, maximè illas, quas nôſti Deo præ reliquis in te diſplicere.

PUNCTUM III.

Ob eas ipſas noxas, quales tu commiſiſti, & ob multò pauciores, complures ad æterna gehennæ ſupplicia amandati ſunt.

HÆC veritas è tribus allegatis eſt poſtrema: diſcurre intellectu deſuper O ANIMA MEA, & dicito: Itáne ergo in inferno multi ardent propter paria peccata, qualia ego admiſi, & pauciora etiam? poſſitne eſſe verum? ---eſt veriſſimum, --- quod ſi in abyſſum hanc oculos demittere poſſes, videres aliquos in hac ignea fornace æternum ardere propter unicam blaſphemiam, alios propter unam vindictam; alios ob primum actum luxuriæ; ſimiliter diſcurre de aliis peccatis. Ratio autem eſt, quia in primo eorum peccato, cui immortui ſunt, occulto ſed

justo Dei judicio mensura peccatorum ipsorum impleta fuit, dum ulteriora Deus sufferre noluit. Postquam intellectu super hac veritate discurreris, ô anima mea, voluntas tua prorumpat in affectum amoris Dei, propterea, quòd cùm processerit contra alios juxta justitiam suam, tibi in misericordia indulserit, & sequens instituc colloquium.

Amabilissime Deus! tam multi in inferno deplorant æternùm unum peccatum mortale; & ego post tam multa adhuc securus vivo & exulto, fruorque beneficiis infinitæ tuæ clementiæ, non jaceo lugens inter mortuos oppressus pondere justitiæ tuæ, & quid ad hoc dicam! — non aliud, nisi quod agnoscam me obrui à tua charitate, quæ ut me ad se amandum attraheret, in tam copiosam & specialem misericordiam se elegit dilatare. — Agnosco illam ex animo; verùm nimis hoc parum est, — confiteri eam cupio operibus, quare me tui erga me amoris mancipium declaro, omnem meum amorem tibi consecro. — Debebam tibi illum innumeris aliis titulis; verùm si tituli etiam cæteri extinguerentur omnes, non intermorietur, sed vivet in me semper ille, quòd tibi placuerit, me tam gratiosè à tot aliis, qui minùs quàm ego, te offenderunt, discernere, præservando me à pœna illa, in qua isti cruciantur, & æternùm cruciabuntur. — Amabo te itaq; semper mi Domine, amabo te. Hujus mei in te amoris effectus ad minimū erit, te non offendere ampliùs, -- nimis heu sæpè id aliàs feci, lacessendo bonitatem illam infinitā, quæ omnem meretur cordium omnium amorem; — utinam profuso sanguine possem abolere malum, quod feci. — Abolebo eo saltem modo, quo possum; id est, ut primùm Confessione Sacramentali, & porrò semper dolendo, me peccâsse. — Tu mi Deus, qui hucusque bonitatem fecisti cum servo tuo peccatore, adhibe modò omnipotentiam tuam adversus peccatum meum. —
Destrue

Destrue illud & annihila, non tam quia illud mihi malum est, quám quia tibi est contrarium.—Itá liberatus à duplici malo culpæ & pœnæ tempore, quod mihi vivendum superest, vivam conformiter fini, ad quem me creâsti,—mortuúsque te amabo, & in te gaudebo per omnia sæcula.

Hìc paululum siste, & confirma facta proposita. Quibus superadde propositum sæpe Deo gratias agendi, quòd te è vivis non sustulerit post admissum peccatum mortale. Medium hoc optimè præstandi potest esse sequens. Primò orare: Agimus tibi gratias &c. Aut: Te Deum laudamus &c. Toties, quoties è lecto consurgis aut cubitum concedis, propter memoratum beneficium nominatim Deo gratias agendo. Secundò. Repete memoriâ diem illum infelicem, quo primum admisisti peccatum mortale; & annuatim recurrente hoc die, illud confitere, & sacram Synaxin ex prædicta intentione accede. Tertio. Fac te inscribi congreationi alicui, quæ à pœnitentibus nominatur, atque eâdem rursus intentione. Multa alia suggeret tibi pietas, aut pater spiritualis, si ad eum recurreris.

ORATIONES JACULATORIÆ

Adhibendæ juxta modum præscriptum pag. 147. in Medit. de Fundamento.

I Peccavi, Domine, miserere mei. II. Peccavi & in amaritudinibus versatur oculus meus. III. Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te IV. Iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput meum. V. Delicta mea creverunt usque ad cœlum. VI. Ecce ego ante te sum in delicto meo. VII. Demitte me ut pau-

paululum plangam, antequam vadam ad terram tenebrosam. VIII. In abominationibus ad iracundiam provocavi te Domine. IX. Abundavit in me iniquitas. X. Factus sum sicut columba seducta non habens cor. XI. Ne memineris iniquitatum mearum antiquarum. XII. Lavabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis.

ORATIO.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Post meditationem osculare terram dicendo : Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave: examina successum meditationis, & observa quæ dicta sunt suprà. Pro reliquo die observa Additiones spectantes ad primam septimanam, notatas pag. 134. & distributionem temporis, de qua pag. 55.

COMPENDIUM.

Meditationis præcedentis.

I. Damnavit Deus Luciferum (Angelorum fortè omnium Principem, certe unum de Spiritibus nobilissimis) & cum ipso innumeros Angelos, eò, quòd egerint contra finem, ad quem creati fuerant.

II. Adam & Eva quia morsu pomi vetiti prætergressi sunt finem, ad quem fuerant creati, expulsi sunt ex terrestri Paradiso, & conjecti in miserias humanæ vitæ, maximè mortalitatis.

III. Tam multi in inferno degunt, & æternùm torquebuntur, quia semel tantummodo graviter peccaverunt, contra finem memoratum operando.

MONITUM.

Dispone te ad Confessionem generalem; ad quam utique multum confert hæc meditatio de gravitate peccati, ejusdemque pœnis.

CATA-

CATALOGUS PASSIONUM

Quæ in nobis magis ſolent Dominari, quibus propterea Exercitans bene faciet ſtudioſiùs animum intendendo, ut eas diſcat mortificare.

Monitum.

UNus è præcipuis fructibus, quos S. Ignatius maximè vult ab Exercitante colligi, eſt edomatio paſſionum, ut earum inſultibus liber conformiter rectæ rationi poſſit ſe applicare veris, & ſolidis virtutibus, juxta legem Divinam, & juxta ſtatum illum, ad quem à Deo vocatus eſt, id quod præſidio Divino munitus poteſt aſſequi, ſi ad illas lumen æternarum veritatum adhibeat, ad quarum ſplendorem videns difformitatem, quam poſt ſe trahunt, proponat in quotidianis ſuis actionibus iis minimè obſequi. Diſcat etiam fallacias earum diſtinguere, quæ ſæpè larvatæ ſe venditant ceu motus rationales, & interim non ſunt niſi irrationales, ideoque meritò abnegandæ. Earum hic aliquem catalogum texam. Qui tradit aut obit Exercitia, ad imitationem hujus facilè ſciet aliarum etiam catalogum efformare. Priuſquam autem illum proponam, audi quid de Paſſionibus, deque iis, qui illis obediunt, dicat Spiritus ſanctus Eccl. 18.

Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, facies te in gaudium inimicis tuis.

Amabò perpendamus ſanctum hoc effatum, ut intelligamus, quemadmodum omne malum ſpirituale, & temporale redundet in communitates, in domos, in familias, imò in quemvis, ex eo, quòd paſſionibus noſtris in operibus noſtris aurem præbemus: & maximè dum ſub larva rectæ rationis apparent. Veritatis autem æternæ, frau-

dem earum detegunt,& univerſim pro talibus agnoſcendæ ſunt, quando deprehenduntur inducere nos ad Dei offenſam; ſive legis Divinæ tranſgreſſionem; aut tendere adverſus ſtatûs illius regulas,in quo nos Deus collocavit.

Attendat itaque, qui vacat Exercitiis, an ſinat ab iis ſe vinci.

Imò ſuperbiâ, quæ non minus eſt vitium animæ , quàm febris corporum, inclinatque ad amorem inordinatum propriæ excellentiæ; & mediis etiam illicitis ſubinde majorem affectat, quàm debeatur.

2. A vana gloria,quæ filia eſt ſuperbiæ,eſtque inordinatus appetitus manifeſtandi propriam excellentiam , aut opus aliquod bonum, ad decerpendum inde ſibi gloriam famamque : non ut inde Deus honoretur aut proximus juvetur; quod ſi ſpectaretur, non eſſet vana gloria aut vitium, ſed virtus.

3. A Jactantia,quæ partus eſt vanæ gloriæ, tumque ſe exerit, quando quis extollit ſeipſum loquendo & tribuit ſibi majora dona, quàm poſſideat, cujuſmodi dona ſunt: nobilitas, ſcientia, prudentia &c.

4. Ab hypocriſi,ex qua, homo fingit ſe juſtum, melioremq; eo, qui eſt : eſtque peccatum ; etiamſi quis hoc faciat ad proximum ædificandum: *non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

5. A Pertinacia, qua quis plus æquo adhæret judicio ſuo.

6. A Diſcordia; quæ hominem inducit ad contradicendum voluntati eorum, cum quibus conſentire & concordare deberet.

7. A contentione ; qualis tunc accidit, dum quis clamoribus contendit cum altero; unde turbulentus evadit rixator, & ſcandalizat illos, qui contendentem audiunt.

8. Ab Avaritiâ. Quæ eſt inordinatus amor divitiarum aut rerum æquivalentium, modò abundantia ſimilium appetatur.

9. A duritia cordis, quæ non ſcit compati aliorum miſeriis: unde ne ſuperfluis, aut non neceſſariis ſe privet, omittit laborantibus ferre ſuppetias.

10. A luxuria, quæ eſt inordinatus appetitus ſenſualium delectationum.

11. Ab Amore proprio, qui hominem inclinat ad propria deſideria explenda ſine reſpectu, ad Deum, ad proximum, ad rationem, ad juſtitiam, ad æquitatem &c.

12. Ab otio, quod â tempore bene collocando avocat.

13. Ab Ira. Quæ eſt inordinatus appetitus vindictæ aut ſupplicii alteri infligendi, idque ex commodo privato; quanquam alter tantam pœnam non mereatur, nec Author pœnæ habeat in ipſum authoritatem.

14. A calumnia: quæ eſt vitium, quo alteri imponitur malum, quod non admiſit. An ſinat ſe vinci à præcipitantia & audacia &c.

15. A ſuſpicione, quæ accidit, quando quis ex levibus motivis dubitat, an alter ſit malitioſus in ſe aut contra nos.

16. A Gula, quæ inclinat ad immoderatum, vel inordinatum uſum cibi aut potûs ex delectatione.

17. A Loquacitate, quæ conſiſtit in ſuperflua garrulitate, de iis, quæ ad nihil ſerviunt, aut quæ non ſunt ad propoſitum.

18. A diſſolutione, quæ geſtibus incompoſitis indecentibus, & ſubinde laſcivis, ad cachinnos movet circumſtantes.

19. Ab Invidia, quæ eſt triſtitia de bono proximi in quantum illud reputatur pro proprio damno: gaudium autem de alterius malo, in quantum hoc aſſumitur tanquam proprium commodum.

20. Ab odio, quod conſiſtit in malevolentia, & contingit volendo malum illi, qui illud non promeruit, & cui tale non eſſet imprecandum.

21. A ſuſurratione, quæ contingit, quando referun-

tur tertio, dicta ab altero, ingrata tertio, & dum Author dictorum manifestatur.

22. Ab exultatione in malo proximi; qualem quis ostendit complacendo sibi in malo alterius, & præcipuè si exultans ipse tale intulerit.

23. Acediâ; quâ quis tædio & fastidio quod in bonis operibus sentit, ita sinit se abripi, ut omittat agenda; uti auditionem missæ diebus festivis, orationes obligationis, recitationem horarum, &c.

24. Desperatione, dum quis tristitiâ aut tædio prostratus non appetit, sed fugit finem suum, id est beatitudinem.

25. Pusillanimitate, dum quis horrore difficultatis omittit adhibere media, quæ eum possent perducere ad salutem.

26. Rancore; ostenditur hic contra Personas illas, quæ affectæ sunt bene erga res spirituales, & quæ nos ad illas amplectendas excitant.

27. Malitiâ, cujus proprietas est impugnare, contemnere, detestari Spiritualia.

28. Evagatione, quæ ob tædium, quod quis experitur in rebus Spiritualibus, facit hominem quærere solatia sua in rebus externis; idem dicendum de pigritia in rebus Divinis &c.

29. Inobedientiâ; hæc vitium est, quo quis nititur se subtrahere imperio superioris, cujus voluntati suam deberet accommodare.

30. Inordinatâ tristitiâ, quâ quis plus æquo se affligit.

31. Inordinato gaudio, dum quis intemperanter lætatur.

32. Melancholiâ, sinendo eam extra limites efferri.

33. Amore rei alicujus aut Personæ, dum impenditur indebitus, aut in modo illius exceditur.

34. Timore: illi in tantum cedendo, ut intermittatur id, quod est officii.

35. Im-

35. Immoderato rei alicujus desiderio, unde quies animi turbetur; & res desiderata modo illicito quæratur.

36. Zelotypiâ in rebus parvi momenti, aut modo non congruo conceptâ.

37. Duplicitate, dum aliud in ore, aliud in corde geritur.

38. Fallaciâ, quâ proximus in fraudem inducatur. Exaggeratione aut inquisitione defectuum, dum aut non sunt, aut non tanti sunt.

39. Infidelitate, dum non servatur fides alteri addicta Inconstantiâ, volubilitate, levitate.

Monitum.

SUfficit mihi assignâsse prædictos inordinatos motus; est enim sufficientissimus ad finem meum, qui non fuit, fusam doctrinam de passionibus tradere, neque etiam eas omnes enumerare; verùm dare solùm occasionem exercitanti, ut seipsum discutiat, dumque se alicui harum obnoxium repererit, eam emendet nec permittat ei dominium. Hac ratione operabitur ut homo, non ut brutum.

Sub te erit appetitus, & tu dominaberis illius Gen. 4.

Melior est, qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Prov. 16.

O quicunque es, sive secularis, sive Ecclesiasticus, sive Religiosus, sive persona privata, sive publica: sive nobilis sive ignobilis, pauper aut dives, afferte huc animum, videte ut relatâ de vobis, hoc est, de passionibus vestris victoriâ palmam reportetis. *Hoc est omnis homo. Et sine hoc nihil est omnis homo.* Hic lapis est lydius ad distinguendum aurum verum ab adulterino, vitium à virtute tam pro cœnobiis, quàm pro aliis domiciliis. Passiones perdiderunt, perdunt ac perdent omnia, ubicunque dominatum obtinebunt. Omnia bene ver-

gent, ubi hæ fuerint ſubactæ & frænum pati atque le
tum divinæ tum humanæ parere didicerint : aliàs equu
hic effrænis ſeſſorem excutiet & collum rumpet equiti.
Nunquam homo operabitur ut homo, niſi ſequend
rationem & frænando paſſiones.

REMEDIA
Contra Paſſiones.

PRimum & univerſale remedium eſt oratio, in qua
tum illa eſt recurſus ad Deum & imploratio auxil
illius & Sanctorum.

Secundum eſt meditatio veritatum æternarum, ad qua
rum lumen dignoſcitur fœditas actionis factæ ex pa
ſione.

Tertium eſt advertentia ad ipſam paſſionem, & a
mala quæ ſecum invehit.

Quartum eſt frequentatio SS. Sacramentorum Con
feſſionis & Communionis.

Quintum. Conſultatio cum Patre Spirituali.

In ſequentibus ſuggero remedia aliqua contra potiſ
ſimas notatas ſuprà Paſſiones.

Remedia contra Superbiam.

Primò. Bona ſua abſcondere, quantum fieri poteſt. Se
cundò. Dum quis audit ſe laudari, reflectere animum a
defectus ſuos. Tertiò. Deo omnem gloriam tribuer
tanquam omnis boni authori. *Soli Deo honor & gloria*
Quartò orare pro ſui confuſione. *Nobis autem confuſio*
Sextò. Cum humilibus & neglectis converſari. Septimò
Facere publicas mortificationes, dependenter tamen
Patre ſpirituali.

Contra Avaritiam

Primò. Sæpè dare eleëmoſynas, & ſenſim ſine ſenſu de
ſueſcere ab affectu erga divitias. Secundò. Recordari ſe
pulchri, quòd nudi, & relictis omnibus ſumus ingreſſuri
Tertiò. Reflectere, quod fortè divitiæ noſtræ ad eorun
manus, quibus minimè vellemus, deventuræ, & in ill
expendendæ, quæ non optabimus. Unde præſtat illa
collo

collocare in usus utiles animæ nostræ, & ad gloriam Dei, cui vivimus, impendere.

Contra Luxuriam.

Imò. Vitare otium, 2dò. Cautè versari in consortiis. 3tiò. Fugere occasiones. 4. Custodire sensus. 5tò. Non legere libros impuros, non frequentare theatra obscena, non attendere picturis impudicis. 6tò. Castigare carnem, 7timò. Recordari pœnarum inferni, & Passionis Christi.

Contra Iram.

Imò. Manè facere propositum omnia, quæ de die occurrent, contraria, æquo animo tolerandi. 2dò. In ortu iram cohibere, non sinere ut crescat, neque in ira quid incipere. 3tiò. Animum aliò tantisper divertere, dum sentimus iram in animum irrepere. 4to. Meminisse patientiæ Christi. 5tò In memoriam adducere inconvenientias & exorbitantias, quas ira suscitat. Ad iram alterius placandam juvat, tranquillo animo respondere & verbis humanis; aut tacere, aut ab irato secedere.

Contra Gulam.

Imò. Privare se ad tempus cibo aliquo, qui magìs palato nostro arridet. 2dò. Recordari, quòd necessitas comedendi sit per modum oneris gravis aut tributi à Deo mortalitati nostræ imposita, unde onus hoc non est aggravandum superfluitate ciborum aut lautitiarum. 3tiò. Super manducatione animum occupare sanctâ aliquâ cogitatione. 4tò. Ante oculos ponere jejunium Christi. 5tò. Reflectere, quod comestio sit actio animalis.

Contra Invidiam.

Imò. Considerare vilitatem terrenarum divitiarum & sic non invidebimus his, qui illis abundant, 2dò. In proximo respicere Dei imaginem; unde gaudebimus, id, quod nobis tam grande bonum apparet, in illo reperiri. 3tiò. Ad seipsum attendere, & cogitare; an optaremus, ut alii nobis invideant. 4tò. Cogitare, quòd invidia ipsiusmet invidi est tormentum.

Contra Acediam.

Primò. Res Spirituales præ temporalibus æstimare. Secundò, Nunquam intermittere ordinarias devotiones. Tertiò, Cogitare, quod Dæmoni tædium nostrum in rebus divinis gaudium pariat. Quartò. Legere librum aliquem devotum. Quintò. Oculos figere in piam aliquam picturam maximè in crucifixum. Sextò. Adire Ecclesiam aut oratorium aliquod, in quo celebratur publica devotio. Septimò. Manè tempestivè surgere, & primas horas Deo consecrare. Octavò, Heroicæ alicujus pietatis actum elicere. Unum ex his sufficit ad vincendam cum gratia Dei acediam; quid enim non potest anima à Domino corroborata.

Monitum.

DE aliis in Catalogo assignatis passionibus nihil dico, ne prolixior fiam. Director facilè suggeret, quod in rem fuerit; quare suadeo Exercitanti ut candidè illi conscientiam suam aperiat. Legatur P. Alphonsus Rodriquez, maximè ubi tractat de mortificatione; uti & P. Franciscus Arias, & P. Julius Faccius. Audite quid hic dolenter glossetur in Isaia cap. 16. *Domine Deus noster possederunt nos Domini absque te.* Si quando tibi passio aliqua dominata fuit, eò te perducendo, ut Deum offenderes, inter infœlices hosce computandus venis, & cum tui confusione dicere potes allegata verba: Domine Deus noster *possedit me*, & imperium in me obtinuit, Dominus; passio aliqua, iræ, incontinentiæ, invidiæ, *aliæque* quas novi, *sine te*, imò contra te. Miserum me, qui talem servitutem sub tali tyrannide elegi!

EXER-

EXERCITIUM III.

DE PARTICULARIBUS CUJUSQUE PECCATIS.

Quē fructū habuistis tunc ex iis, in quibus nunc erubescitis? Ad Rom. 6. *Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Scito & vide, quia* MALUM & AMARUM *est reliquisse te Dominum Deū tuū, dicit Dominus Exercituū. Quid enim invenerunt in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, & ambulaverunt post vanitatem & vani facti sunt! Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Jeremiæ 2. *Abominabiles facti sunt, sicut ea, quæ dilexerunt.* Oseæ 9. *Malitia ergo non inveniatur in te: omnibus diebus vitæ tuæ,* 1. Regum 25.

EXERCITIUM

Trium animæ potentiarum in meditatione DE PARTICULARIBUS CUJUSQUE PECCATIS

Desumpta ex prima septimana Exercit. S. Ignatii.

POstquam anima superiùs meditata fuit peccata aliena, nunc ad meditationem propriorū transire debet; eo fine, ut confundatur, quod tam stolidè & multipliciter contravenerit fini illi, ad quem à Deo creata est. Imaginetur sibi, quasi Angelus de cœlo descendens explicet ipsi sindonem, cujusmodi in visione repræsentata fuit S. Petro, plenam serpentibus, volucribus rapacibus, aliisque sordidis & crudelibus bestiis: contempletur in ea effigiem animæ suæ, ob peccata maximè habitualia, eisdem assimulatæ, per affectus & consuetudines bestiales; ita ut pauci rationales affectus in ea deprehendendi sint.

fructus ex consideratione Intellectûs & affectu voluntatis eliciendus erit sequens: erubescere & confundi, quòd utendo creaturis contra finem, ad quem à Deo sunt creatæ, tot ex se abominabiles, Deoque injuriosas actiones patrare elegeris, quot nempe peccata mortalia admisisti,

misisti. Ad fructum hunc à Deo obtinendũ recitabis brevissimam orationem illam: erubescam & confundar valde velociter observa alias præparat. Notatas pag. 32. & 3.

PUNCTUM I.

Revoca in memoriam generaliter peccata tua, maximè mortalia in vita tua à te commissa.

HOc breviter peracto, attende præcipuè ad illa, quæ cum speciali malitia patrasti, quæq; ob notabilem difformitatem & enormitatem suam singulariter erubescis & perhorrescis: discurre cum anima tua, tanquam si à bestiis, serpentibus, colubris, scorpionibus ac vermibus circumdatam videres, & sistendo ad lineolas notatas tecum ita loquere; attende te bene, attende, inspice te ANIMA MEA, contemplare te —vide cogitationes tuas -- expende verba tua—recogita actiones—&c. quomodo pretiosissimum tempus impendisti, quod Deus tibi concessit, ut ipsi servires—vide, in quid insumpseris summam illam capitalem & præclaram vitæ tuæ portionem--quid tibi videtur?—an putas te digna, & excellentiæ naturæ tuæ conformia opera gessisse? —cõformiter obligationi creaturæ, ad imaginem creatoris sui creatæ? — Redemptæ sanguine Redemptoris sui?—Expende cogitata tua. Oh! quàm vana, dissoluta, impertinentia? expende verba tua & sermones, quàm hi liberi quàm lubrici! — expende actiones: quàm hæ mandatis Dei difformes!—quid dicis ô anima mea, quid dicis! - istáne placent an displicent? si justa sensa vis capessere, extremo dolore afficiaris necesse est, quod vitam tuam tam malè impenderis. Propono tibi rationem, quam precor diligenter Intellectu expende, an non vera sit.

Peccatis tantis, etsi numero tantùm simplice forent, reddidisti te vilissimam -. quia omne peccatum macula est, quæ te summè dehonestat, conspurcat, & confusione cooperit--non mihi credis? —unde ergo rubor ille, quo facies peccatoris cujusvis suffunditur vel ex nudo timore, ne peccatum in lucem veniat? — profectò ex conscientia, quæ se sentit defœdatam, sordidam, brutis affectibus

inquinatam, quos quantumcunq; voluntariè homo susceperit, vel ideo etiam; quòd receperit, sentit nihilominus indignos esse homine.. summatim quia peccatum est actus maximè turpis, quo turpior concipi non potest, etiam sistendo intra solam sphæram rationis. Considera hoc bene · & quando hoc bene considerâsti?

Oportet te. *Primò agnoscere peccatorum fœditatem.* Ita est: fœdissima estis peccata mea; — méque abominabilem fecistis tam in oculis meis — quàm in oculis eorum, qui me pervidere possunt, ut Deus & Angeli.. *Secundò. Debes illa retractare per syncerum dolorem dicendo.* O si verùm fieri posset ô peccata mea, quod nunquã vos admiserim!. *Tertiò propositum emendationis tibi faciendum est*, maxime circa ea, quæ te magìs gravant dic:., conclusum est, volo ab illis abstinere, adjuvante divinâ gratiâ.. conclusum est: volo relinquere occasiones illas, quæ me ad peccandum seduxerunt &c.

Quiesce paululum ad confirmandum prædictos voluntatis affectus. Porrò accusa te apud Deum de omnibus peccatis tuis, & sequens institue colloquium. Amabilissime Domine! ecce hìc animam illam, cujus nobilitatis oblitus fui, à te mihi datam, sed à me tam fœdum in modũ deturbatam, posteaquam etiam eam in baptismo lavisti.. pudet me tam sordidam illam tibi sistere: pudet non mundâsse, priusquàm coram te compareat.. Verùm illam ideo tibi sisto Domine, ut digneris auxilium mihi præbere, quo salutaribus pœnitentiæ lachrymis eam eluam ac purgem... si hanc liberalitatem mihi exhibueris, spero me lætâ mente ad gloriam tuam cantaturum: *Et super nivem dealbabor.*

Parvâ causâ interposita, confirma affectus, quos in superiori colloquio elicuisti: atque ex tuo adde, quod cordi suggesserit Dominus; specialiter de mediis pro emendatione usurpandis. Pete etiam à Patre spirituali, ut talia tibi suggerat.

PUNCTUM II.

Peccata, quorum antea numerum invenisti, sunt offens Dei summè boni.

DE hac veritate in memoriam priùs reductâ ita tecum per intellectum discurre. Heu ANIMA MEA qui dictum superiùs, quid dictum?——Dictum, quo peccata tua sint offensa Dei nostri summè boni - si qui etiam aliud acerbi intonuisset, sperari posset, unde an mus resumeretur-- verùm dum dicitur, quod sint offen summi boni, ita exhorresco ut animo prorsus concidan, & minimè sufficio ad animos tibi inspirandos tolerabi foret ex vili causa peccâsse, si non nisi contra bonum am cum peccatum esset —contra sincerum benefactorem potentem Regem--amabilem Patrem——dilectam ma trem-- Verùm si, uti revera est, peccatum est offensa D ter optimi, quid dicam?——non aliud, quàm quod atto nitus hæream, quomodo tu aut quivis alius potuer tale quid non tantùm admittere, sed & voluntar perpetrare & datâ operâ ——studiosè & deliberatè— etiam sumptus, in illud impendendo——etiam bonam honestam, utilem jucundámq; reputando actionem pe caminosam——obstupesco in tantùm, ut putem à te no haberi mihi fidem, quare rogo ut ad te convincendam bene expendas, quod peccatum est offensa & injur adversus Deum, talis quidem, ut conformiter scriptur Sacris & Theologiæ, peccator, dum peccat, contra Deum insaniat, in illum insurgat-- quantum in ipso est, Deum pedibus conculcet--eúmq; si fieri posset, è mundo subl tum vellet-- nec dixeris, quod non peccaveris de propos to ad Deum irritandum, sed tantùm ad voluntatem tuam explendam, & ad habendam aliquam satisfactionem non ergo illũ irritâris ex intentione, irritâsti operatione & quid, an ejusmodi excusationem à servo tuo refract rio esses admissurus? minimè profectò. Te enim reput injuriâ affectum, dum ille obligatus parere, mandata tu transgreditur-- nunquid & Rex dum præcepta sua vid

no

non obſervari, ſeſe vilipenſum æſtimat?--& quomodo Deus non offendatur, licèt aliud peccator non agat, quàm quod legi illius contraveniat. *Per prævaricationem legis Deum inhonoras ad Rom. 2.*

in hac conſideratione ſiſte nonnihil ad bene rem penetrandam. Et dein frænum laxans affectui erumpe in tui ipſius condemnationem & dic: O audax! O temeraria! O ingrata anima mea - itáne Deum offendere?——quis offendit?---ego——qui quantuſcunque ſum, & quantumcunque habeo, Deo debeo--Deus offenſus eſt—& quid eſt Deus?—ſumma pulchritudo Majeſtas potentia Bonitas. A quo eſt offenſus?-- à me, qui ſum vermiculus terræ, & nihil—& ſi quid boni habeo, totum habeo à magno illo Deo, quem offendi—Heu mihi! extra me rapior & magis magíſque confundor——Deus à me offenſus, provocatus, irritatus eſt, non Deus à Deo, quâ quidem ratione evenit ſæpe, ut Rex à Rege offendatur, ſed à me—ſed qui hoc poſſibile; à me? quæ abyſſus ſatis profunda, quâ præ pudore demergar?—Deus offenſus à viliſſima, & ſimul & obligatiſſima ipſi creatura.

Perge ruminare pauca hæc verba: Deus offenſus à me. Et dein ad Deum à te offenſum inſtitue ſequens plenum affectu colloquium.

O Deus ter optime maxime! quâ fronte auſim negare hoc, quod nimis heu ſæpe perpetravi--optime maxime Deus te ego offendi—& ſæpe ſæpius——& peccatis mortalibus & enormibus - & ex vili cauſa - te ego offendi agnoſco -confiteor-- & pœnitente animo me accuſo:-- peccavi nimis, mea culpa mea culpa mea maxima culpa-quis mihi crederet niſi ad mei confuſionem ultro proteſtando id fateret. *Nimis quàm verum eſt, quod ego creatura viliſſima, injuria Creatorem tantum affecerim,*--ſed quid agam? nil ſupereſt, niſi ut toto corde conterar, doleámque de præteritis, humillime te rogans veniam, miſericordiam, remiſſionem, gratiámque non peccandi in poſterum.

Confirma propositum & fiat inviolabile. Mundus illabatur, atque omne malum intentet; ſtatue deinceps nec timore mali adactus, nec ſpe boni abductus unquam Deum offendere-- Reflecte hic, quid te ad peccandum induxerit, an amor lucri, an concupiſcentiæ illecebra, an amicorum blanditiæ: & porrò conclude hoc modo: deinceps adjuvante Divinâ gratiâ, ex nullo reſpectu Deum meum offendam.

PUNCTUM III.

Divina beneficia convertiſti ad injuriã Dei tam boni.

DIſcurre per intellectum ſuper veritate à memoria propoſita O ANIMA MEA! & dic. Ergòne actio tam enormis, atrox, impia committi potuit, ut divinis Beneficiis abutereris ad offendendum tam bonum Deũ; ah! nimis verè contigit--nam beneficiis illis, quæ benigniſſimè tibi Deus contulit, uſa es contra finem illum, propter quem te creavit, & beneficia illa contulit. Dic amabo.

Nunquid ſenſus illos *ex. gr.* quibus Deus te inſtruxit, ut ad ſervitium ipſius eos hic applicares in terris; & promerendo gratiam, etiam merereris gloriam æternam in cælis, nunquid eos actionibus peccaminoſis impendiſti; Ah! non auſis hoc negare--nam oculis vidiſti, auribus excepiſti, linguâ locuta es ea, quæ Deus prohibuit:- manus, pedes, verbo, totum corpus fuerunt tibi inſtrumenta actionum expreſſè à lege Dei prohibitarum -- Deus tibi contulit voluntatem capacem amandi ſummum bonum, & illâ operata es in odium ipſius, & pro eo ut amares ſummum bonum, amâſti ſumum malum ſive peccatum--Dedit tibi intellectum aptum ad cògnoſcendam veritatem increatam, & uſa es illo ad invenienda media irritandi donatorem--dicam ampliùs, non potuiſſes unquam movere oculum, manum pedémve ſine adjutorio Divini concurſûs, & tu peccando feciſti, ut

concurrere quasi debuerit ad peccatum tuum modò in aspectu turpi, modò linguæ murmuratione-- modò cogitationibus impuris, & ita de ceteris-ita enim per Prophetam suum de peccatore Deus loquitur: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis* Isai.43. O res terribilis! non sufficit homini, excitare creaturas adversus creatorem suum: vult, ut Deus ipse concurrat ad horribile Deicidium.

Quid habes O anima mea! quod ad tui excusationem possis proferre?- nihil prorsus: error tuus est inexcusabilis. Propterea te seriò adhortor, ut deplores crimina tua corde toto per sequentem affectum detestationis tui ipsius coram Deo, dicendo.

O Pelagus infinitæ bonitatis! ô Deus infinities Sanctus, infinities justus, infinities contrarius peccato! ad pedes tuos accedo, de Diabolicâ ingratitudine mea supra omnem modum confusus. Siccíne ergo parum mihi fuit in conspectu tuo peccare, & gratiis tuis abuti, nisi & te ipso uterer ad te impugnandum?-per Fidem me illumináſti, ad cognoscendum misericordiam tuam-.. Venas vacuando sanguine, præparâsti mihi balneum tam facile & salutare, quale est Confessio.-& ego ad te audaciùs offendendum notitiam horum transtuli--quia tu nimis in me bonus fuisti, ego nimis fui in te injuriosus. Et intra me tacitus dixi, peccabo, & confitebor: & deinceps peccare me, quid obstat? O quid me induxit, ut insurgerem in te summum benefactorem meum?--nil nisi voluptas, quæ instar umbræ disparet, & tam vilis, ut tenebræ ipsæ eam erubescant: & propter rem tam vilem te offendi, *propter quid irritavit impius Deum*, propter quid? --quæ merces peccato meo fuit proposita?--non alia nisi pudor, erubescentia, confusio, dolor, remorsus conscientiæ. O Domine exhorresco, sto attonitus-- non scio porrò, quid loquar, nisi ut humillimé, pro hac vice adhuc, veniã exorẽ
dum

dum humi toto corde simul imploro auxilium gratiamque à peccato porrò abstinendi.

Orationes Jaculatoriæ.

Adhibendæ, prout dignum pag. 147. in med. de fund. I. Sana me Domine, quoniam conturbata est anima mea. II. Salvum me fac, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. III. iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. IV. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. V. Væ mihi peccatori gravi iniquitate, filius sceleratus: VI. Dereliqui Deum meum. VII. Sana animam meam, quia peccavi tibi. VIII. Ego sum qui peccavi & iniquè egi. IX. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine. X. Non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. XI. Eripe me de luto. XII. Peccavi, non adjiciam ampliùs peccare.

Oratio.

DEus qui sperantibus in te misereri potiùs eligis, quàm irasci, da nobis dignè flere mala, quæ fecimus, ut consolationis tuæ gloriam invenire mereamur.

Finitâ meditatione osculare terram dicendo: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave. Reliqua præsta ut suprà.

COMPENDIUM.

Meditationis præcedentis.

1. Peccata in se sordidissima conspurcant animam.
2. Sunt offensa Dei, & ipsi summè displicent.
3. Illa committentes, Deo & beneficiis illius contra ipsummet abutimur.

Perge te hoc tempore disponere ad confessionem generalem tum vitæ totius, tum illius, quod te maximè gravat. Statue constanter opus aliquod pœnitentiæ adhibere pro abolendis peccatis tuis: uti Sabattho jejunare uti disciplinâ, gestare cilicium, dare eleëmosynam, abstinere à recreatione aliquâ licitâ *ex. gr.* frequentatione spectaculi curiosi, quantumcunque honesti.

EXERCITIUM IV.
DE MORTE.

Neſcio, quando ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me Factor meus. Job.32. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis (id eſt MORTIS) & dierum multorum (id eſt ÆTERNORUM) qui cùm venerint, Vanitatis arguentur præterita.* Eccleſ. 11. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Pſal. 75. *Vanitas enim Vanitatum, & omnia Vanitas.* Eccleſ. 1. *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu & non vives.* Iſaiæ 38.

EXERCITIUM
Trium animæ Potentiarum in Meditatione de Morte.

IS, qui peccando operatur contra finem, propter quem eſt creatus, ad hoc ſeducitur inordinato amore creaturarum, & maximè ſui ipſius ſive amore proprio, cui ſatisfacere potiùs intendit, quàm Creatoris ſui voluntati. Hac mortis meditatione proponitur horum vilitas & vanitas: conare eam in tenebris peragere, hæ enim juvabũt ſimul ad concipiendum horrorem ultimi hujus puncti ſive mortis. Paulò antequam eam incipias, imaginare tibi, videre te Schelethon aliquod, cujuſmodi ſolet depingi alatis humeris, & falce inſtructâ manu, ſimulque audire verba à Deo dicta Angelo in Apoc, cap. 14. præcipiens illi, ut eat & metat vitas hominum, quemadmodum à meſſoribus ſine differentia metuntur fruges & gramina terræ. *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora, ut metatur, quia aruit meſſis terræ.* Unde concludes, quòd ſectioni illius inevitabili & tu ſubjacere debeas. Poterit ſufficere aut propoſita calvaria aut pictura mortui.

Fructus è conſideratione intellectûs & affectibus voluntatis capiendus, erit cognitio vanitatis creaturarum,

& comprimis corporis nostri; cum proposito servandi mundam conscientiam, ut sis omni tempore dispositus ad moriendum: ad hoc obtinendum dic brevem Orationem: *Brevitatem dierum meorum nuntia mihi.* Adhibe præparationes cæteras notatas pag. 32. & 34:

PUNCTUM I.

Mors est perpetua separatio ab hoc mundo.

D*E hac veritate in memoriam prius revocatâ discurre per intellectum: sistendo ad lineolas: & dic:* Si hucusque non intellexisti, modò intellige O ANIMA MEA! quod intra breve tempus tibi deserendum, quidquid tibi in mundo charum: — deserendi Parentes, — amici, — divitiæ, - conversationes, - brutæ tuæ voluptates, - hoc illustre, quod fortè habitas, domicilium, absq; spe illud unquam revidendi, - & quod superest, ô anima mea! deserendum tibi hoc corpus, ab eo enim separaberis, & migrabis in terram (ô quantùm à nostra diversam) ubi nihili penduntur hæc omnia, quæ tanti in hac vita æstimantur. — Cogita hoc tempus adventurum, sed quando ô anima mea, quando? — fortè brevì: *Breves sunt dies hominis.* Dies ille ultimus adveniet, in quo eris manè corpori unita, & non vesperi, aut vesperi, & non altero manè, — imaginare tibi corpus tuum in sarcophago à libitinariis ad tumulum deportari, — deferetur per plateas ad templum, — projicient illud in fossam, — & dum lapide sepulchrali illud obruerint, oblivione sepelietur; — considera, quod illic indusio aut linteamine vili involutũ brevì vermibus sit operiendum, --- consumendum à lumbricis & insectis. — Redegendum denique in pulverem.

Quid dicis ad hoc Anima mea? suntne hæc vera? nunquid ita? — sunt verissima; — huc ergo flaccida caro quæ tam delitiosè ac molliter tractatur. — Ità est, — huc desinit, nempe ad sepulchrum. — Et juvenum, & nobilium, & divitum caro, — ita est, — & Doctorum & Mercatorum, & Militum, — & Regum, & Monarcharum, & Imperatorum & Pontificum, — O ingens

mutati

mutatio corporis ! — nec quisquam secum auferet vel minimam particulam thesauri sui, commoditatum, aut amplitudinis suæ; —nihil,—nemo amicorum, servorum, subditorum, aut clientum pro solatio comitabitur, — nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus. 1. Tim. 6. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* Job. 1.

Veritate hâc per intellectum jam expensâ, per affectum voluntatis converte te ad Deum, sitque affectus admirationis cæcitatis tuæ, quòd veritates has tam parum hucusque perspexeris, & sequens institue colloquium:

Mi Deus, sic ità est, ut meditatus sum ad lumen fidei: quanta ergo vanitas sunt omnes res mundanæ! hodie florescunt, cras marcescunt,— manè oriuntur, vesperi moriuntur, —hodie exurgunt, cras decidunt. — Præterit figura hujus mundi. Præterit; —*hîc exhibetur, quòd omnia sint vanitas.* Vanitas vanitatum. *Vanitas imperia, vanitas doctrina, vanitas honores, vanitas pulchritudo, vanitas hoc corpus meum, — quoniam hæc omnia dum prætereunt, ad nihil serviunt; ex ea solùm causa, quòd totâ æternitate in nihilo permaneant, nonne ità est O anima! ita est, —& nihilominus ardenter hæc expeto, — tam calido studio quæro, — tanta cum cura custodio, —tot labores earem causa libenter suffero; —utque hæc obtineam, unicam meam, immortalem, æternam animam meam, quam dedisti mihi, flocci pendo — O summam amentiam meam! — Vanitatis gratiâ æternùm animam æternam perdere. —Excæcati sunt oculi cordis mei, ideoque hi mihi subinde tanquam magnum aliquid res humanas repræsentant. — Interim punctum mortis demonstrabit eorum vanitatem.* Illumina oculos meos, *ut priusquam moriar, vanitatem eorum cognoscam*, Domine ut videam.

PUNCTUM II.

Separatio hæc, quam mortem vocamus, est certissima simul, & incertissima.

SUper veritate à memoria tibi proposita, per intelle-

ctum tuum discurre ô anima mea! & loquere ità tecum ipsa: Certissimum est, quòd omni homini sit moriendum; id est, omnes à mundo hoc avellentur, & anima cujusvis à corpore proprio separabitur,—hæc sors obtigit omnibus, quotquot mundum sunt ingressi, & eadem te expectat,—certissimum est illud: *omnes moriuntur*, —incertissimum autem est tempus, locus, & modus mortis; — quare latet ô anima mea, an è corpore tuo migratura sis in ætate juvenili, virili, aut senili, — an diu an noctu, an hoc anno an sequente, — neque nôsti, ubi illa migratio sit obventura. —Blandiris tibi fortè, quòd in lecto mors te sit deprehensura, præmissâ aliquâ infirmitate: ut ità tempus confitendi, SS. Viaticum accipiendi, Sacerdotis assistentiâ fruendi sis habitura, itaque factâ dispositione de bonis tuis tum spiritualibus, tum temporalibus è vita secura possis excedere. — Ah! merè tibi adularis. — Est ipsa veritas, quod tibi non constet de tuo exitu, an in civitate, an in prædio ille sit eventurus, — domi an foris,—vigilando an dormiendo,— an violentus sit futurus an naturalis,—& à quo omnia pendent, an in gratia Dei, an secùs; —hoc nôsti de morte, quòd certò sit adventura, — quando, ubi, quomodo, hæc tibi prorsus ignota sunt. Cogita, nunquid hæc vera sint, — & meditationi horum nonnihil inhærere.

Si hæc, quæ dicta, sunt ipsissima veritas, quid superest O ANIMA MEA! *agendum ut prudenter rem tuam instituas? — omne vitæ momentum reputandum tibi est ultimum, & quasi tale foret, vivendum est. — Neque faciendum, quod horâ illâ factum non esse optares; — siquidem cùm ab illo ultimo puncto dependeat tota æternitas, aut beata in cœlo, aut infelix in inferno, in tali semper animi compositione esse debes, ut ne ob ullam omnino rem periculum adeas aut cœlum perdendi, aut infernum adeundi. — Peractis hisce intellectûs meditationibus ad Deum convertere per affectus voluntatis, ut dignetur te clarè illuminare, ne aliter contingat te vivere, quàm vixisse*

vixisse te optares moriens. Et sequens colloquium institue.

Quàm amens, quàm stupidus ego fui Mi Domine! quàm parùm hucusque studui talis vivere, qualis optarem mori, — certè non optarem, ut mors me deprehenderet in peccato mortali existentem: & quantis peccatis, & quanto tempore miser ego implicatus vixi. — O quanta hucusq; fuerunt peccata! varia, & execranda. — O quantùm me status ille affligeret, si in eodem moriturus essem! — quæ mea stultitia! mortem optantis Sanctorum, & vitam eligentis peccatorum, — transigentis meliorem vitæ meæ partem desideria mea adimplendo, — & serò ad te redeundo, factáque quali Confessione sperando mortem Sanctorum. — Ita hucusque me ipsum seduxi. Verùm tu ô Domine! me fraudem hanc modò dedoces. Fac me intelligere, quod, quando jamjam sum peccaturus, hæc ipsa hora possit esse ultima vitæ meæ. — Miserrimum me! si hujusmodi calamitas mihi esset obventura: forem cum tam multis aliis æternùm perditus, qui vitam dissolutam duxerunt, spe ante mortem pœnitendi, delusi.

PUNCTUM III.

***Hæc à toto mundo separatio, quam mortem nuncupamus, non nisi** semel contingit. Statutum est hominibus semel mori.*

Expende ANIMA MEA *per intellectum hanc veritatem, quæ sub cortice horum verborum à memoria proposita fuit: atque ita tecum discurre.*

Non morimur nisi unâ vice, — ô quid hîc dicitur! — si semel tantùm morimur, & à puncto mortis dependet æternitas aut semper felix, aut semper infelix, quid ergo? — quid si malè morerer? — error hic foret irreparabilis, *periisse semel, æternùm est periisse*; quocunq; arbor ceciderit, sive ad Austrum (moriens nempe in gratia Dei) aut ad Aquilonem (moriens in odio Dei) illic æternùm manebit, ait Dominus: O tonitru horrendum! — ubi

ſemel homo periĕrit, æternùm periit; — ſi itaque me verè amo, quanto ſtudio mihi enitendum, ut in gratia Dei moriar! ô non adveniat extremum hoc momentum infelix! — Illud enim punctum eſt, unde ducitur interminabilis circulus ſæculorum æternorum. O momentum, à quo pendet æternitas.

Optimè ratiocinata es O ANIMA MEA : verùm diſcurſui conformanda vita eſt. — Reflecte & examina pauliſper, ſed ſeriò, quid in veritate agas ad bene moriendum; — ad diſcendum ſtudetur, ad divitias acquirendas tractatur mercatura, pro acquirenda promotione frequentantur limina magnatum — verùm ad bene moriendum, id eſt, ut ſperare poſſis locum ſalutis, profectò non præſtitiſti, quod præſtandum fuit; ſi ſpurcitiis te contamināſti, ſi à principio anni ad finem uſque in peccato lethali perſeverāſti. — Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. ad Galat. 6. *Quare ſeminando (hoc eſt exercendo te) in virtutibus, poſt mortem metes æternam gloriam : ſeminando [id eſt] tradendo te vitiis, poſt mortem ſimiliter metes, ſed pœnam æternam.* Qui ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. *Quòd ſi Catalogum vitiorum eorum, propter quæ Cælo excludenda es, amas videre, ecce deſcriptum pennâ Doctoris gentium :* Manifeſta ſunt opera carnis, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. ad Galat. 5. *Examina te aliquantulum ſtudiosè, ſi quo ex his Capitibus reus teneris. Ac deinde colloquium mixtum variis affectibus voluntatis ad Deum tuum inſtitue.*

Abſcondiſti mihi ô Domine! ex pio affectu diem mortis, ut vivam ſemper ſollicitus, tanquam ſi quilibet futurus

futurus esset ultimus. Hinc insonas: *quâ hora non putatis Filius hominis veniet*, mortemque tanquam latronem adventuram doces, ut tantò ampliùs de ea cogitem, — sed quandonam minùs homo illius meminit. quàm dum peccat, vivitque peccato mortali obstrictus? — quare monendo me, quòd moriturus sim, quo tempore minimè cogito, fortè vis dicere, quòd moriturus sim, dum pecco, aut dum vivo in peccato. — Verùm cùm hæc pœna futura sit omnium maxima, alio, rogo, supplicio in me animadverte, quàm illo, — quocunque tibi libuerit tempore, me è vivis voca, verùm non illo, in quo mors mihi inexpectata & improvisa futura est. — Concede autem mihi gratiam tam sanctè vivendi, ut unica hora in qua mihi semel moriendum, mihi feliciter affluat, — audio à te dici, quod liberaliter mihi astiturus sis, verùm quòd & cooperationem meam requiras, — & ego agnoscens conditionem hanc esse justissimam, propono firmiter talem ducere vitam, qualem optarem in articulo mortis. — Optabo mori abstractus à creaturis illis, quæ cor meum occupant cum tui offensa? — ecce jam me illis abdico, — optabo mori in detestatione peccatorum meorum? — ecce modò illa execror atque abominor, — optabo mori peractâ sincerâ Confessione? — ecce modò propono confiteri, ut primum licuerit, — optabo mori in tali vitæ statu, qualis tibi placet? — ecce me paratum ad omnem voluntatem tuam adimplendam, tantùm doce me facere voluntates tuas. Accipe modò animam meam tanquam si illam offerrem moriens. *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum.*

ORA-

ORATIONES JACULATORIÆ,

Usurpandæ, prout dictum pag. 147. in medit. de Fundam.

I. Vivam vitâ Justorum, ut moriar morte Justorum. II. Mors peccatorum pessima. III. Quis est homo, qui vivat, & non videbit mortem. IV. Mors non tardat. V. Quā amara est memoria mortis homini habenti pacem in divitiis suis. VI. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. VII. Cùm moriar, hæreditabo serpentes, & bestias, & vermes. VIII. Ante obitum fac me operari justitiam. IX. O Mors, bonum est judicium tuum! X. Timenti Dominum bene erit in extremis. XI. Stimulus mortis est peccatum. XII. Cùm dixerint pax est securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, ad Thessal. 5.

ORATIO.

DOmine JESU Christe Fili Dei, per illam amaritudinem, quam sustinuit anima tua, quando egressa est de benedicto Corpore tuo, miserere animæ meæ peccatrici, quando egredietur de corpore meo, Amen.

Post meditationem oscular e terram dicendo: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave, & fac, quæ dicta pag. 135.

COMPENDIUM.

Meditationis præcedentis.

I. Omnibus moriendum.
II. Mors certissima, quanquam incertissimum tempus, locus & modus.
III. Et moriendum tantùm semel.

EXER-

EXERCITIUM V.

DE JUDICIO PARTICULARI.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum 2. ad Corinth. 5. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Psalmo 49. *Lætare juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: Et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Eccl. 11. *Statutum est hominibus semel mori, & post hæc JUDICIUM* ad Hebr. 9. *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Soph. 9.

EXERCITIUM.

Trium animæ Potentiarum pro Meditatione.

De Judicio Particulari.

SI cum morte finirentur omnia, posset esse desiderabilis. Verùm quia immediatè subsequitur judicium Particulare, in quo de tota vita rationes reddendæ sunt, hinc est quod mors evadat terribilis, ob periculum, quod incurritur, fulminandæ sententiæ de damnatione æterna: Judicium illud hic meditandum proponitur hoc pacto, ut consideretur, quis reus, quis Judex, quæ sentẽtia futura sit. Priusquam ordiaris meditationem, imaginare tibi, te in lecto agonizare, assistentibus Sacerdotibus, qui animã tuam Deo cõmendant, candelâ benedictâ in manu, corpore jã deficiente, & animâ paratâ ad Christo occurrendũ.

Fructus ex consideratione Intellectûs & affectibus voluntatis carpendus est sequens: ut nempe statuas ita vivere, tanquam si omni momento sistendus fores Tribunali Divino. Ad impetrandam gratiam Divinam, dic brevissimam orationem. Ego dixi, nunc cœpi, nova faciam omnia: Domine ad adjuvandum me festina.

Observa, quæ notata sunt pag. 32. & 34.

PUNCTUM I.

Personã rei in Judicio Particulari anima cujusvis subit:

quæ ipso momento, & in ipso loco, separationis à corpore Judici æterno præsentabitur.

SUper veritate à memoria propositâ per Intellectum discurre ad lineolas sistendo, ita ratiocinare: An quæ dicta sunt, fabulæ sunt, an veritates Evangelii? —licèt forent fabulæ, licèt meræ opiniones, consulerem tibi tamen, ut illas ad minimum auscultares -- verùm si veritates sunt æternæ, quàm attentâ mente sunt ponderandæ: an enim intelligis, quid sibi velint illa, quæ propono— dico, O ANIMA MEA, quòd, cùm è corpore migraveris, sola, destituta Parentibus, amicis, servis, Patronis —stabis, Angelo Custode tanquam teste adhærente ab uno latere —Dæmone accusatore ab altero latere — te comitabuntur actiones tuæ, tam bonæ quàm malæ. —O scena horribilis! Angelus Custos cum libro, in quo bonæ actiones descriptæ, Dæmon cum altero, in quo notatæ actiones malæ! & tam minutè notatæ omnes, ut in hoc tribunali singulæ cogitationes sint in lucem adducendæ; omnia verba - motus omnis oculorum, manuum, pedum; *Gressus meos dinumerâsti* - apparebunt omnia absq; ulla umbra falsitatis. O ANIMA MEA, audi! si tibi videtur liber ille non nisi sanctis actionibus esse descriptus, exulta; producetur enim fideliter—verùm si conscientia tua arguit, librum illum Dæmonis, totum repletum esse actionibus malis contra finem, ad quem à Deo creata es contra statum vitæ, ad quem vocata es — cogitationibus, verbis, malis operibus— qui potest fieri, ut non tota contremiscas & exhorreas? apprehende benè: *quidquid in hoc libro descriptum fuerit, lucem videbit.* Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur — MISERA ANIMA! hæc bene considera.

Postquam intellectus persuasus fuerit, rem ita esse, uti dico, eliciat voluntas affectum timoris filialis *faciendo sequens colloquium ad crucifixum. Sum mihi conscius mille extravagantiarum, innumeris inspirationibus fui inobediens - frustra illud coram te negavero, qui melius me ipso illa nôsti, - sum propterea monstrũ iniquitatis....*

& vi-

& videbo me intra breve tempus, quando in morte ad comparendum me citabis, *constitutum in articulo decretorio æternitatis, aut felicissimæ in Paradiso, aut infelicissimæ in inferno .... O mi JESU, quomodo sine tremore & horrore possum oculos ad te levare, quem tam turpiter offendi? .... & sententia, quam contra me feres, non admittet appellationem? .... Ita est Domine.* Culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce Deus .... Commissa mea pavesco, commissa mea pavesco.

Siste ad pedes crucifixi, verùm mente defixâ in peccatis tuis, & cum viva fide, quod immediatè postquam expiraveris, sis redditurus rationem; dic intra te. *Quis novit, an non hoc cubiculum, in quo hæc modò legis, sed & idem in quo tam sæpè peccas, post breve tempus futurum sit funestum theatrum terribilis hujus tragœdiæ ....* & tam parùm hoc cordi sumis anima mea? & tam audacter pergis peccare, non secùs ac si non satis manifestâsset tibi Deus insipientiam eorum, *qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus non faciet malè.* Soph. 1. Necessarium est unum è duobus, ut vel non credas, quod rationem Dominus exacturus sit de sceleribus factisque tuis: *In quo irritavit impius Deum, dixit in corde suo, non quæret* vel si credas, & peccare tamen pergas, stultè agas: *Stultus populus meus.* Considera hæc benè, & puram veritatem esse depræhendes.

Quid hinc sequitur aliud, quàm quod emendare illa debeas, quæ non velles ad tribunal Christi perferri: eumque in finem examina illa in particulari, de quibus conscientia te accusat.

PUNCTUM II.

Judex tuus erit Christus. Pater meus judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium Joan. 5. *Et Judex hic erit rigorosus, & à quo non poterit appellari.*

DE veritate hac à memoria breviter proposita, discurre per intellectum te inter & me O ANIMA MEA: & audi

& audi quæ dico. Speraveram quod JEſus futurus eſſet advocatus tuus:ſiquidem Apoſtolus dicit: *Advocatum habemus apud Patrem IEſum &* Salvatorem, hoc enim nomen JEſu ſignificat.In hac ſententia confirmabar, quia in ultimo mortis articulo morientibus offertur oſculandus crucifixus, eóſque hortamur, ut ſi non ore, ſaltem corde, in defectu linguæ pronuntient hoc ſacrum nomen—& interim, ut primùm è corpore migraveris,ipſe erit judex tuus—In materiam proceſſûs contra te, hic ipſe titulus advocati & malè tractatum nomen Servatoris convertetur. —Vulnera & ſanguis à te proculcatus pars litis erunt. Non ſe exhibebit, ceu agnum, qui venit ad tollenda peccata tua,—ſed tanquam leo in peccatricem deſæviet. Dictum implebit Prophetæ pſal. 49. *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam*: non miſericordiam faciet, ſed juſtitiam,—O anima mea, cur non accedis ſupplex, factâ tibi inſinuatione, quod JEſus erit rigidiſſimus Judex tuus & implacabilis in negotio graviſſimo æternæ aut ſalutis aut damnationis tuæ,---quod cor niſi hominis fuerit ſtulti aut infidelis,tam temerarium eſſe poteſt,ut non terreatur timore judicis infinitè ſapientis, qui decipi non poteſt--- infinities ſancti in odio peccati,infinities juſti in culpa, debito rigore, caſtiganda: niſi te ipſam fallere cupis, fateri debes, cor etiamſi adamantinum intimatione tali frangi debere--provolvere itaque ad pedes illius, ſique tibi ad manum eſt imago crucifixi, repræſenta eam, qualis agonizanti præferenda eſt, & elice affectum voluntatis; qui ſit partim *confuſio tui*, partim *deprecatio* & dic:

O Deus,qui & in hora mortis eris judex meus!quid de me erit quando in ſole vultûs tui,in unico radio omnes iniquitates meas,quantumcunque occultas facies apparere?tot vitæ meæ totius crimina? --tot bona malè peracta—orationes cum irreverentia—miſſas ſine attentione—Sacramenta ſacrilegè frequentata—tem-

pla

pla parum honorata—Intentiones malas— hypocrises-- tempus tam inutiliter dilapidatum tot inspirationes neglectas- pecuniam impensam in lusum -- lubricitates— Vanitates, quæ impendenda erat familiæ, pauperibus, aut certè operibus Christianis conformiter statui, in quo me collocâsti—tot peccata, ad quæ impedienda facilè valebant talenta & dona à te mihi concessa—O mi Deus frustra rogo, ut pro hoc tempore misericordiam mecum facias, quod destinatum est ad justitias etiam judicandas: cum accepero tempus, ego justitias judicabo, *& quantò magis peccata — Nunc tamen te rogo,* Primò. *Ut ignoscas mihi peccata hucusque commissa.* — Secundò. *Ut gratiam mihi largiaris illa emendandi, prout nunc emendare propono.* — Tertiò, *Ut efficaciter assistas, ut nunquam etiam relabar.*

Expecta paululum & confirma, quæ proposuisti Domino: detestare peccata præterita -- Vindica illa adhuc hodie in te pœnitentiâ aliquâ -- ad hæc statue cavere omnes occasiones (examina hîc illas) etiamsi oculis tibi cariores forent; per quas & in quibus victus cecidisti. Et persuade tibi firmiter, quod Christus tibi optimè consuluerit dum dixit: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te; bonum est unum oculum habentem ingredi ad vitam, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

Renuntiandum est omni occasioni quantumcunque charæ ad salvandam animam.

PUNCTUM II.

Si in peccato mortali mortuus fueris, sententia in te feretur æterna damnationis.

Super veritate à memoria proposita discurre intra te per Intellectum O ANIMA MEA, si supremus Judex laqueo, flagris, aut etiam igni terreno te esset addicturus, pœna gravis foret -- & expavescere deberes ad intentatum unum ex his suppliciis -- verùm de alio jam agitur:

 de

de igne æterno, ſi in peccato mortali deceſſura eſſes, adeundo.—Cogita tibi dictum eſſe à Chriſto. *Recede a me maledicte in ignem æternum*—verbo *recede*, exprimitur ſeparatio à Deo ſummo & unico tibi conveniente bono - per *maledicte* maledictio, quam tibi imprecabitur, ſe à te & te à ſe dividens - idque in *ignem æternum* - O anima mea! dico tibi ſeriò: cæca es, ſi non apprehendis, nec exhimeſcis hanc ſententiam - aut ſi apprehendis, neq; credis & expaveſcis, es infideli deterior - aut ſi apprehendis, credis & expaveſcis, & peccare tamen pergis, es in te ipſam crudeliſſima - ſic enim perſeveras in ſtatu, in quo ſi moreris, certum eſt, quod hæc in te ſententia fulminanda ſit, quam audiviſti - Indubitatum eſt, quod niſi à peccando abſtinueris, in continuo verſaberis periculo ita moriendi - & poſt mortem cum irreparabili damno tuo, videndi illa verba impleta: *In pecato veſtro moriemini.*

Quare rogo te ANIMA MEA *& adjuro, ut diligenter,* nec tibi ipſi illudendo *examines, quæ ſit conſueta tua vivendi norma —an vitam degas familiari Divinæ legis tranſgreſſioni & odio ei obnoxiam (unde merearis in æternum à facie illius repelli) —ne reputes rem hanc tam levem, ut periculum illius, quantumcunque etiam longinquum negligendum exiſtimes — quid ageres, ſi foret proximum — cogita, quod dum obnoxia peccato mortali vivis, mors fortè magis propinqua ſit, quàm remota, cogita, quod fortè viciniſſimum etiam ſit periculum æternæ damnationis — Itaque ut illud evadas, ante pedes crucifixi proſterne te, & affectum contritionis voluntas eliciat; dicendo:*

Dulciſſime Creator mi & Redemptor! tu nôſti optimè, quæ me ſententia maneret, ſi præſens temporis punctum prædeſtinatum mihi foret ad comparendum coram tribunali tuo in Judicio particulari — etenim ſi, quod ſuprema foret infelicitas mea, reus tenerer maledictionis tuæ & æterni ignis, qui poſſem vel ad momentum quietus eſſe? —quomodo poſſem tam ſtultè complacere mihi in modo illo vivendi, quem teneo, & gaudere de illis, de

de quibus ſtolidè gaudeo? —Miſerrimus forem omnium,quotquot ſub ſole degunt, creaturarum; & juſto timore omni momento meritò concuterer, ne Dæmones me, tanquam pignus ſibi debitum in flammas gehennales abriperent. Sique id facerent, quam haberem conquerendi cauſam?—non contra te mi Deus;quia millies millies tum vocibus internis ad cor loquendo,ac mentem meam illuminando tum externis ſervorum tuorum adhortationibus utendo, periculum illud mihi annuntiâſti.....imò,ut ita loquar,orâſti me,ut periculum hoc fugerem, & ſufficientia evadendi media mihi ſuppeditâſti. —ſi itaque inciderem—ſi perirem—ſi damnarer,— de me ſolo expoſtulare deberem,& fateri, quod calamitatis illius mihi ſolus author extiterim, ſolus faber & artifex minimè compaſſione dignus...Porrò quia modò ſpecialiter me illuminare,& ad ſalutem meam exquirendam me incitare videris, ſupplico, ut particulariter iterum mihi aſſiſtas,&media ſingularia ſalutem meam operandi mihi ſubminiſtres-neceſſe eſt ut vitam emendem, & ab omni peccato lethali vivam remotiſſimus—unum & alterum adjuvante gratiâ tuâ propono—Tu O bonitas infinita! recipe animam meam, quam cum eo nunc affectu tibi recommendo,cum quali hoc ipſum facerem, ſi moribundus animam exhalarem. *Suſcipe Domine Spiritum meum*--ne permittas quæſo ut illa in egreſſu ſuo tradatur Dæmoniis..*ne tradas me in manus impii*.-Verùm concede, ut intra ſacratiſſimas manus tuas, intra ſacratiſſimum cor tuum ſinùmque recipiat.-.fac me vivere in gratia tua,in qua perſeverans merear audire: *Euge ſerve bone & fidelis,intra in gaudium Domini tui.*

Orationes Jaculatoriæ.

Uſurpandum prout dictum pag. 147

In medit. de fundamento

I.Si juſtus vix ſalvabitur,impius&peccator ubi parebunt?

II.Diſpo

II. Dispone sermones meos in judicio. III. Quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus? IV. Donum fac remissionis ante diem rationis. V. Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus. VI. Quid faciam, cùm veneris ad judicandum. VII Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. VIII. Quantus tremor est futurus, quando judex est venturus cuncta strictè discussurus? IX. Hei mihi, quia peccavi nimis in vita mea! X. Domine ne in furore tuo arguas me. XI. Non videbo opera mea plena coram Deo. XII Non justificatur homo compositus cum Deo : si voluero contendere cum eo, non potero ei respondere unum pro mille.

Oratio.

DOmine JEsu Christe fili Dei, pone passionem, crucem & mortem tuam inter Judicium tuum & animam meam, nunc & in hora mortis meæ.

Post meditationem osculare terram, dicendo: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Dic Pater & Ave & præsta præstanda, ut notatum pag. 148.

COMPENDIUM

Meditationis præcedentis.

I. Anima, ut primum separata fuerit à corpore, rationem Deo debet reddere de cogitationibus, verbis & operibus.

II. Christus Judex erit severus & implacabilis.

III. Anima in peccato mortali moriens, ignibus æternis adjudicabitur.

Monitum.

SI ut suppono, confessionem generalem volueris peragere, suadeo illam in charta exarari, pro securitate majori. Processum autem contra te tam rigorosum institue & accuratum, qualem scis à Christo in hora mortis esse adhibendum.

EXERCITIUM VI.

DE JUDICIO UNIVERSALI.

Consurgant, & ascendant gentes in Vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu populi, populi in valle concisionis, quia juxta est dies Domini in valle concisionis. Joël. 3. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* Sophon. 1. *Dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ & furoris ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores conterendos.* Isai. 13. *Statuet oves à dextris suis, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris erunt: Venite benedicti, possidete paratum vobis Regnum; & his, qui à sinistris erunt: Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Matth. 25. *Libri aperti sunt, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera eorum.* Apoc. 20. *Tu fecisti abscondite: Ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis.* 2. Reg. 12.

EXERCITIUM

Trium animæ Potentiarum pro Meditatione.

De Judicio Universali.

AD concipiendum timorem Dei, qui est finis meditationis de Judicio Universali, oportet reflectere ad differentiam, quæ intercedit inter judicium universale & particulare: est autem hæc: quòd parriculare tangit tantùm unam personam: Universale omnes homines. In particulari fertur tantùm sententia in animam: In Universali simul in corpus: Universale ordinatum est à Deo ad ponendum in luce publica, tum virtutes eorum, qui operati sunt juxta finem creationis suæ, tum etiã peccata eorum, qui à fine illo deviârunt: & quia hoc ipsum tran-

figetur in Valle Iosaphat, ante meditationem repræsenta tibi amplissimum hoc theatrum, in quo convenient hominum quotquot fuerunt, aut erunt: Christum cum majestate incredibili, nubi lucidissimæ insidentem cinctum Angelis, comitatum Matre suâ, stipatum Apostolis: paratum libros rationum toti mundo aperire. Sistent & se ibi Diaboli in specubus horrendis, animas omnes condemnandas in voraginem inferni abrepturi. In grandi hac multitudine deprehenderis & tu, mi Lector, quicunque, seu Monarcha etiam fueris, ut sententiam tuam excipias. Ut materiam hanc fusam mediteris faciliùs, ad duo capita eam reducã, utì ex duobus primis punctis videbis.

Fructus è considerationibus & affectibus voluntatis colligendus erit: vitam ità ordinare, ut in die hoc bonam possis sperare sententiam, & specialiter pudorem illum vincere, qui subinde obstaculum est sinceræ Confessioni Sacramentali. Ad hunc fructum impetrandum dic brevissimam Orationem, *Dirige omnes vias meas in conspectu tuo.* Cæteras præparationes adhibe ut pag. 32. & 34.

PUNCTUM. I.

Primum caput processûs à Christo instituendi adversum quemvis in Valle Josaphat, erit declaratio publica beneficiorum, quæ cuivis Deus præstitit.

SUper veritate à memoria proposita discursu per intellectum instituto, O ANIMA MEA, dico tibi, quòd hæc manifestatio futura sit peccatori materia magnæ confusionis. —Scias enim, quot beneficia accepisti, totidem Judex habet à te postulanda credita, de totidem debitis habes reddendam rationem, —si itaq; quivis, multis debitis magno alicui principi obæratus, magno terrore est percellendus, dum reddendæ fuerint rationes, quâ ratione potes quietus vivere, dum occurrent tibi beneficia innumera, quibus te Deus cumulavit; —fiet hoc certò in die universalis judicii, idque indicabit per verba illa Regis Villicum ità compellantis: *redde rationem*, quid primum dice, videns infinitam quasi multitudinem gratiarum

rum à Deo tibi præstitarum, —obstupefacta credo exclamabis heu mihi! tot ergo & tanta accepi à Domino? —ô quantum ipsius creditum! —quanta mea debita! —o quantum negotium! —dum jam intellectus tuus ô anima mea! persuasus fuerit, quòd beneficiorum à Deo in te collatorum cumulus sit maximus; per voluntatem sequens institue colloquium.

Sum equidem ô Domine! vilis creatura, interea multas me inferiores condidisti,- -quòd si nunc creatura inter omnes abjectissima videret cumulum illum immensum beneficiorum mihi à te impensorum, singuláque unum post aliud contemplaretur, quid illa diceret? —quid ergo de me dicere debebo? —accepi à te esse meum, à te est, quod sim homo, quòd honeste natus, —quòd sano & bene sensato corpore, ...quòd cum anima sanis instructa potentis, —quòd Christianus natus & Catholicus, .. tibi debeo, quod per tot momenta hucusque sim conservatus, ...quòd me tamdiu, patienter sustinueris quanquam dignus fuissem, ut projicerer in infernum, —à te sanguis filii tui pro redemptione mea effusus, mihi in SS. Sacramento ad meam justificationem impensus; ...à te accepi Angelum Custodem, ubique mihi assistentem, protegentem à malis, & in bono stabilientẽ, ..& ut paucis absolvam, omnia à te accepi quidquid sum & infinities plura quæ me latent, .. & hoc tribuisti mihi cum infinita amoris & bonitatis dulcedine & teneritudine, quam si totâ æternitate pervestigarem, non possum tamen comprehendere; ...quid hisce volo dicere mi Domine? ..non aliud, quàm quòd infinities ampliús Tibi sim obligatus, quàm Patri, Matri, Magistro, Amico, ac Principi, ...quidquid enim ab illis accepi boni, speciale tui amoris beneficium fuit, qui illis usus es tanquam instrumentis, ut hæc omnia beneficia mihi præberes.

Nosti anima mea, quid ex hac ad Deum protestatione sit inferendum? —infertur, quòd quia in valle Josaphat omni creaturæ intellectuali promulganda sunt ampla illa

à Deo tibi collata beneficia, incredibili pudore sis afficienda, quando apparuerit, quàm ingratè tu eisdem responderis. —Nunquid hæc vera? —hæc breviter, sed seriò expende.

PUNCTUM II.

Altera pars Processûs hujus complectetur omnia peccata etiam occultissima, Cogitationum, operum, verborum & omissionum, quibus quisque Deum offendit, & hæc omni creaturæ intellectuali revelabuntur.

DIscurre modò o ANIMA MEA, per intellectum circa veritatem à memoria tibi propositam, & dic: heu mihi! quod istud fulmen? -- quo rubore me hujusmodi mortificatio perfundet? --- quis contemptus ille, quæ confusio? -- quando ex peccatrice conscientia tua (tanquam ex aspidum nido) multitudo una innumerabilis injuriarum tanto benefactori illatarum egredietur, & Dæmones ipsi adversarii tui, nedum Sancti atque Angeli Dei indignantes, adeò despicabilem contemptum millies in faciem tibi exprobrabunt, —totque in te conjicient dicteria, ingratitudinem tuam tibi opponendo, ut confusionis hujus vitandæ gratiâ montes & colles ad te operiendum invocatura sis, ut te ruinâ suâ sepeliendo, te subducant tot correptionibus vel ideo amarissimis, quia justissimis. —Videbis detegi iniquitates tuas secretissimas, etiam maximè pudendas, —quas admisisti desideriis, — quas redegisti in opus, —& cum omnibus minutissimis circumstantiis: Videbis hæc in te, ceu in speculo ô anima mea, cum omni minutissima circumstantia ac si essent in subtilissima tela depicta; & eadem videbit in te orbis universus, & execrabitur. Considera hæc.

Dein inspectâ accuratè conscientiâ tuâ, considera, quantum tibi displiciturum esset, si vel uni spurcitiæ illæ ac difformitates tuæ innotescerent, & dic: Si vix me possum resolvere, ut sub sigillo Confessionis aperiam peccatum tale Sacerdoti uni, ideo quia erubesco apparere talis qualis sum, sive impudicus sive cholericus, —qua ratione sufferam, ut ad clangorem tubæ hæc propalentur omnibus, —ut omnes conjiciant oculum in meas spurcitias, --

llas conſiderent,—iis indignentur,—mihi propterea lludant,—me condemnent.— Quomodo feram, quod Deus ipſe, qui opprobriorum meorum miſertus ſolus & nicus poſſet illa celare, ea revelet? Revelabo pudenda ua. — *His ſeriò expenſis, ſequens ad Deum inſtitue olloquium cum variis affectibus voluntatis.*

Ita verè eveniet mi Deus, utì ſum meditatus, -- indu-itatò iſta fient, — & à te, & à me ipſo toti orbi omnes normitates meæ manifeſtabuntur,—à te,qui radio uno apientiæ tuæ omnia arcana cordis illuſtrabis: *revelabit bſcondita cordium*,—à me, ut à quo rea conſcientia ſi-e tortura,omnem veritatem exprimet,-- meque procla-nando ingratum & peccatorem qualis fui, altâ voce ex-lamabo: *Peccavi, iniquè egi*, peccator fui, -- *reddidi nala pro bonis*, -- ingratus fui; cui? -- Deo meo. -- Mi ESU aſſiſte mihi gratiâ tuâ,ut inpoſterum vivam itâ, ut n extremo die non conjiciar in tales anguſtias; --confor-a me, ut ſuperato pudore peſſimo, qui me à foro pœni-entiæ arcet, de culpis illis apud Sacerdotem me accuſem tiliter, quas ſi oppreſſero ſilentio, toti mundo cum mea onfuſione irreparabili revelabuntur.

Ad ignominiam hanc aliquo modo adumbrandam tile erit, ut fingas te eſſe nebulonem aliquem patibula-ium, cui ante furcam coram iñumera hominum multi-udine conſiſtenti prælegatur longus ac prolixus Catalo-us facinorum ſuorum: ſicque per latam ſententiam au-iat ſe proclamari tanquam facinoròſum, infamem, & itâ indignum. Dic deinde: quæ comparatio loci judicia-s cujuſcunque civitatis cum Valle Joſaphat? .... centies nille ſpectatorum cum omnibus creaturis? ....quæ com-aratio opprobrii orti ex proceſſu Judicis mortalis, & pprobrii orti ex proceſſu Judicis immortalis? .... Eſſet gnominia grandis, ſi coram tali hominum copia Angelus liquis revelaret impudicitias tuas, hypocriſes, ſacrilegia cc. ... & quo rubore ſuffundereris, ſi coram univerſo oto hoc fieret,... & voce Dei,... teſtante ipsâ conſcientiâ

tua, ... pondera hæc bene....Pro fructu ex hoc punct decerpendo sequere consilium Spiritûs S. dicentis: *ant judicium interroga te ipsum*: præveni extremum diem judicando te ipsum, institue examen accuratum consci entiæ,&peccata tua nota in chart ,ut in processu amat fi eri,fac dolorosam confessionemSa erdo i cum proposit emendandi te. Ac deniq; præter pœnitentiam,quã Con fessarius injunget,fac supererogatoriam. Felix fueris, si sic feceris,itã enim prævertes ignominiam jam meditatã

PUNCTUM III.

Sententia ferenda erit juxta merita,& irrevocab lite ferenda ab æterno Judice. Reddet unicuique secundum opera ejus.

SUper veritate à memoria proposita discurre per intel lectum O ANIMA MEA hoc modo: quam horribili continentur verbis illis: reddet unicuiq; secundum oper ejus, ...conformis erit meritis meis, vel demeriti illa Judicis sententia ab æterno Judice irrevocabilis,.... ô me infelicem! quæ me deprehendo ream infinitarum obligationum violatarum,....non unius tantùm peccat ream,....sed multorum....Violavi titulum creaturæ, eò quòd ingrata fuerim creatori; violavi titulum creaturæ conservatæ, quia me rebellem exhibui creatori: violavi titulum creaturæ redemptæ, quia sanguinem Servatoris mei proculcavi, - violavi titulum creaturæ sanctitate,in Baptismo donatæ eò,quòd Authorem sanctitatis ad iram provocavi,...violavi titulum filii non obediendo ei, qui me Patre ac Matre teneriùs amavit; ....violavi titulum vasalli,spernendo Monarcham meum,...violavi titulum amici, tradendo eum,qui dici & esse voluit amantissimus amicus meus;....violavi titulum discipuli perfidè in Magistrum meum insurgendo; ....violavi titulum clientis recalcitrando adversus sincerum Advocatum meum .... Titulos violavi obligationum mearum sine numero;...si ergo sententia ferenda conformis futura est meis meritis ô quot æternus Judex motiva me condemnandi habebit! ....præter titulos jam à me admissos, quot non producet ulteriores

lteriores? .....& du n in quolibet horum titulorum Per-
sonam à me offensam esse dignam infinito honore & a-
more videbo, deprehendam in peccatis meis nescio quam
nali infinitudinem, & confusio mea incredibili modo
xaggerabitur. Considera hæc bene.

Post hæc scias te, si in numero damnatorum (ad quos verba illa Judex proloquetur: Ite maledicti in ignē æternum) *deprehensus fueris, in infernum deturbandum esse.*

Sententia quanquam severissima, quia tamen justissima, approbabitur à tota illa Angelorum hominúmque congregatione,... quare nemo gratiam pro damnatis implorabit ....Sanctorum nullus pro te deprecabitur;.. nec Maria Advocata peccatorum,.....nec Angelus Custos,....nec Christus, qui aliás pro te sanguinem suum fudit, ad commiserationem sinet se inflecti, ... quin ad inimicitiam irreconciliabilem tibi indicandam, in auribus tuis, & in cælum faciet æternùm clamare sanguinem suum ad tui condemnationem; ....quid porrò? . .tua ipse quantumcunque fremens, & in furorem actus subscribes sententiæ, dicésque: *digna factis recipio*......Rectè judicavit Dominus, *justus es Domine, & rectum judicium tuum.* O confusio! ô ignominia! reum esse tam vilem & convictum, támque indignum omni commiseratione, ut nec tibi ipsi in corde de contrario blandiri, aut externè apparenter saltem aliud affectare possis; .....prosterne te itaque ante Christi pedes, & dic illi.

Mi Deus, qui tam indignè à me tractatus & offensus es, respice me hîc pedibus tuis advolutum, non ut peccata mea excusem, sed ut me ipsum accusem & condemnem ....quia verò ità me peccatorum condemno, ut nolim unquam illa repetere peto à te gratiam, ut qui modò ea detestor, nunquam porrò in ea relabar......Peccavi, confiteor, quid ultra jubes? an ut Sacerdoti etiam confitear? .....faciam ......An ut occasiones

etiam devitem? -- vitabo. -- Jube Domine quod vis, & da quod jubes. Omnia amore tui facere paratus ſum, -- atque ita conabor me diſponere, ut inter illos merear re-periri; quibus dices: *Venite Benedicti Patris mei.*

ORATIO.

DOmine JESU Chriſte, qui de cœlo ad terram è ſinu Patris deſcendiſti, & ſanguinem tuum pretioſum in remiſſionem peccatorum noſtrorum fudiſti, te humiliter deprecamur, ut in die judicii ad dexteram tuam audire mereamur: Venite Benedicti.

ORATIONES JACULATORIÆ,

Uſurpandæ, prout dictum pag.147.in Med. de Fund.

I. Rex tremendæ Majeſtatis, qui ſalvandos ſalvas gratis, ſalva me fons pietatis. II. Non intres in judicium cum ſervo tuo III. Ab hœdis me ſequeſtra, ſtatuens in parte dextrâ. IV. Cùm veneris judicare, noli me condemnare. V. Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malũ. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonũ. VI. Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti. VII. Revelabis ô Domine ſtultitiam peccatorum in oculis omnium. VIII. Projicies ſuper peccatores abominationes, & contumeliis illos afficies, & pones illos in exemplum. IX. Quid faciam in die viſitationis & calamitatis? ad cujus confugiam auxilium? X. Pugnabit tecum ô Deus orbis terrarum contra inſenſatos. XI. Videbo quid ſit inter Juſtum & Impium, inter ſervientem Deo, & non ſervientem. XII. Recordare Jeſu pie, quòd ſim cauſa tuæ viæ, ne me perdas illâ die.

Poſt meditationem oſculare terram dicendo: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave, & præſta præſtanda, ut ſuprà pag. 148.

Compendium Meditationis præcedentis.

I. In Valle Joſaphat cuiq; ponentur ob oculos accepta beneficia. II. Omnia item peccata contra Deum admiſſa, coram omnibus. III. Et quivis juxta meritum aut ad infernum detrudetur, aut ad cœlum evocabitur.

EXER-

EXERCITIUM VII.

DE POENIS INFERNI.

Factum est, ut moreretur MENDICUS, *& portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, Mortuus autem est* DIVES, *& sepultus est in* INFERNO. *Elevans autem oculos, cum esset in* TORMENTIS, *vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus, & clamans dixit; Pater Abraham, miserere mei! & mitte Lazarum, ut intingat extremũ digiti in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia* RECEPISTI BONA IN VITA TUA; *& Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur & tu cruciaris, Et in his omnibus inter nos & vos* CHAOS *magnum firmatum est; ut hi, qui volunt hinc transire ad vos,* NON POSSINT; *neque* INDE HUC TRANSMEARE. *Et ait: rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc* LOCUM TORMENTORUM. *Et ait illi Abraham: habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit, non, Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis surrexerit, credent.* Luc. 16.

EXERCITIUM.

Trium animæ potentiarum pro meditatione.

De Pœnis INFERNI.

ANte meditationem imaginare tibi voraginem in centro terræ quadratam quatuor milliarium, valentem capere octingentos milliones hominum, opacam tenebris, eructantem flammas in activitate sua atrocissimas & crudelissimas: formidabilem spectris Dæmoniorum, plenam damnatis ad pœnas acerbissimas omnis generis, Talem sibi repræsentabat P. Joannes Rho S. J. Vir eximiè pius & sapiens, talemq; adumbravit in una suarum concionum de inferno. Jurabit obscurare cubiculum ad meliùs concipiendum horrorem carceris infernalis Fru-

ctus è meditatione Intellectûs & ex affectibus voluntati capiendus, erit firmum propositum abnegandi omni desideria, ac voluntates à Deo prohibitas, & prompti admittendi omnem mortificationem ab ipso ordinatam Quem in finem dic brevem orationem. *Renuit consolari anima mea nisi in te Deus.* Cætera ut pag. 32. & 34

PUNCTUM I.

Infernus est locus infelicissimus ob cumulum omnium malorum in summo gradu; & ob exclusionem omnis boni etiam minimi.

S*Uper veritate à memoria proposita discurre per intellectum* O ANIMA MEA! *sistendo ad lineolas; & invenies quod prædictorum malorum cumulus ex una parte sit terribilis pœna, & ex altera parte pœna propria sol inferno.* Certè pœna est terribilis - non potest enim non esse pœna illa terribilis, in qua concurrunt omnia mala in summo gradu, cum exclusione omnis boni etiam minimi - est proinde propria inferni, utpote qui est locus tormentorum - non enim in mundo datur cumulus omnium malorum - neque in summo gradu - neque cum exclusione omnis boni etiam minimi- quantumcunque homo miser fuerit, non tamen purâ est obsitus miseriâ - neque illâ summâ - neque omnigenâ miseriâ- considera,& rem ita esse deprehendes - in inferno reperiuntur omnia mala animæ - corporis - loci - societatis temporis in summo gradu - cum exclusione omnis boni etiam minimi - ratio autem,cur tot malis vexentur damnati, hæc est; quia locus hic carcer est hostium, qui Deo conciliari nequeunt

PUNCTUM II.

Obruent damnatos malæ animæ.

I*Ta est anima mea: discurre desuper per intellectum & invenies à damnatis per animam esse Deum offensum, ideoque in eadem esse puniendos.*

Ita est ANIMA MEA, quemadmodum à memoriâ tibi est propositum, meditare & videbis damnatos per animam deliquisse, ideoque pœnam in animam debere cadere -

Pa-

Patietur ergo anima in memoria quidem per reminiſcentiam tam bonorum præteritorum quàm malorum-reminiſcentia bonorum, quia illis in æternum erit privata--reminiſcentiâ malorum præteritorum, quia hæc infinities in inferno augebuntur--Patietur in *intellectu*, quia præcluſâ omnis ſolatii ſpe, omni cogitatione placidâ ſubtractâ, cogitabit tantùm doloroſa & ærumnoſa—patietur in *voluntate*, quia obſtinato odio (horreſco dicere) proſequetur Deum ſummum bonum, ad cui ſerviendum erat creata— Patietur in *phantaſia* quia hæc non alia ſibi objecta, quàm tantùm ſummè tædioſa repræſentabit — etenim ſi, qui humore melancholico eſt oppreſſus, in imaginatione ſuâ turbidâ! ſibi tantùm fingit umbras, ſpectra, furias—& graviter turbatur... multò magis damnatus—O anima! *non eſt dolor ſimilis*: quantas in anguſtias detruderis? *Siſte aliquantulum, & per omnes haſce potentias finge te occupari rebus tædioſiſſimis— & dic intra te*: Si inferno eſſem adjudicanda, hæc foret una pars amariſſimi calicis doloris mei... O me miſeram!

PUNCTUM III.

Patientur etiam in corpore,

O ANIMA MEA *veritatem à memoria propoſitam, per diſcurſum Intellectûs deprehendes eſſe veriſſimam.* Corpore ſuo malè uſi ſunt damnati contra finem ſuum; Deum ipſum, à quo illud obtinuerunt; congruit ergo, ut & illud in inferno puniatur..punientur ergo in quinque corporis ſenſibus. In *oculis* quidem ſqualore & horrore carceris,—nigredine fumi—cymmeriis tenebris—aſpectu damnatorum maximè difformium—maximè autem viſu Dæmoniorum—Tam enim illi ſunt difformes, ut viſo eorum uno, in corpore aëreo aſſumpto, S. Catharina Senenſis profeſſa ſit, malle ſe per viam ſtratam prunis ardentibus ad extremum uſque diem incedere, quàm ſimilem adhuc ſemel conſpectum ſubire—quid erit

horum videre innumeros - horrore illo formidabiles quem Deus ipse addet ad damnatos excruciandos : nih horum cogitari potest sine extremo horrore - quid er habitare inter tot formidabiles hostes? - *aures* non aliu audient, quàm planctum, stridorem, ululatum, male dictiones, dicas in alios & in ipsum, ô infandum dictu supremum Numen - ferre non possumus ululatum can furiosi - quomodo tolerabilis erit gemitus mille milliun hominum ac Dæmonum lamentantium *odoratus* sentie fœtorem, quem afflabunt damnatorum corpora - unic eorum, si S. Bonaventuræ credimus, sufficeret, ad orben pestifero odore inficiendum - quam mephitim non ex halabunt milliones corporum in una caverna concluso rum, quò aër nullus penetrat, nullus per totam æternita tem ventus spirat? - *gustus* exasperabitur felle Draconi aspidum, Basiliscorum torquebitur sulfure, pice, metalli liquatis, - quæ omnia mille spurcitiis diffluentia, in po tum eorum quotidianum manabunt - famem patientu ut canes, & sitim sine refrigerio - *Tactus* qui sensus pe totum corpus vagatur, & in quo tam graviter peccârunt torquebitur *Primò* sui ipsius compressione terribili - unu enim alteri incumbet ceu lateres in camino ardente sib suppositi - *Secundò* ceu mancipia gestabunt catenas collo brachiis, lumbis, pedibus, manibus *Tertiò* lacerabuntu flagris - percutientur sudibus - in puteos ardentes, & hinc ad nives ad gelu transibunt - transibunt, inquam à summo calore ad summum frigus - doloribus capiti vexabuntur horrendis - nec minus acutissimis puncturi dentium - renum - viscerum - omnium membrorun (secundùm quod quivis plus minúsve peccârit) inte nauseam - furorem - maniam - collige hîc in unum quid quid afflictivum habent nosocomia, - quidquid unquan fuit in officina crudelitatis - quidquid à tyrannide exco gitatum in martyres quid porrò - omnem concip pœnam, dolorē ac supplicium, & pro certo habeto, quod ex his omnibus non sis collecturus cumulum omnium malo

malorum cum exclusione omnis boni etiam in gradu minimo, comparatè ad infernum —— cujus ratio est, quia cumulus iste malorum opus est omnipotentis Dei præparatum ad plectendos irreconciliabiles Dei inimicos *Ignis succensus est à furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.*

Hîc moræ paululum interpone. Ac dein imaginare tibi jam corpus tuum abjectum esse ad flammas infernales — exinde reflecte ad duo puncta: primò ad extremam insaniam, in qua olim hic vixerunt damnati; siquidem scientes, pœnam ejusmodi peccatis esse paratam, iis tamen abstinere noluerunt. Ideoque modò ejulant, suámque condemnant amentiam. *Præ angustia Spiritûs gementes* (dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt) *erravimus à via veritatis, & sol intelligentiæ non luxit nobis. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia? transiêrunt omnia tanquam umbra* Sap. 5. Dein ad te conversus dic: quàm stolidus ergo sum ego, exponendo me, amore vanitatis ac lucri momentanei tam atrocibus suppliciis? —alterum, ad quod rogo ut attendas, est, quod omnibus hisce suppliciis (& aliis longè pluribus, quæ tibi expendenda relinquo) damnati nondum satis torqueantur: debet enim ad hæc omnia tanquam ultimum pondus accedere æternitas - ratio omnium desumitur à gravitate peccati - & bonitate Dei infinita - hinc pœnâ omni finiti majore, castigari meretur - unde collige, an peccatum actio sit quæ tam levior & per jocum debeat patrari.

PUNCTUM IV.

Malis præmemoratis conjungitur desperatio de fine aut exitu pœnarum.

Super veritate à memoria proposita discurre per intellectum O ANIMA MEA, & dic: spes afflictorum, sæpe bonum est tantùm apparens; utpote non reducendum ad actum - interea tantùm adfert solatii, ut Job suis in miseriis pro earum solamine non aliud sibi accinuerit, quàm *Post tenebras spero lucem* - in inferno nec hoc lenimen vel

apparens tantùm,locum invenit - regnat illic oppositum ipsius, id est desperatio, quia Damnati nôrunt pœnas suas vel atrocissimas nunquam esse finiendas - quippe portis inferni pro instructione omnium inscriptio hæc est insculpta, *Ponite spem,quotquot mea tecta subitis*.quâ denotatur pœnarum æternitas.

Siste hîc nonnihil,& bina verba considera. *Desperatio* exeundi ex inferno. *Æternitas* pœnarum. Ideoque ex toto corde sequens fac colloquium cum Deo.

Mi Deus! Si damnatus desperans de fine pœnarum suarum, in inferno æternùm debet persistere,O quàm infeliciter ille te impugnat -- tu æternùm eris beatus, ille æternùm miser - nec punctum felicitatis, tibi unquam decedet,nec hilum detrahetur ipsius miseriæ -- tu eris cumulus omnis boni sine admixtione illius mali:ille aggregatum omnis miseriæ absque hilo boni vel minimi- tu per totam æternitatem videndo te, amando te,gaudendo de te,in te & de te satiaberis : ille æternum desperans de videndo te, de amando te- certus de perpetuo odio tuo, & odio suo. seperatus à te æternùm, infelix erit æternùm : *Non videbit gloriam Domini.*

Siste paululum & dic. O me infelicissimum,si ad infernum deturbandus essem.Nunquam visurus essemDeum, ad quem videndum sum creatus --nunquam amaturus essem Deum, qui in se summè bonus, & summum bonum, & summè bonus in me : O tormentum !

His non obstantibus scias O ANIMA MEA!quod in omnibus prædictis malis æternis corporis&animæ Deus clementiâ adhuc in peccatorem utatur, ipsúmq; meritis suis infinities minùs puniat. Deberet quilibet peccator experiri in se omnia tormenta Dæmonum omnium, & damnatorum : & sic tamen infra demerita sua puniretur. Undè infertur, quod Divina justitia ictum non possit in peccatorem vibrare, qui non sit levior ipsius culpâ. Hæc cogita,& responde mihi,grandéne malum sit peccatum, nec ne.

PUN-

PUNCTUM V.

Si vel semel mortaliter peccâsti, prædicta mala es promeritus.

S*I hæc vera sunt uti sunt verissima* (prout ostensum in meditatione de pœnis à Deo inflictis pag. 32. & 34. *O anima!* O CORPUS MEUM! recolligamus nos, quâ ratione ferè agit qui se proximum stare præcipitio advertit. Promeriti sumus infernum O anima mea, si vel semel mortaliter peccavimus: ita est. Verùm quis executionem pœnæ impedivit?...Deus--Deus ille â me offensus & irritatus-- ita est. Hic impedivit..ob quod motivum?—solius bonitatis suæ.. nisi ille Dæmones inhibuisset, in hora peccati ab illis in abyssum infernalem abrepta fuisses, jus quoque in corpus obtinuissent ad istud in die judicii simul rapiendum..atque ita afflicta in una parte, exspectandam haberes afflictionem æternam partis alterius, pœnam æternam sensûs, pœnam æternam damni per carentiam visionis Dei nunquam redimibilem—.O malum horrendum quod promeruimus! O magnam Dei bonitatem quæ illud avertit. Quare O anima mea! conjunge te intimâ unione Deo tuo, & tenerrimo amoris affectu apprime crucifixum pectori tuo: dic illi:

Et quare mihi & non tot aliis gratia tam grandis facta est, ut me non ablegâris ad infernum, quando peccavi? --& cur mihi tot culparum reo clementia hæc exhibita, quam non quæsivi? mihi multoties reo?..tuum non erat in ea commodum positum. *Bonorum meorum non eges* ..favor ille effectus fuit tantummodo specialis tui & gratuiti in me amoris—hinc majorem erga te obligationem contraxi, quám si me priùs in orcum detrusum postea extraxisses—Debeo itaque ex gratitudine specialiter esse tuus totus — & talis esse cupio. Acceptando libenter, quidquid molestum immiseris, me privando omni voluptate toties, quoties sacratissima voluntas tua aut servitium illud postulárit, —Hanc oblationem modo facio, vel ideo, quia peccavi, fruen-

fruendo voluptate illicitâ, vel quia mortificationem à te præceptam omisi --- Atque hac ratione præteritos lapsus corrigendo ita vivam, ne merear per omnem æternitatem in inferno cruciari.

Percurre hîc occasiones particulares, quæ vel ob difficultatem suam te à servitio Dei retraxerunt aut dulcedine sua te allicuerunt ad Deum offendendum. Fac harum catalogum Deoque hunc offer cum firmo proposito amore ipsius tum omnem amaritiem libenter degluttiendi; tum quacunque voluptate abstinendi, præservatus ab inferno omnia faciat, ut placeat præservatori.

Oratio.

TE Domine suppliciter oro pro anima mea, ut non tradas eam in manus inimici, sed jubeas eam à sanctis Angelis suscipi, ut non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat.

Orationes Jaculatoriæ.

I. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitâsset in inferno anima mea. II. Nunquid in æternum projicies. III. Erue ab inferno animam meam. IV. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. V. Quis habitabit cum ardoribus sempiternis. VI. in inferno nulla est redemptio. VII. Quærent mortem, & non invenient. VIII. Libera me Domine à morte æterna. IX. Vermis eorum non moritur. X. Dilatavit infernus animam suam, & descendunt fortes & gloriosi ad eum. XI. Lata est via, quæ ducit ad perditionem, & multi inveniunt eam. XII. Ne vadam in locum tormentorum.

COMPENDIUM.

Meditationis præcedentis.

I. Omne malum in summo gradu est in inferno, absque omni bono.

II. Omne malum patietur anima.

III. Et corpus cum ipsa.

IV. Cum desperatione & per omnem æternitatem.

V. Reus vel unius peccati mortalis hæc omnia promeruit. Post meditationem fac ordinaria, ut in præcedentibus notatum.

EXERCITIUM VIII.

DE APPLICATIONE SENSUUM AD POENAS INFERNI.

Luet, quæ fecit, omnia, nec tamen consumetur: juxta multitudinem adinventionum suarum sustinebit. Job. 4. *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Matth. 8. *Voca nomen ejus absque misericordia, quia non addam ultra misereri, sed oblivione obliviscar eorum.* Oseæ. 6. *Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 8. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquebitur.* Sap. 14.

EXERCITIUM

Inscriptum à S. Ignatio in Lib. Exercit. APPLICATIO SENSUUM.

Ad Pœnas INFERNI: *è prima Septimana Exerc.*

DOctrina communis de applicatione sensuum ad mysterium aliquod fidei, ponetur in fine hujus Operis, & in instructione pro Directore. Quod attinet Exercitium circa pœnas inferni (in quibus præcedenti Meditatione occupatæ fuerunt tres animæ potentiæ) hoc modo circa has nos possumus gerere. Debemus nobis imaginari, quasi videremus, audiremus, odoraremur, gustaremus, tangeremúsque illa, quæ sunt in inferno. Exercitium hujusmodi est utilissimum, quoniam repræsentando objecta, prout vestita circumstantiis sensi-

bilibus, anima noſtra corporis materialitati immerſa adjuvatur in amandis aut fugiendis rebus, prout in illis qualitates aut placentes aut diſplicentes invenit. Eſt item illud facillimum, quoniam non obligat ad diſcurſum intellectûs, qualem exigit meditatio. Interea tamen qui applicat ſenſus materiæ propoſitæ conformiter ideæ S. Ignatii, non ſiſtit purè in tali applicatione, verùm intellectus etiam partes ſuas ſuaviter agit ad fructum inde pro praxi colligendum.

Antequam incipias, imaginare tibi te eſſe in grandi illa Voragine, de qua in Medit. præc.

Fructus, quem colligendi tibi præfiges, erit commiſeratio cum propria carne tua faciendo, ne incidat in infernum, animando illam, ut in hac vita mortificet affectus ſuos inordinatos, atque ut Deus ad hunc fructum capeſſendum te adjuvet, dirige ad eum ſequentem Orationem: Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Hujus Exercitii tempore priva te luce, ſi fieri poteſt, & præſta cætera, de quibus pag. 32. & 34.

PUNCTUM I.

Siſtendo ad lineolas, imaginaberis tibi, videre te objecta illa horrenda, quæ in inferno reperiuntur. I. Volumina flammarum tam grandia, ut nullius fornacis ignis cum illis in comparationem venire poſſit. Finge videre te amplam civitatem undequaque ardentem, ... aut amplum maris tractum in longum, latum & profundum, loco aquarum ignibus liquefactis conſtantem .... II. Locus iſte flammarum furvus ac niger ſit. .... III. Repræſenta tibi tenebras ſpiſſas, & fumum denſiſſimum. .... IV. Innumeros damnatos oculis aut lippientibus, aut flammantibus, torvis, fœdiſſimis, ... ore diſtorto formidabiles, ... capillis præ horrore erectis, ...

lios pertuſos clavis, ... alios lanceis tranſfixos, ... lios ſerpentibus implicatos, aut draconibus circumdaos, ... forcipibus laceratos, ... in equuleo diſtenos, ... immiſſos aheno bullienti. ..... V. Dæmones nnumeros, ... ſpectra horribilia, ... occupata in uciandis damnatis abſque miſericordia, modo crudeſſimo atque inaudito. ...... VI. Pone tibi ob oculos mnigenæ crudelitatis inſtrumenta, cataſtas, ... ferıtos pectines, ... rotas, ... pavimentum ex ferro nitum, ... fidiculas, ... omnis generis feras furiındos leones, ... urſos, ... tigrides, ... furioſos nes, ... baſiliſcos.

Contine ergo phantaſiam figendo oculos imaginatiois in illa, quæ eveniunt damnatis. Hoc facto: dic piè teipſum: O oculi mei quomodo poteritis durare ad pectum objectorum tam formidabilium per totam ternitatem; ſi vobis durum accidit aſpicere reum ſuſenſum è patibulo, ... exulceratum in noſocomio, ... ıortuum in ſarcophago, ... ſepulchrum apertum, ... atue ex commiſeratione in oculos tuos, eos avertere ab bjectis, quæ nata ſunt turpes cogitationes parere in anio, ... obſcœnis picturis, ... à comœdiis inhoneſtis, .. à libris turpibus.

PUNCTUM II.

Finge te audire, qualia dicantur à Dæmonibus & damnatis. I. Mutua convitia, exprobrationes, improperia, ... ſi quando fæcem hominum ad triremes amnatorum, aut carcerem reis furioſis plenum vidiſti, hiſce ideam aliquam mutuare eorum, quæ damnati bi mutuò oggerunt, ... quæ non convitia audiunır jaci à damnatis ad triremes, ... quæ dicteria ab ıcarceratis evomuntur in alterutrum, ... in inferno

dæmones ſubſannant damnatum, quod ſuggeſtionibus ſuis auſcultârit.....Damnatus fremit èecontra adverſus Dæmonem, quòd illas inſpiraverit. ... II Alter inſurgit in alterum, quia ſocietas illius augmentum eſt doloris. III. Quivis ceu deſperatus ejulat, & tanquam impius blaſphemat. IV. illic ululatus, rugitus, ſibili, latratus tot beſtiarum quot damnatorum.....Illic ſtridor dentium, & gemitus intolerabilis;....quæ omnia naſcuntur ex deſperatione & odio ſui ipſius, peccatorum propriorum, ſociorum, & ipſius Dei,.... audi ad hæc ſtrepitum catenarum, ollarum bullientium fremitum, horribilem fragorem collabentium ſaxorum ac rupium. V. Clamores Dæmonum,....& comprimis lamenta damnatorum, amentiam ſuam deplorantium, ac dicentium: hìc hæremus; hic commoramur, quia peccando huc venire voluimus.....& peccavimus ob rem nihili,.....& in pœnis verſamur æternis ob voluptatem momentaneam.... O Vecordiam noſtram! ô nos ſtolidos!

Diſcurre porrò tecum per intellectum, & dic: quid me fiet, qui Deum per auditum offendi?.....auſcultando murmurationes, obſcœnitates &c.?.....ingrata mihi accidit muſica, ubi deeſt harmonia,....& quantumcunque fuerit elegans, ſi nimium protrahatur, impatientem me reddit, & afficit tædio;.....quid ergo erit, ſi ad locum detrudendus fuero, in quo per totam æternitatem, memoratis aliis excruciabitur auditus?.....oportet ergo ut proponam emendationem peccatorum, quæ per auditum admiſi.

PUNCTUM III.

IMaginare tibi odorari te fœtorem inferni. I. Fœtor hic erit multò major quàm ſit is, quem exhalant purulenta mortuorum cadavera: Imaginare tibi campum amplum beſtiis computrefactis ſparſum. O quis fœtor fœtorem ſtabulorum, latrinarum, ſepulchrorum. II. Ut primùm corpora damnatorum reunientur animabus, fœtorem

torem induent: *De cadaveribus eorũ ascendit fœtor.* Isa. 3. omnes spurcitiæ, quotquot ab orbe condito diffluxerunt, in inferno colligentur tũ, quando auditâ finali sententiâ Judicis, fauces illius aperientur, ad damnatos degluttiendos...Imaginare tibi itaque fœtorem, qui inde exibit.

Discurrat hîc intellectus O ANIMA MEA! dicàtque tibi: quid consilii pro te, qui minimam graveolentiam fastidis?....ex commiseratione in sensum odoratûs debes abstinere à certis quibusdam delicatis odoribus qui imprimis sunt superflui, sumptúsque exigunt, qui meliús in pauperes aut sustentationem familiæ erogari possent,... qui fovent incontinentiam, ...aut eam in aliis provocant,...proximum scandalizant aut offendunt,.....quin & in satisfactionem pro peccatis tuis abstinere debes à memoratis odoribus: imò & in servitio pauperum in nosocomiis fœtorem non fastidire, ... visitare carceres quanquam & horum odor displicuerit.

PUNCTUM IV.

APPlicando gustum ad ea, quæ in hoc sensu damnatos torquent, imaginare tibi I. Famem eorum caninam. *Famem patientur ut canes.* Psal. 38. Et ardentissimam eorum sitim. II. Imaginare tibi ea, quæ ad torquendam eorum gulam violenter in fauces eorum intruduntur; utì fel draconum, ...sulphur,.....ignis liquidus: *Ignis & sulphur pars calicis eorum.* Psal. 10. III. Et quicunque alius liquor toxico omni acerbior tibi occurrat,.. liquor sordidior quibuscunque fæcibus,....modo calore bulliens,.....modò frigore glaciatus,...

Quiesce hîc paululum ANIMA MEA, & reflecte ad ingluviem tuam atque intemperantiam in cibo & potu;... reflecte ad superfluitatem tuam in eorum usu....Quot pauperes liberaliter viverent, nisi tu cum excessu etiam valetudini damnoso, iis abutereris; ..... reflecte ad diversitatem ferculorum,...ad embammata & condimenta,.. nónne si ad infernum detrudenda fores anima mea, æter-

nùm deteſtateris culpas per guſtum admiſſas, ..., ſtatue illi ſubtrahere oblectationes aliquas, etiam permiſſas, in ſatisfactionem pro peccatis tuis in guſtu commiſſis, ... adhibe aliquod in ſeptimana jejunium, ... ſubtrahe tibi bolum aliquem magis delicatum ; .... præ omnibus ſtatue in paſcendo corpore, vitare ſumptus ſtatui tuo non convenientes, ne carnis inſolentia foveatur, . .. illoque acquieſcere, quod tibi juxta conditionem tuam congruum menſæ infertur, abſtinendo à querelis, ſive ſecularis, ſive Religioſus, ſive Paterfamilias, ſive filius fueris &c. Cogitans, quia *Regnum Dei non ſit eſca & potus.* ad Rom. 14. Prævaricatio Parentum noſtrorum ortum duxit à guſtu, dum cibo prohibito noluerunt abſtinere.

PUNCTUM V.

IMaginare tibi te in tactu perſentiſcere I. Flammas ardentiſſimas, & iis te toto corpore immerſum eſſe concipe, ... ò quis dolor! II. Quia ad tactum pertinet, quidquid hunc cruciat, finge te ſentire dolores dentium. .... podagræ, ... calculi, ... capitis, ... colicæ, ... pleuritidis, &c. III Æternas illorum in prunis cubationes. ..... IV. Vexationes, quæ iis æternùm afferuntur à Dæmonibus, à Deo ad eos torquendos deputatis.

Expende hîc ſeriò ANIMA MEA, quàm delicata ſis, dum horres cilicium, ... parvam aliquam flagellationem, ... plicam aliquam intra lodices tolerans, ... ſitum omnem incommodum, ... & plura ejuſmodi : ad quid delitias à Deo prohibitas indulges tactui, ... ut quid veſtimenta nimis mollia affectas, ... quò ſuperflua commoditas in ſtando, ... ſedendo, ..., cubando, ... ut quid non acquieſcis conditioni tuæ, ... cogita actus tuos impuros, ..., ſaltus, ... lenocinia, ... illecebras, ... recreationes non ſine Dei offenſa, ... quid conſilii, ſi habita-

habitatio tua futura esset infernus? ..... an tibi tunc putas futuram carnem ferream? corpus ex ære? .... Tactus erit illic multò vivacior, dolores longè magis sensibiles, ità enim illic corpus à Deo disponetur, ut tactus futurus sit capax majorum tormentorum.

Ecce quid consulam, ut facias amore tactûs tui: Primò. Nihil tangatur à te, quod lege Dei prohibitum. Secundò. Subinde abstine à non prohibito, & mortifica tactum, in quo etiam non obligâris sub peccato, ut expies id, in quo deliquisti contra præcepta Divina. Tertiò. Propone tibi in particulari mortificationem, qualem adhibere solet religiosa pietas. Qualis esse potest per horas aliquot unâ die de septimana, cilicio se præcingere, subinde adhibere disciplinam: orare nudis genibus flectendo, aut expansis brachiis: aut abstinere ab aliqua recreatione. Præ omnibus autem patienter sufferre Crucem domesticam, quamcunque in statu tuo Dominus tibi submiserit per paupertatem & temporales adversitates, uti & & brumæ frigora, æstatis calores &c. Similiter omnia adversa æquo animo ferre, sive à Deo immediatè, sive ab hominibus malè erga te affectis, sive etiam à mala corporis proprii constitutione proveniant; & Deo gratias age, quod occasionem tibi submittat patiendi aliquid in hoc sensu ad abolenda peccata tua per omnes quinque sensus commissa.

Fini hoc Exercitium, faciendo, quæ in præcedente Meditatione, cujus hæc est quasi Corollarium, præscripta sunt.



ORA-

ORATIONES JACULATORIÆ

Usurpandæ ad modum qui præscriptus pag. 147 in medit. de Fundam.

I. Sicut exhibui membra mea servire iniquitati, ità exhibebo membra mea servire justitiæ. II. Mortificationem JESU Christi portabo in corpore meo. III. Averte oculos meos à vanitate. IV. Pes meus stabit in directo. V. Ponam custodiam ori meo. VI. Ecce ego in flagella paratus sum. VII. Humiliabo in cilicio & jejunio animam meam. VIII. Sepiam aures meas spinis, ne auditione malâ peccem. IX. Castigabo corpus meum. X. Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam. XI. Si sustinuerimus, & conregnabimus, si negaverimus, & Christus negabit nos. XII. Pro mensura peccati erit plagarum modus.

MONITUM.

Applicatio sensuum præscribitur etiam à S. Ignatio pro Medit. de Vita Christi: uti & de Nativitate, de ultima Cœna &c. quod hic notare volui, ut Lector sciret, non in hac tantùm materia de inferno eam adhiberi posse. In hunc finem multùm conferre posset, si essent ad manum imagines aut picturæ de his materiis, in quibus velles uti applicatione sensuum. Si quis sumptus vellet facere pro excudendis imaginibus, quales cuique Meditationi in hoc libello possent præfigi, rem in commune utilem esset collaturus. Exemplar peti posset à variis libellis Exercitiorum Romæ & in Gallia cum eisdem editis.

EXER-

EXERCITIUM IX.

De prima parte Meditationis quæ est de FILIO PRODIGO.

Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. *Isa.* 1. Computruerunt sicut jumenta in stercore suo. *Joel.* 1.

EXERCITIUM.

Trium animæ Potentiarum in prima parte MEDITATIONIS.

De historia, aut parabola, de FILIO PRODIGO, *quæ est ultima ex iis, quæ pertinent ad primam septim. & continet tantùm puncta duo:*

HÆc meditatio intendit peccatori ob oculos ponere malum spirituale, quod sibi ipsi conscivit deviando à fine, ad quem creatus est: simul & injuriam, quam Deo infert, & benignitatem, quâ Deus erga eum usus est post peccatum commissum: omnia ad ipsum disponendum, ut verè de præteritis contritus, cum gratia Dei illa evitare statuat. Eum in finẽ meditanda proponitur dulcissima sive historia, sive parabola de filio prodigo; siquidem illa viva est imago illorum, quæ eveniunt peccatori.

Priusquàm materiam hanc meditari incipias, te ipsum existima esse filium illum prodigum, dilapidatorem & rebellem adversus Patrem suum, qui probrosè domum Paternam deseruit, & paulò post se ad extremam mendicitatem redactum, spoliatum iis, quæ ad victum & amictum sunt necessaria, imò & habitatione destitutum deprehendit. Cum tali compositione animi humiliati, mortificati ac pudibundi meditaturus prosternat se ante pedes crucifixi, ipsumque tanquam Patrem, quem peccando deseruit, sibi repræsentet, se autem tanquam ingratum filium consideret. Legat dein

parabolam, sub qua miserabilem hunc casum proponit Lucas, quam hîc ponam, quia aptissima ad excitandum t nerae pietatis sensum. Itaque sic se habet: Homo quida habuit duos filios, dixit adolescentior ex illis Patri Pater, da mihi substantiam, quae me contingit. Et d visit illis substantiam. Et non post multos dies, congr gatis omnibus, adolescentior filius profectus est in regi nem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam v vendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit eg re. Et abiit, & adhaesit uni civium regionis illius, misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Et c piebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci ma ducabant, & nemo illi dabat. In se autem reversus dixi quanti mercenarii in domo Patris mei abundant pan bus, ego autem hìc fame pereo! Surgam & ibo ad p trem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum & c ram te, jam non sum dignus vocari filius tuus; fac n sicut unum de mercenariis tuis, & surgens venit ad p trem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illu Pater ipsius, & misericordiâ motus est; & accurrens cec dit super collum ejus & osculatus est eum. Dixitque filius: Pater peccavi in caelum & coram te, jam nc sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem Pater ad se vos suos: citò proferte stolam primam; & induite illun & date annulum in manum ejus, & calceamenta in ped ejus; & adducite vitulum saginatum, & occidite, manducemus & epulemur, quia hic filius meus mo tuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus est.

Fructus ad quem considerationes Intellectûs, & affe ctus voluntatis ordinabuntur, erit firma animi deter minatio ad agnoscendam deinceps grato animo bonitat Divinam, nobis adhibitam, dum nos toties post tot ad missa peccata rursus suscepit; cū proposito sanctiorē dein ceps vitam instituendi. Et ad obtinendam gratiam eò per

venien

niendi dic brevem Orationem. Dignare, Domine, ſi-peccato me deinceps cuſtodire. Aliæ præparationes hibebuntur, uti Dictum pag. 32. & 34.

PUNCTUM I.

Dixit filius adoleſcentior Patri: Da mihi partem ſubſtantiæ, quæ me contingit.

DE arroganti poſtulato, quod filius junior hic facit & à memoria jam propoſitum fuit, ſequentem ANIMA MEA, ſiſtendo ad lineolas, diſcurſum inſtitue, quàm impudens hic juvenis! — hæreditatem poſtulare à Patre adhuc vivente? *Da mihi partem ſubſtantiæ.* — Eam poſtulare tanquam ex juſtitia debitam — *quæ me contingit* — quaſi verò filius Patre adhuc in vivis ſuperſtite poſſit vel denarium ullum exigere, nedum partem notabilem hæreditatis — O filium impium! dices; & rectè: — verùm quod pejus eſt, illud, quod à patre poſtulat, in eum finem poſtulat, ut ſe à Patre ſeparet — cui impudenter in faciem oggerit, tanquam ſi malè ſibi fuerit apud Patrem — quod ut meliùs ſibi ſit; ab illo velit diſcedere ideò, & ſe ab ipſo ſeparare — itaque ſua convaſat, ſarcinulam onerat, & ne quidem vale dicto, abit. *Congregatis omnibus profectus eſt* -- & procul, ut longè ſit extra paternum conſpectum — *in regionem longinquam*, unde duplici plagâ bonus ſenex Pater percutitur, unâ, dum videt mutilatam ſuam ſubſtantiam; alterâ. dum ſe à filio contemptum, à ſanguine proprio vilipenſum hoc medio, deprehendit.

Poſtquam indignitatem hanc filii prodigi meditatus fueris, agnoſce in illo te ipſum, & diſcurſum proſequere dicendo: ego ſum filius ille arrogans, & rebellis contra Deum, Patrem meum cœleſtem — filius ipſius *natu mi-*

nor ad differentiam JEſu filii primogeniti, qui ipſa fuit innocentia: præter portionem,quæ in me minima eſt, eò quòd ſit animalis inferior, ſumma cum audacia auſus ſum poſtulare partem, ſubſtantiam, quam compellavi meam, videlicet libertatem meam, ut de ea diſponerem, uti & de bonis animæ & corporis tum gratuitis, tum acquiſitis, quæcunque in me reperiuntur, & de me ipſo ad meum beneplacitum. —— Dixi meam, quia Deus eam mihi donavit,dum voluit me eſſe creaturam liberam: — cùm verò ſim creatura & opus ipſius, pertinebam ſine dubio potiùs ad illum, quàm ad me ipſum. — Voluntas Dei potiùs eſt,quàm mea: magìs ipſius & anima & corpus ſunt, quàm mea; magìs ipſius ſenſus mei, potentiæ animæ,facultates, ingenium, prudentia, talenta, dignitates, doctrina &c. — Et nihilominus tanquam ſi ea ad me ſpectarent, ſibique illa Deus injuſtè vindicâſſet, præſcribendo mihi per legem ſuam modum iis utendi ad finem, ad quem mihi data ſunt, auſus ſum non minùs imperiosè, quàm injuſtè petere. *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit.* —— Auſus etiam ſum protervè dicere; quod ſtatuerim malè vivere, & prædicta bona in malos uſus convertere. Nonne vera hæc eſſe agnoſcis anima mea? —— agnoſcis, & minis quàm vera eſſe tacitè confiteris —— hanc exactionem à Deo faciendo, quid aliud poſtulâſti, quàm ut in ſui ipſius deſpectum illa tibi concederet is, qui ipſa dedit; in finem peſſimum, ut ab eo abires, — omnibus enim donis ipſius abuſa es ad peccandum, — peccata autem ſepararunt te ab eo, qui te creavit, & à ſancta ipſius gratia tranſtulerunt te in regionem longinquam, tam longè à cæleſti Patre, quantùm ab eo elongatur ſtatus peccati: qui per malitiam ſuam infinities ab eo diſtat, qui eſt infinita bonitas — *in regionem longinquam.*

Hic siste paulùlum, ut veritates prædictæ altiùs cordi infigantur: Dein convertens te ad Deum sequens institue plenum piæ voluntatis affectu, colloquium, sit autem affectus ille, confusio tui ex toto corde promanans: O quantùm erubesco meam contra te mi Deus impudentiam! — impudentiam, impudentiam! exclamo — te volui deserere mi Deus — & ad hoc me induxit tædium de te conceptum — nausea in tuis præceptis — fastidium gratiæ tuæ — stultè induxi animum ut crederem, me longè à te positum victurum vitam lætiorem, tranquilliorem, jucundiorem — O iniquitatem inexplicabilem, quam adversum te commisi, ut primum voluntate & libertate mea gratiosè mihi à te concessâ abusus sum à te discedendo — à te, inquam, non jam dico Domino, creatore, ac Deo — dico pro majore mei confusione à te amabilissimo, dulcissimo, benignissimo, liberalissimo Patre.

Plura non ausim cogitare O ANIMA MEA: *considera tantùm, quæ ad præsens faciunt; & in ingratitudine filii prodigi, tuam & majorem ingratitudinem reperies. Ambo habuistis Patrem amabilissimum — Dedit Pater filio prætensam ad libitum malè substantiam: Pater cælestis permisit postulatum usum voluntatis tuæ, libertatis quam tibi donavit, cæteraque quibus te instruxit in creatione, & te in statu collocando, in quo versaris, non impediendo, ut pro libitu tuo omnibus utereris.* Cùm attentione considera comparationem hic institutam inter te & filium prodigum, attende quomodo ab illo, & à te adhibita sint dona tam ampla.

PUNCTUM II.

Oporteret suspicari, quod finis aliquis præcellens filium induxerit ad tam violenter à Patre extorquendam portionem substantiæ

suæ. Sed contrarium verba innuunt (dissipavit omnem substantiam vivendo luxuriosè.)

DUm hæc veritas à memoria proponitur, Intellectus O ANIMA MEA exclamat: O malè applicatum patrimonium. Et meritò —— debebat impendi in actiones familiæ ac parentelæ honorificas —— non dedecorosas Patri, qui tam benignè illud elargitus est ——Interim omnia dilapidantur in lasciviam —— lusus —— crapulam —— sorditiem —— vivendo luxuriosè. O vita malè respondens donis —— justum formâsti judicium, O anima mea de hoc juvene; Verùm amabo, applica hoc tibi, & responde mihi.

Nunquid pretiosum cimelium est libertas voluntatis tuæ, per quam non solùm Angelis, sed & Angelorum Regi Deo assimilaris ? —— verissimè omnino pretiosum —— debueras itaque hanc ad actiones excellentiâ tuâ dignas applicare —— neque aliud per illam eligere quàm solam virtutem —— Interim si vitam tuam discutere volueris quis sciet, an non à tempore quo ratione ac libertate uti potuisti eam in rebus sordidissimis ac vilissimis transigeris. Vivendo luxuriosè. Quod si ante pedes crucifixi te examinando ita esse deprehenderis, elice affectum voluntatis —— qui sit dolorosa accusatio tui ipsius ante Dominum, Patrem amabilissimum, dic ergo.

Amabilissime mi Creator, quâ ratione possim, quanquam vergat ad summam mei confusionem, te veritatem celare ? —— nôsti eam, nec possum te celare, frustra volo abscondere; quare confitendo eam, accuso me, & dico: dissipavi pretiosam summam capitalem, quam mihi liberalitas tua benignissimè impertivit, dilapidavi, dilapidavi. Prodegi cogitationes (actiones Intellectus) dissipavi affectus (actiones vo-

luntatis) verba (effectus linguæ) labores meos, omnia mea, qui interim me, & omnia quæ mea voco, à te habeo dissipavi *vivendo luxuriosè*. Vitam egi filio indignam -- dissipavi horas —— dies -- septimanas —— menses —— annos *Vivendo luxuriosè* —— non scio, qui breviùs aut significantiùs me explicem quàm iteratò dicendo : dissipavi, abjeci dona tua. *Vivendo luxuriosè* O pulchra consilia ! homine, scilicet, digna —— homine Christiano —— me, qui tanquam filius charissimus à tanto Patre fui tractatus: Certè non ut filius vixi : dum potuissem ac debuissem uti libertate mea, cæterisque illi annexis ad opera honesta, nobilia, eximia, heroica, ad tuam gloriam, ad meum profectum, ad ædificationem proximi, ad Angelorum gaudium —— nihil horum feci —— omnia prodegi *vivendo luxuriosè* —— O pudor O dedecus ! —— O me vilem & indignam creaturam ! O quantam ignominiam intuli huic nobili portioni mihi transscriptæ, —— majorem autem tibi injuriam, qui munificè illam concessisti.

Plurimùm profuerit ad duo reflectere. Primò ad omnia bona tum temporalia tum spiritualia corporis & animæ, & quidquid à fortuna aut industria tibi videris possidere ; & considerare, quantam horum bono usu Deo gloriam potuisses afferre. Huc serviet attendere ad alios tibi similes tibique notos domi tuæ aut in patria, aut qui ejusdem tecum sunt statûs ac conditionis, paribus tecum donis instructi, quanta ab illis DEO gloria proveniat. Alterum erit reflectere ad mala, quæ patrâsti, tantâ quidem cum incommoditate sæpe & labore, tantâ verò etiam cum complacentia in eisdem. Juvabit etiam hic reflectere ad peccata, quæ in Examine pro Confessione generali tibi occurrerunt, quæ scripto consignasti : &

dic

dic tibi ipsi. *Haeccine reddidisti Domino Deo tuo?* aut *peccavi Deo, non filius ejus in sordibus.* Vel: *nunquid ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit te & creavit te.* Vel: *De vinea Sodomorum vinea mea, & de suburbanis Gomorrhae: uva mea, uva fellis, & botri mei amarissimi.* Vel: *Tuli vasa decoris mei de auro Dei, atque argento Dei, quae dedit mihi, & feci mihi imagines, & fornicatus sum in eis.* Ezech. 16.

His finis sit primae partis meditationis de filio prodigo: cùm enim plena sit sensibus pietatis, aestimo utile fore, ut diutius illi Exercitans inhaereat. Interim si intra unam horam Director voluerit eam absolvi, illius judicio hoc relinquendum: noto solùm judicium meum, quod mihi videatur conducere eandem iterare. Quia verò tempus ad octo vel decem diés restrictum non permittit considerationes easdem repetere: putarem multum esse profuturum Exercitanti, si hanc materiam semel pro lectione libri Spiritualis percurreret. Materia enim quae servit considerationi, etiam servit pro libro Spirituali:

Compendium dabo post sequentem meditationem, in quam haec materia desinit, & finitur.



EXER-

EXERCITIUM X.

Secunda Pars Meditationis DE FILIO PRODIGO.

Consurge, consurge, induere fortitudine tuâ Sion: induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem. Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Isaiæ 52. *Si fuerint peccata ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, sicut lana alba erunt.* Isaiæ 1. *Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te: Revertere aversatrix Israël, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis, quia Sanctus ego sum. Convertimini filii revertentes & ero vester.* Jerem. 3. *Jerusalem, Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum.*

EXERCITIUM

Trium animæ Potentiarum pro secunda parte Meditationis.

DE FILIO PRODIGO.

ANte Meditationem repræsenta tibi Nabuchodonosorem, in pœnam scelerum suorum condemnatum à Deo ad vivendum septem annis inter bestias, & vescendum earum victu, ità quidem, ut in oculis hominum appareret esse bestia, & ut talis tractaretur. *Nabuchodonosor ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit; rore cœli corpus ejus infectum est; donec capilli ejus in similitudinem bestiarum crescerent, & ungues ejus quasi avium.* Impletáque est interminatio illi facta à Daniele, quòd à Deo ob peccata sua relegandus esset ad bestias ablato Sceptro, Coronâ & Regiâ dignitate. *Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transivit à te, & cum bestiis & feris erit*

habitatio tua; fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te. Daniel. 4. In decursu Meditationis videbis, in quem finem ad hanc visionem imaginariam formandam te sim cohortatus: cur hunc ob oculos ponere suadeam.

Fructus, quem spectare debet consideratio intellectûs & affectus voluntatis, erit *Cognitio* vilitatis, ad quam redegit peccatorem status peccati: petésque gratiam à Deo, ne in antiquam salvam redeas, brevi hâc Oratione: *Eripe me de luto, ut non infigar.*

In prima parte proposui Filium prodigum tanquam dilapidatorem Patrimonii per sordidissimum vivendi modum. In hac secunda videbis, quid illi evenerit post vitam illam luxuriosam.

PUNCTUM I.

Redactus est ad incitas; & ut dicit S. Lucas: *cœpit egere.*

COgita itaque, quòd extremâ premi cœperit inopiâ. Etenim coactus quærere Patronum, non alium reperit, quàm cujus substantia consistebat in grege sordidorum animalium, qui indigebat subulco. Assumpsit itaque hunc nobilem juvenem Filium prodigum. Et quid faciet? ut *pasceret porcos.* Et quâ mercede, non aliâ, quàm ut possit vivere de siliquis porcorum, cibo proprio gregi vilissimo. *Et cupiebat implere ventrem de siliquis, quos porci manducabant, & nemo illi dabat.*

O AMIMA MEA! scrutare intellectu tuo miseriam illius, & sistendo ad lineolas dic intra te: *Itáne ergo fortuna fuit illa dapsilis, quam inconsultus juvenis extra domum Paternam speravit se inventurum, --- subductum oculis, obedientiæ & subjectioni Paternæ. —— Vide exhaustum miseriis & cadaveri similem, —— in domo Paterna tam malo loco futurus non fuisset, -- laboribus & miseriis fractus schelethon refert, —— alius fuisset in domo Paterna manens, —— tam vilis redditus est per suas lubri-*

lubricitates, ut à capite ad calcem sordidus, lutulentus, fœtidus, & pecus inter pecudes appareat, -- talis non fuisset in domo paterna. — fame ita extenuatus est, ut moribundi vultum præseferat, — verbo tam ærumnosus compareat, ut miseriorem tibi non possis imaginari, & talis factus effræni suâ vivendi licentiâ: vivendo luxuriosè. *Cogita hæc benè ô anima mea.*

Postquam bene perspexeris statum tam miserum Juvenis illustri sanguine nati, perversâ suâ voluntate eò redacti, ut salvâ veniâ, ceu bestia inter bestias immundas viveret, elice ante pedes Crucifixi affectum voluntatis, sitque ille pudoris, hoc modo:

O Redemptor mi, verè juvenis iste conjectus in statum tam detestabilem meum est prototypon; — ego sum illa creatura, quæ vivendo in peccatis, post amissionem gratiæ tuæ deveni ad statum miserrimum, qui animam creaturam tam nobilem post peccatum manet, — anima est intellectiva, — immortalis, — condita ad tuam similitudinem, — quàm sublimis dignitas! -- Verùm quamdiu in peccato perseveravi, quam elicui dignam creatura tam nobili cogitationem, quæ desideria, quos affectus? — heu me! rationi non fuerunt conformes cogitationes, verùm animales & brutales, -- partem mei ignobiliorem sum secutus, servivi sensibus, quorum oblectamenta consistunt in sordibus, in quibus deliciantur immunda animalia, — horum desideria implevi adhibitâ etiam industriâ & labore, — egi servum pecoris tam vilis & ignobilis, — solicitus fui & studiosus, ne quis sensus non bene pasceretur, -- & de hoc laboravi; -- quod verò stipendium comparavi, quam mercedem retuli? — Me miserum! pudet eloqui, — glandes & siliquas: --- id est, illicitam aliquam voluptatem communem animali ratione destituto etiam immundo. - O mi Deus! hoccine magnum illud bonum fuit, quod me blandiendo à domo tua abduxit, obedientiæ subduxit? — renuntiare fecit tuæ gratiæ, — aspernari amicitiam tuam, — ut nec curarem esse filius tuus adoptivus, — téque amantissimum Patrem contemnerem, — miserum me! & quæ actio est è peccatis meis, quâ possum gloriari? — quid gloriari? — erubescere debeo, — quia ceu alter Nabuchodonosor, Regali dignitate orbatus, comparatus sum jumentis, & similis factus illis. -- *Talem me agnosco, talem me confiteor mi Deus. Prosit mihi hæc*

bi hæc Confessio ad obtinendam à te gratiam ex antiquis sordibus meis resurgendi: Continua nonnihil, & intende hunc affectum.

PUNCTUM II.

Filius prodigus sordidæ suæ miseriæ conscius factus, ad se reversus *est:*

QUid hæc innuunt, quæ memoria proposuit, O Anima mea? innuunt, quod ad mentem redierit, ac resipuerit: recordatus, quod in domo optimi Patris, unde probrosè discesserat, mercenarii, servi maximè abjecti, victûs humani copiam haberent, panis, cujus fame laboraret, illis non deficeret, jam enim dudum nec buccellâ gavisus fuerat: *quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic* (in hac sordidissima conditione, in loco hoc ignobili, in hoc misero vitæ statu) *fame pereo.* Sed quid faciat? culpam agnoscit, se ipsum accusat. Et dicam: *Pater peccavi in cœlum & coram te jam non sum dignus vocari filius tuus.* Supplicat, ut se recipere dignetur non jam ut filium, sed ut mercenarium: Fac me sicut unum de mercenariis tuis. Ità quidem filius prodigus modò pœnitens.

Patet hinc O Anima mea, quale bonum è miseriis tuis spiritualibus elicere debeas: non est obstinatâ mente in iis persistendum, *quoniam jam Dominus te illuminavit fraudésque Dæmonis detexit, qui tibi vitam in gratia Dei traductam tanquam vilem & fastidiosam, vitam autem voluptuariam, illam quidem vilem & abjectam, tam quam plenam solidi gaudii depinxit hactenus:* generosum propositum è sordibus tuis resurgendi capiendum est: dic *Surgam,* conclusum est adjuvante Divinâ gratiâ surgere surgam renuntiando spurcitiis bestialibus, finem harum faciam, & initium ponam vitæ homine Christiano dignæ -- abjice te ad pedes Crucifixi, & post, coram Confessario ipsius Vicario, cum vera cordis contritione dic: *Pater peccavi in cœlum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus:*

Re-

Repete hac die quàm poteris frequentissime memorata, affectu plena verba ante pedes Crucifixi : *Pater*, mi dulcissime *Pater peccavi in cœlum*, peccavi contra eum, qui cælum obtinet ceu Thronum gloriæ suæ : *& coram te*, in conspectu Dei illius, qui me peccantem contuebatur : peccando inquam, offendi Deum Patrem universalem omnium per creationem, & Patrem meum specialem ob beneficia peculiaria mihi præstita, — *jam non sum dignus vocari filius tuus* : quare indignum me reddidi præcelsâ illâ filiatione, per quam me adoptâsti ad conferendam mihi hæreditatem gloriæ cœlestis, — *fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Non postulo à te blanditias illas ac favores, quibus cumulare soles filios innocentes, ac tibi semper morigeros: minimè ausim ista petere, — gratia mihi sat ampla fuerit, si me illis annumeraveris, qui in famulatu tuo occupantur ministerio, labore, fatigatione : cujusmodi sunt veri pœnitentes, — protestórque non tam duram mihi fore vitam in servitio tuo inter pœnitentias & mortificationes, quàm dura fuit, dum Diáboli existens mancipium pascebar glandibus, (has ipsas ferculum basilicum reputans) voluptatibus bestialibus, — plus, inquam, mihi proderit vivere vitam hominis, — & Christiani — dignam illo, qui animâ pollet immortali, — qui ad paradisum aliquando obtinendum creatus est, plus proderit labor omnis pro virtute exantlatus, quàm omnis illecebra à peccato profecta. — *Melior est dies una in atriis tuis super millia peccatorum.*

Affectus hosce nonnihil continua, & augere stude.

PUNCTUM III.

Parvo acquiescebat Filius prodigus pœnitens : verùm munificentiâ liberalissimâ, Pater voluit vota ipsius superare.

UT videas, ANIMA MEA, quâ ratione Pater se gesserit adversus filium pœnitentem ; attende Primò : quòd

cùm adhuc longè esset, vidit illum. Secundò: Viso ipso, *misericordia motus est.* Tertiò: *Et accedens cecidit super collum ejus,* & osculatus est eum. Interea filius plangebat, se ipsum accusabat, dicebátque: *Pater, non sum dignus vocari filius tuus.* Pater nullo modo indignatus. Verùm orante filio: *fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Famulis mandat, ut absque mora vestes novas afferant, -- *citò afferte stolam primam,* -- servitutis loco libertatis insigne afferri mandat: *date annulum in manum ejus:* -- gaudium imperat & hilaria: convivium apparari jubet. *Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur:* causam jubili sui proclamat, quia resuscitatus sibi sit in die hac, filius mortuus, *hic Filius meus mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus est.*

Quàm amabilis hic Pater, exclama O Anima mea! Talem scias, & meliorem etiam se Deus exhibet erga peccatorem pœnitentem, seque prosternentem cum dolore ad pedes ipsius: Non vult Deus mortem peccatoris, quantum est ex parte ipsius: quin misericordiâ motus erga spirituales illius miserias, quibus conflictantem videt ex eo tempore, quo se à Deo separavit peccando, lumine propitio illum à longè contuetur, adhortans, ut ad se revertatur. *Revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Non ergo timeas ad ipsum redire per Confessionem Sacramentalem. Equidem per manus servorum ipsius, id est, Sacerdotum manus transeundum est, verùm illis præcipit, ut te suscipiant in spiritu lenitatis & charitatis in foro Sacramentali. Quare per absolutionem reddent illi tibi vestem innocentiæ: *Stolam primam.* Digito inferent annulum gratiæ, *annulum in manum.* Partem tui viliorem pedes, id est, affectus tuos, ornabunt salutari pœnitentiâ, dum mortificationem eisdem præscribendo, eosdem ceu concinnatis bene calceis instruent: *Calceamenta in pedibus.* Mensam apparabunt Eucharisticam, cui apponent corpus Servatoris, qui pro te ceu vitulus in Sacri-

acrificium beneficè mactatus fuit: *Vitulum saginatum nanducemus, & epulemur.* Quoniam summè Deus e deperiit, tum etiam quando adhuc exorbitabas: ideoque xultat & tripudiat te dolentem reverti conspicatus. Quia *ric filius meus* creatione, adoptione, redemptione, *moruus* sceleribus & peccatis, *revixit* contritione & pœnienuiâ. *Periêrat* culpâ suâ perditus, & *inventus est* dum per gratiam conversus rediit.

Applica tibi ANIMA MEA, *verba supradicta, & in orde tuo totidem amoris radios excitabunt. Considera, an e post peccata tua reducem, Pater cœlestis austerè tanuam mancipium tractaverit, —— quot non blanditias moris sui testes tibi exhibuit, —— repete ergo hodie freuenter illud ——* Pater peccavi in cælum & coram e. *Porrò Iesum in Cruce brachiis expansum videns, coita, quòd illa ad te cordialiter amplexandum extendat. Caput atque os inclinatum cernens: considera, quòd pacis sculum tibi offerat. Cor ipsius apertum conspiciens, æstina, quòd illi te inserere desideret.*

Denique duo statue. Primò: Nolle ampliùs cùm Filio rodigo à Deo Patre tuo recedere. Ampliùs illo deliquisti: emel ille exorbitavit, tu toties, quoties in nova peccata post pœnitentiam relapsus fuisti. Secundò: Ubi abunlavit malitia, modò ampliùs abundet pietas & virtus: quare hanc tantùm Oratiunculam hodie sæpius iterandam præscribo: *Sicut fuit sensus meus, ut errarem à Domino, lecies iterum tantùm convertens, requiram eum.* Bauch. 4. Decuplo minimùm erit melior vita mea nova, quàm mala fuerit vita antiqua. Frequentiâ in confitendo & communicando superabo antiquam infrequentiam: mpliùs ero mortificatus in sensibus, quàm in iis hactenus lissolutus fuerim: ampliùs ero circumspectus & soliciusin vitandis malis occasionibus, sociis depravatis, spectaculis immodestis, quàm in iis olim affectandis fuerim acilis, & ità de cæteris.

ORA-

ORATIO.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & animarum nostrarum medere languoribus, ut remissione peccatorum perceptâ, in tua semper benedictione hæremur.

Finitâ meditatione osculare terram dicendo : Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave: examina successum meditationis, annota lumina tua & proposita juxta modum suprà præscriptum.

COMPENDIUM

Meditationis totius divisæ in duas partes.

I. Filius prodigus imprudens fuit postulando à Patre portionem substantiæ suæ, quâ ad dolorem Patris post discessum suum abuteretur.

II. Stolidus, eas in vilissimas actiones impendendo.

III. Infelix, dum ad incitas redactus, unde compulsus ad pascenda immunda pecora.

IV. Sapiens, dum ad Patrem revertitur.

V. Felix, dum misericordiam invenit.

MONITUM.

Hâc Meditatione terminantur illæ, quas S. Ignatius in prima hebdomade præfigit. Unde & cessant additiones propriæ illis Meditationibus : quomodo autem variandæ sint, paulò post dicetur. Hoc tempore, si nondum facta fuerit, poterit peragi Confessio generalis.



EXERCITIUM XI.

De Regno JEsu Christi cujus meditatio est prima pro secundâ Septimana juxta ordinem Exercitiorum S. Ignatii.

Ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat; & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & REGNUM. *Et omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus, quod non corrumpetur.* Danielis 7 *Gratia & pax à JEsu Christo, qui est Princeps Regum terræ.* Apoc. I. *Et habet in vestimento suo & femore scriptum* REX REGUM, & DOMINUS DOMINANTIUM. Apoc. 19.

EXERCITIUM

Trium animæ Potentiarum pro Meditatione. DE REGNO CHRISTI.

POnuntur hìc meditationes juxta ideam S. Ignatii desumptæ ex secundâ Septimanâ, quarum finis est imitatio Christi ùt qui exemplar est Sanctitatis, ad quam sectandam omnes creati & vocati sunt. Quare in hac septimana proponuntur virtutes, quas Christus docuit, à nobis imitandas. Convenit igitur vitiis jam relictis, virtutes sectari: In meditationibus autem desumptis ex secunda septimanâ proponuntur virtutes communes omni Christiano homini, quas ad servandam animam suam acquirere debet. Prima hæc meditatio vocatur, de Regno Christi, & est tanquam fundamentum, procemium & compendium vitæ & operum Christi pro gloria Patris æterni, quam procurare debuit in sibi commisso salutem animarum promovendi negotio: *Ego te glorificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem.*

Joan. 17. Quod quidem ob varios titulos præstitit : tum ut in nobis destrueret regnum peccati cui nos sponte subjicimus, tum ut idem detestando, & per Sacramentalem confessionem abjurando, alium Regem quæreremus, qui hic est Christus, quare meditatio hæc proponitur, ut in nobis accendatur desiderium ipsi serviendi ipsumque sequendi. Antequam meditationem incipias, pone tibi ob oculos visionem, quam vidit S. Joannes in Apocalypsi. Nempe filium Dei coronatum multis diadematis, considentem in throno magnificentissimo, ante quem viginti quatuor seniores prosternuntur, & coronas suas in obsequium deponunt, hoc pacto illum reverentes atque adorantes tanquam Regem universorum.

Fructus eliciendus ex hac meditatione erit propositum constanter obediendi Deo tanquam Regi uti decet fidelem Vasallum, eumque imitandi. Reliquæ præparationes faciendæ ut dictum pag. 32. Ad fructum hunc obtinendum dices brevem orationem. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.*

PUNCTUM I.

Christus, Incarnatus Dei filius, Rex est universalis.

S*uper veritate hac à memoria proposita discurres per Intellectum* O ANIMA MEA, *& ad bene eam capiendam, expende sequentia, sistendo ad lineolas.*

Homines varios sibi fecerunt Reges particulares pro diversitate nationum : Reges Jerusalem... Reges Babyloniæ ... Reges Persiæ & similes plures. ... Verùm Rex omnium universalis, Rex ipsorum Regum est solus Christus ... Rex Angelorum, qui illi servierunt ab ortu suo... Rex Dæmonum, qui eum pertimescunt ... Rex elementorum.. quæ ipsi obediverunt ... Rex omnium hominum, quibus in universali Judicio præsidebit Vindex & Judex ... talem

se

se à Patre suo declaratum esse ipse professus est per os Davidis: *Ego autem constitutus sum ab eo Rex super Sion montem Sanctum ejus.* ... Itaque in ipso omnes prærogativæ Regales deprehenduntur: magna generis ac sanguinis nobilitas, uti apparet ex genealogia ipsius à S. Matthæo contenta, quantumcunque illam morum suorum modestia occultaverit ... magna potentia, quæ ex omnigenis miraculis ab ipso patratis, & omnium hominum & Angelorum vires excedentibus apparet: dum curavit morbos desperatos, mortuos suscitavit, tempestates sedavit &c. — magna sapientia, quam ostendit in prædicatione Evangelii ... magna Personæ Majestas, unde de ipso David cecinit: *Dominus regnavit, decorem induit.* Magna justitia, qualem maximè commonstrabit in summo judicii die, quo universum humanum genus in summa æquitate judicabit, *reddet unicuique secundum opera ejus* ... magna misericordia dum pavit tot famelicos, tot infirmos curavit &c. ... magna amabilitas, propter quam delicium omnium fuit appellatus .... magna in donando liberalitas &c. *Denique O anima mea! examina omnes dignas magno Monarchâ prærogativas, atque illas in Christo comperies... & specialem illam ipsi propriam immortalitatem & æternitatem, propter quam non est, quòd timeat, regnum suum à se aliquando avellendum.* Regni ejus non erit finis: *quare resurgens à mortuis, mortem vicit, ab ejusque tyrannide pro æterno se immunem constituit. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur* ... O quanta Regis hujus magni prærogativa ... Regem esse seculorum immortalem. Talibus ergo cùm dotibus sit illustris, videris O anima, ipsius debere prensare servitium, ejusque voluntatem libentiùs, quàm cujusque alterius, facere debere ... libentiùs quàm crudelissimi Dæmonis .. quàm mundi vanissimi ... quàm sordidissimæ carnis ... cogita hæc bene.

PUNCTUM II.

Rex hic bellum sibi suscipiendum proposuit pro gloria Dei, & salute animarum: adversus omnia vitia quorum authores sunt Dæmon, mundus, caro: quare milites conscribit, omnibusque promittit parem annonam, quâ ipse fruitur.

DEsiderarem O ANIMA MEA, ut hanc veritatem admitteres, tanquam certam & indubitatam & non tanquam propositionem modo loquendi eleganti propositam, & sensum tantummodo devotum continentem. Christus veri Regis titulo insignis in campum progressus est instructus omnibus armis Spiritualibus, qualia sunt Divinitas ipsius — Vera doctrina — gratia Dei — aliaque hinc profluentia media, ad destruendum peccatum, eósque qui fautores illius & promotores sunt, Dæmonem, mundum, carnem: *ut destruatur corpus peccati* — Si quæris, quæ ad bellum hoc motiva ipsum induxerint, respondeo, esse duo: primum, ut aboleret injuriam, quæ ex peccato in Deum ultimum hominum finem redundat — alterum, ut testaretur suum erga homines amorem, quos non poterat diutius spectare tam misere perdentes seipsos — perdentes cælum — perdentes Deum — flammis infernalibus æternum obnoxios — hunc in finem conscripsit Apostolos — & constanter invitat omnes, clamando: *Venite post me* — cuilibet mandans, ut impugnet peccatum — & juxta mensuram gratiæ sibi collatæ, quisque studeat illud etiam profligare in aliis.

Quid videtur O anima mea, nunquid præclarum hoc est consilium? — credo quod ita sentias — excita ergo in te vivum desiderium vexillum illius sequendi. Scias autem, si ad hoc te resolveris, non aliis tibi armis opus fore quàm quæ ipse tibi subministrabit: sunt autem hæc arma ex. gr. abnegatio inordinatarum passionum quæ in se sunt vilissimæ - Resistentia adversus Dæmonem juratū hostē tuum - victoria respectûs erga personas peccatrices, quæ cum malæ sint, non

non debent tibi aliquam ſubjectionem imponere; opera virtutis, ad quæ exercenda (*cùm* in ſe ſint pulcherrima & naturæ rationali maximè congrua) *neceſſaria gratiæ auxilia ipſe ſuppeditabit: quod ſi autem adverſa perferenda occurrerint* (& quis ab illis, licèt non ſequatur Chriſtum, omninò immunis?) *invenies, quod ipſe rariſſima tibi dederit patiendi exempla —— ſtipendium autem erit tale, quo ipſemet gaudet, cœleſtis paradiſus, iſque æternus* quid ergo reſolvis anima mea? videtur tum reverentia tanto Regi debita -- tum commodum tuum, quandoquidem de paradiſo agitur, exigere, ut concludas Regem tantum ſequi, id eſt, præceptis ipſius parere —— Sanctamque ipſius vitam imitari —— conſidera rem ſeriò. In hoc tota conſiſtit obligatio Chriſtiani; atque hoc bene oportet te intelligere.

PUNCTUM III.

Interim Rex ille tam paucos habet ſui ſequaces; & te imprimis, qui tam parum illi auſcultâſti.

V*Eritas hæc duabus ex cauſis* O ANIMA MEA *à memoria tibi propoſita eſt: prima eſt, ut diſcas paucitatem hujus numeri oriri ex eo, quod pauci conſiderent veritates in punctis præcedentibus propoſitas —— quod nimiùm auſcultent ſuggeſtionibus Dæmonis, & mundana exempla attendant — uti & carnis blandimenta —— ſecunda eſt, ut intres in te ipſam, & te in eodem deliquiſſe deprehendens agnoſcas te errâſſe —— quod tamen hucuſque parum conſiderâſti —— ideoque ſuccubuiſti tentationibus Dæmonis —— mundi vanitatibus —— carnis voluptatibus —— quare dole de præteritis, & toto cordis & voluntatis affectu ſequens ad Chriſtum inſtitue colloquium.*

O JEſu mi! Rex meus! quàm turpiter erravi hucuſque non ſequendo vocem tuam, quâ me ad peccatum tecum impugnandum, ſimul & in aliis debellandum invitâſti,

tâſti. — Errorem hunc gravem admiſi, quia non ſtudui te Regem univerſorum noviſſe — ex eo, quòd ſperneres mundi divitias, ſplendorem, delicias, non agnovi te pro Rege ... & vel ex hoc debebam diſcere, te eſſe Regem Regibus omnibus majorem ... etenim illa caduca negligendo, oſtendis tibi eſſe alia bona cæleſtia & æterna ... retracto errorem præteritum ... peto humillimè veniam ... miſericordiam ... remiſſionem ... paratus ſum, te ſequi deinceps ... & quia declaras, quòd qui vult te ſequi, negare ſibi debeat, quidquid mandatis tuis prohibetur, quantumcunque arrideat inordinatis affectibus, quia vis, ut ſubditi tui portent crucem, & adverſa tolerent: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me* ... propono hæc facere ... negabo mihi ipſi, quidquid prohibes ... faciam quod præcipis ... & gloriæ mihi ducam, poſt te portare crucem, quali ſacram humanitatem tuam onerâſti, in qua eam mori voluiſti, ad peccatum in me & in aliis extirpandum.

Conſidera occaſiones, quæ te plurimùm fecerunt rebellare divinis Præceptis, eaſque reputans tanquam palmares Regis tui hoſtes, ſtatue illas fugere, & ſeriò de hoc delibera: cogita item, quæ ſint tentationes, per quas te ſæpius Dæmon impugnârit & vicerit: ſtatue cum divina gratia nunquam illis deinceps cedere.

ORATIO.

VIvit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus: fac omnia, quæ placent animo tuo, perge quò cupis, & ero tecum ubicunque volueris.

Finitâ meditatione, oſculare terram, & dic: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*: examina ſucceſſum meditationis. Nota lumina & propoſita: additiones ſervabis, quæ ſtatim ponentur propriæ meditationibus ſequentibus, non mutandæ, donec admonearis.

ORA-

ORATIONES JACULATORIÆ,

Usurpandæ ut dictum pag.147. in mod. de fund.

I. Non habeo alium Regem nisi te JEsu. II. Tollam rucem meam & sequar te. III. Crucifigam O JEsu, carem meam cum vitiis & concupiscentiis. IV. Paratus um pro te mori. V. Non respiciam in vanitates & insaias falsas. VI. Tu es Rex meus & Salvator meus. Princeps nundi in me non habeat quidquam. VII. Domine ad uem ibo? habes verba vitæ æternæ. VIII. Per te Reges egnant. IX. Omnia dedit tibi Pater O JEsu dulcissime! X. Servus tuus sum, in te gloriabor. XI. Hi in curribus, & i in equis, ego autem in te O JEsu. XII. In nomine JEsu mne genu flectatur Cælestium, Terrestrium, & Infernoum.

COMPENDIUM

Supradictæ Meditationis.

I. Christo Regi universali obediendum.

II. Bellum indicit vitiis, & ad hoc omnes invitat.

III. Interim pauci eum sequuntur, & ego non sum seutus.

ADDITIONES,

Quas S. Ignatius præscribit observandas pro secunda ptimana, quæ ab hac meditatione usque ad illam de Maia Magdalena inclusivè secundùm nostrum ordinem se xtendunt.

I. Ut non legamus neque meditemur hoc tempore liud mysterium, quàm quod pro hac hora vel die medindum præscribitur. Quod & in mysteriis ad alteram Setimanam spectantibus observandum.

II. Utar additionibus positis pag. 135. sub litera K. nutentur secunda, sexta, septima, & ex parte decima; in ecunda fit hæc variatio, Ut evigilans subitò in memoiam revocem meditationem faciendam; excitando desierium meliùs cognoscendi Christum, ut illi meliùs seriam, tantóque majori cum affectu illi appropinquem, quantò

quantò clariùs cognoſco incredibilem illius erga me bonitatem. In ſexta ; ut ſæpe animo revolvam vitam & actiones Chriſti, incipiens à tempore Incarnationis uſque ad myſterium in præſenti hora aut die meditandum. In Septima ; ut in cubiculum tantum lucis aut tenebrarum admittam, quantum æſtimabo ad profectum ac propoſitum meum in præſens conducere, In decima ut circa affectus me conformem exigentiæ materiæ , ſiquidem aliæ ſpectant pœnitentiam, aliæ non. Cum prudentia itaque, & juxta conſilium Directoris, hæ decem additiones adhibendæ.

III, Notandum, quod in omnibus aliarum horarum, præterquam noctis mediæ & auroræ Exercitiis aſſumendum erit aliquid , quod ſecundæ & tertiæ additioni æquivaleat: hunc in modum : ubi primùm in mentem veniet, adeſſe meditandi horam, priuſquam accedam , proſpiciam eminus, quò ferar, & coram quo ſim apparitu- rus : ac tranſcurſa obiter oblati Exercitii parte , contemplationem ſtatim auſpicabor.

MONITUM.

SI ad manum eſt liber continens vitam Chriſti , poterit hic ſervire pro lectione Spirituali. Verùm quouſque durant meditationes ſecundæ Septimanæ , non transgredere ultra vitam privatam Chriſti. Quoniam virtutes ad hanc pertinentes , utpote magìs faciles, & cuique juxta ſtatum ſuum communes, optat S. Ignatius hoc tempore ab Exercitante maximè proponi. Sunt autem obedientia, humilitas ; patientia, charitas &c. quarum in vita privata comprimis exemplum præbuit.

***

EXER-

EXERCITIUM XII.

DE INCARNATIONE VERBI DEI.

In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, *& habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Joan. 1. *Magnum pietatis Sacramentum, quod est manifestatum in carne, justificatum est in spiritu; apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria.* 1. ad Tim. 3.

EXERCITIUM.

Trium animæ Potentiarum pro MEDITATIONE.
DE INCARNATIONE FILII DEI,
Desumpta ex 2da septimana Exercitiorum S. Ignatii.

REx universalis humani generis, qui ipsum perducere posset ad finem ultimum consequendum, ad quem creatum fuit, quique mereretur ab omnibus auscultari, in proposito consilio bellum indicendi vitiis, eorumque Ducibus, dæmoni, mundo, & carni, qui & dignus esset, cui omnes obedirent, & quem omnes imitarentur; non poterat inveniri, nisi Divina natura uniret se humanæ: unio autem hæc facta est in Incarnatione Verbi, in cujus humanitate prærogativæ omnes confluxerunt, per quas omni creaturâ Superior constitueretur, ideoque sola in com-

paratione aliorum digna foret, quæ audiretur: & talis, ut ejus doctrina & exempla nulli erroris suspicioni subjacerent, sicque indubitatè forent optima: sed ad hoc obtinendum quanta requirebantur prodigia? quot leges naturæ erant violandæ? oportebat universum ferè susque deque vertere. Interim hæc omnia effecit Creatoris erga nos charitas: atque hæc tibi propono hìc considerandа, ut videas, quantopere ipse desideret, quemvis ad finem suum ultimum, ad æternam beatitudinem pertingere. Antequam meditationi te accingas, imaginare tibi, te versari in cœlo empyreo, & videre, quemadmodum tres Personæ Divinæ innumeras animas post mortem in infernum delabi contemplatæ, tactæque earum commiseratione statuant, ut secunda Persona naturam humanam assumat, ne totum humanum genus pereat. Et pro executione decreti hujus Archangelum Gabrielem ad Mariam ablegandum destinent, ut consensum ipsius in Maternitatem Filii Dei requirat. Aliæ præparationes fiunt uti p. 32. & 34.

Fructus eliciendus ex consideratione intellectûs & affectibus voluntatis erit imitatio Filii Dei in zelo saluti animæ tuæ & proximi: in hunc finem dic ad Dominum: Desiderium salvandæ animæ meæ & aliarum tribue mihi.

PUNCTUM I.

Verbum Incarnatum est compendium mirabilium à Deo factorum in operatione hujus Mysterii.

HÆc est veritas una prædicta ab Aggæo cap. 2. In famoso Vaticinio illo: *Commovebo cœlum & terram & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.*

Super veritate à memoria proposita discurre ANIMA MEA *per intellectum, & siste ad lineas: ut bene comprehendas, Verbum, id est, æternum Dei Filium carne vestitum non esse Opus ordinarium, sed abyssum miraculorum,* — etenim, dum dicitur Verbum Incarnatum, dicitur, quòd immensus est terminatus, — infinitus abbreviatus. *Verbum abbreviatum,* — æternus factus temporalis, — impass-

[imp]assibilis passibilis, ... immortalis mortalis, verbo, Deus [d]icitur factus homo. ... Non videntur hæc nobis mirabi[li]a, eò, quòd frequenter eadem à sancta fide proposita no[b]is annuntianda fuissent, antequam illa acciderunt, fortè [f]uissemus inter incredulos, ... tam mirabilia, sublimia, & [u]ltra omnem naturæ legem sunt ista prodigia. ... Verùm [q]uid volo, ô anima, dum ista dico? .. *O si scires donum Dei.* ... Cupio, ut apprehendas donum hoc à Deo generi [h]umano, tibique exhibitum esse infinities majus, quàm [s]i donâsset tibi mundos infinitos incomparabiliter etiam [p]ulchriores, eo, quem incolunt viatores in terra aut Beati [i]n cœlo, ... quia ut paucis dicam, nulla est proportio aut [c]omparatio omnium creaturarum ad excellentiam Dei Incarnati, ... hæc bene apprehende.

Postquam intellectu dictam veritatem discusseris, per voluntatem in sequens affectuosum ad Deum colloquium prorumpe.

Reputavi hucusque ô Domine pro magnis operibus, terram, cælum, mare, Empyreum, ... pro maximo miraculo accepi, transitum integri Exercitûs per mare rubrum siccis pedibus factum; ... tres pueros in fornace Babylonica ab igne inviolatos,... solem ad vocem Josue in medio cursu suo retardatum... Verùm dum considero Deum factum esse hominem; miracula hæc in comparatione illius, tanquam nihilum reputo, ... quare modò agnoscens excellentiam Doni, quo me gratiosè honorâsti, ex toto corde tibi benedico, te laudo, tibi gratias ago. *Non est factum tale Opus.* Nullum opus est, quod comparari possit cum Verbo Incarnato pro salute æterna generis humani.

Nolo tamen sistere te in pura consideratione Mysterii propositi: volo te illud ad praxin convertere: nempe ut à consueto tuo vivendi modo dum opus fuerit, pro animæ tuæ salute recedere statuas: ità ut cæteros quodammodo mirari facias, dum morum tuorum mutationem viderint: fugiendo E. g. occasionem malam, in quam te alias

aliàs solitus es immittere: abstinendo à conversatione mala; vincendo respectum humanum: imò mundum deserendo, si ità salus animæ tuæ flagitaret. Inspice exemplum à Filio Dei Incarnato tibi præbitum. Non acquievit ille parvis: & ampla te facere docuit. Considera bene.

PUNCTUM II.

Deus hic Incarnatus mundo fuit datus, dum minimè de hoc cogitabat; dum & minimè merebatur, & maximè demerebatur.

ATtonita hæres O ANIMA MEA *ad veritatẽ, cujus memoriam tibi refricavi: & meritò; non enim homines ampla beneficia rebus ità stantibus præstare solent. Interim per ratiocinationem verum esse deprehendes, quod dico.* Imaginare proinde tibi, eo te tempore in mundo vixisse, dum Filius Dei Incarnatus fuit: quòd si mores hominum seculi illius perlustrâsses, deprehendisses eos omnino diversos moribus, varietate genii, actionum ac verborum non minùs differentes, quàm nativitate, vultu ac corpore — alii fruebantur pace; alii collidebantur bellis, ridebant hi, plangebant isti; hic sanus, ille infirmus erat: alii divites alii pauperes, hic martem sequebatur, ille literis vacabat; hic illi, alius alteri negotio — & plurimam partem immersi erant peccatis, maximè idololatriæ, & sic Dei inimici — prævaricatores injuriosi — ex altera parte cælum respiciendo vidisses filium Dei è throno Majestatis suæ immensæ descendere in uterum Virginis, carnem sibi assumere, verum hominem factum, cum proposito multa magnaque pro gente salutis suæ tam incuria sibique inimica operandi: implendo jam illud, quod mortalibus modò antè per os Prophetæ prænuntiaverat, cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ.

His jam intellectis, perge ulteriùs O ANIMA MEA! & exquire, quale motivum induxerit Deum, ut homines sui tam incurios, de ipso tam malè meritos tanto beneficio ornaret: invenie[s]que non aliud fuisse, quàm infinitam

itam ipſius charitatem : prout ipſemet Servator illud ulcibus hiſce verbis expreſſit: ſic Deus dilexit mundum id eſt congregationem hominum, vitam rationi & legi Divinæ contrariam ducentium, ſuggeſtiones Dæmonis & inordinatos paſſionum impetus ſequendo) ut filium uum unigenitum daret pro eo. Intellectu autem tuo de veritate hac convicto, ſequens inſtitue ad Deum colloquium.

Tam ergo O mi Deus! cordi tibi fuit æterna hominum ſalus, ut ea te permoverit ad dandam nobiliſſimam cordis ui gemmam? — O Charitas non niſi in te poſſibilis, non ab alio niſi à te ſperabilis — in amabiliſſimam hanc abyſſum demergo me, ut diſcam hìc nôſſe amorem Divinum, qui tanta cum liberalitate exundavit — ad duo me portò obligatum invenio: primò, ut tibi propterea gratias agam, quas poſſum maximas, uti in præſenti toto corde facio. — Secundò. Ut non ſinam abſtrahi me ad rem ullam amandam plùs, quam te — aut amore tali, qui tibi diſpliceat — neque ad rem ullam tibi bene placitam (licèt cum magna mei mortificatione conjuncta foret) omittendam me induci patiar.

Examina, quânam re maxime afficiaris, & quid te maximè impediat à Divino beneplacito, aut quomodo illud maximè procurare poſſis, tam in acquiſitione virtutum, & in anima tua magis magiſque perficienda; hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, quàm in promovenda aliorum ſalute & perfectione: & propone omnia ſacrificare Divinæ ſuæ Majeſtati. Sive pater fuerit, ſive mater, ſive honor proprius, ſive etiam vita, multò magis ſi fuerit tantum quædam paſſionis tuæ inclinatio aut averſio: deſcende hic ad particularia.

PUNCTUM III.

Et dedit ſeſe; quanquam prævideret, quòd à mundo malè tractandus, imò occidendus foret: & quod pauci beneficio tanto benè eſſent uſuri.

DE veritate hac à memoria propoſita quid dicet intellectus, ſi rem bene voluerit ponderare? Non aliud, quàm quod amor Divinus omnes terminos imaginabiles excedat. Nemo unquam hominum ſibi perſuaſiſſet, quòd Deus tale Myſterium perfecturus fuiſſet, ſuppoſitâ præſcientiâ ingratitudinis poſt beneficium tale oſtendendæ. Interim non tantùm illud executioni mandat, verùm contraveniendo omnibus etiam naturæ legibus, vult illud perfici, addito alio miraculo; dum ſcilicet vult eum opera Spiritûs Sancti conceptum ex utero materno prodire, flore Virginitatis maternæ illibato: commonſtrans hoc myſterium perfectum fuiſſe ſuo beneficio, non noſtro; in quo perficiendo tot omnipotentiæ ſuæ ſolùm propria adhibet miracula. O ſummam Dei bonitatem! cui ſatìs eſt, quòd ii tantùm ſalvandi ſint, qui cooperando gratiæ ſuæ ſalutem ſuam procurare voluerint: non curando, quòd horum ſint futuri pauci & plures ingrati.

Hæc noli perfunctoriè tranſcurrere, ſed maturè veritatem expende & rumina: dein omni poſſibili affectu loquere ad Divinam Majeſtatem:) Meritò Deus optime maximè Seraphini, quantocumque in te amoris igne accenſi, ab Iſaia viſi fuerunt, alis tunc faciem velare, quando per revelationem ineffabile Verbi Incarnati Myſterium didicerunt;... quo ſignificare voluerunt, quòd omnis amor, quantumvis ardentiſſimus, non auſit comparere, aut comparari cum illo, quem tu monſtrâſti! dando illis Filium tuum factum hominem, immeritis ante ipſius adventum, & ingratis futuris poſt adventum ipſius; — ſicut potentiam tuam oſtendiſti in mundi creatione, ſapientiam in illius gubernatione, ità & te in bonitate & charitate voluiſti facere admirabilem actu quodam amoris inconceptibili; — obtinuiſti intentum, dum Filius tuus increatus pro genere humano factus eſt homo. — Humillimo affectu gratias ago tibi pro tanto amore, rogoque, ut gratiam des, in vitâ & moribus amori illi correſpon-

respondendi, — ut vivam juxta præcepta tua , — & nunquam eveniat, ut culpâ meâ infructuosum in me reddatur tantum Incarnationis beneficium.

Non obstitit paucitas eorum, qui beneficium Incarnationis sibi erant applicaturi, nec multitudo eorum, qui erant futuri ingrati usque eò, ut Dominum crucifigerent, *quò minùs Filius Dei naturam humanam assumeret. Statue Christum imitari: non intermitte laborem pro animarum salute, licèt fructus expectatus labori non respondeat. Lucrum unius animæ, — impeditum unum mortale peccatum est præmium exuperans omne humanum meritum. — minùs à labore cessa, qui animarum saluti impenditur, ob ingratitudinem, quam prævides tibi retribuendam. Si unquam teneat axioma Christi: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, tum maximè in casu, in quo de animabus adjuvandis agitur, illud locum habet. Equidem persecutionis nomen ingratitudo sibi vendicat, quæ hominis honorati cor acri doloris sensu vulnerat. Beatus, qui ex tam digna causa malè tractatur. Descende hic ad particularia, quæ tibi maximè displicent:*

ORATIO.

GRatiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per ejus ad te exempla gradiamur.

ORATIONES JACULATORIÆ.

Adhibendæ ut dictum aliàs pag. 147.

I. In similitudinem hominum factus Filius Dei, & habitu inventus ut homo. II. Propter nos homines & propter nostram salutem descendisti de cœlis. III. Per Incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit. IV. Dum visibiliter Deum

cognos-

cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur. V. Eum qui non noverat peccatum (*quantùm ad culpam*) pro nobis feciſti peccatum, *ſubjiciendo pœnæ peccati per paſſionem ſuam*, ut nos efficeremur juſtitia Dei (*ut nobis Deus peccata dimitteret*) in ipſo; intuitu infinitorum ipſius meritorum. VI. Charitate perpetuâ dilexiſti nos. VII. Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ. VIII. Ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis uterum. IX. Scio gratiam Domini noſtri JEſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt. X. Tradetur filius hominis ad flagellandum, conſpuendum, illudendum, crucifigendum. XI. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. XII. Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

Poſt meditationem óſculare terram, & dic: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis; Recita Pater & Ave obſerva notata pag. 148. & pro reliquo die obſerva additiones pro ſecunda Septimana notatas pag. 136.

COMPENDIUM

Meditationis præcedentis.

I. Verbum Incarnatum opus Divinæ Omnipotentiæ eſt pulcherrimum.

II. Deus Verbum Incarnatum mundo dare voluit, cùm minimè, de eo cogitaret, & multò minùs illud mereretur.

III. Quamvis præyideret crucifigendum.

Monitum.

STude, modo ſpeciali amare humanitatem Chriſti ad exemplum S. Thereſiæ, & in actionibus tuis quære eum te exhibere, qualem ſe in ſimilibus exhibuiſſet Chriſtus.

EXER-

EXERCITIUM XIII.

De NATIVITATE CHRISTI IN PRÆSEPIO.

Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Lucæ 2. *Maria peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Lucæ 2. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei: apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem. I. Et sæcularia desideria. II. Sobriè. III. & justè. IV. & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Ad Tit. 2.

Nota Lector verba ex memorato loco S. Pauli per numeros notata, quæ continent summam virtutum quas Christus in vita sua privata commonstravit. I. Abnegationem impietatis. II. Concupiscentiæ rerum terrenarum. III. Sobrietatem. IV. Justitiam. V. Pietatem: & hæ sunt virtutes omni Christiano tam seculari quàm Religioso communes.

EXERCITIUM

Trium animæ Potentiarum pro meditatione.

DE NATIVITATE CHRISTI

Adoratione trium Regum: & persecutione Herodis desumpta ex secunda septimana Exercitiorum S. Ignatii.

IN primo Verbi Incarnati in mundum ingressu repræsentatur modus illius nascendi, qui ipsa fuit humilitas & mera paupertas: similiter præmium illud temporale, quod Pater æternus mediâ adoratione trium Regem illi rependit: deinde crudelitas, quâ Herodes illum quæsivit è medio tollere. Hæc meditanda sunt; propone autem priùs tibi, quasi te deprehenderes in stabulo Bethlemi-

tico & videres puerulum pauperem, & adorantes Jesum tres Reges. Aliæ præparationes faciendæ, ut notatum pag. 32. & 34.

Fructus eliciendus ex considerationibus Intellectûs & affectibus voluntatis erit, animare se ad imitationem Christi multa bona faciendo, & multa patiendo ad ultimum finem consequendum, ad quem à Deo creatus es, & cooperari, ut & alii ad eum pertingant: cum spe, quod Christus hæc etiam in terris sit remuneraturus, teque ab hostibus tuis defensurus. Pro auxilio superno obtinendo dic: Jube Domine, quod vis, & da quod jubes, paratum cor meum: in te speravi, non confundar.

PUNCTUM I.

Maria semper virgo peperit filium suum Jesum, verum Deum, & verum hominem, & reclinavit eum in præsepio, quoniam non erat eis locus in diversorio.

HÆc veritas est de fide, expressa à S. Luca eisdem propè verbis: *Peperit filium suum, & pannis eum involvit; & reclinavit in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. Renovata jam memoriâ hujus veritatis, discurre super ea per intellectum & sistendo ad lineolas dic:* Vigilóne ad dormio? .... Itáne ergo Rex Cœli & terræ humanitate nostrâ vestire se dignatus est? ... Imò verò ... *Verbum caro factum est* ... & novem priùs mensibus in utero virginali absconditus delituit ... Ita est ... ac denique è materno utero puerulus in lucem prodivit .... oculis lacrymantibus, debilis, ... imbellis .... mutus ... nudus? Ita est O anima mea, hæc certissima sunt .... adde, quod cùm in cæteris similis fuerit infantibus reliquis, hoc speciale præ illis habuerit, quod sponte sic nasci voluerit .... natus est rigente brumâ, quoniam sic voluit ...., in extrema egestate, quoniam sic ipsi placuit — solvi volens tributum Cæsari, quoniam sic elegit — relegatus ad stabulum ubi cervical præberet prælepe animalium, quoniam ita ordinavit .... Vides hinc anima mea, quòd JEsus sibi elegerit,

elegerit, tam ignobilem nativitatis locum ; cujuſmodi fortè nulli quantumcunque abjecto mediaſtino hucuſque obvenit : & ille, quod bene expendendum, Dominus erat totius univerſi & *in propria venit, & ſui eum non receperunt* ; quanquam pretium offerretur ; *Non erat ei locus in diverſorio* —— dum interim multo commodiori gaudent homines robuſti de reliquo abjectiſſimi ac ſceleratiſſimi —— ratio tam inſolentis novitatis fuit, quia Divinus Infans voluit demonſtrare, quòd per viam humililitatis & patientiæ humani generis ſalvandi cauſa adventaret, quia faſtu, luxu & amore propriæ cōmoditatis homines peccârant —— natus eſt, ut laborioſam vitam traduceret, & doloroſam tandem mortem obiret —— néve in minimo ab hoc ſuo propoſito deficeret, primo momento vitæ ac nativitatis ſuæ adverſitates elegit.

Si hæc vera ſunt, ſi verum, quod Chriſtus in mundum venerit ad eundem ſalvandum, ad animas hominum liberandas ; multùm neceſſe eſt illas amaverit ; dum in ortu incipit tam dura pati ; multùm quoque pretioſæ ſint animæ, dum ipſe infallibilis ſapientia (licèt tenello unitus infanti) dignas æſtimat, quæ tanto labore ſuo ſalventur --- Interim poſteaquam perſuaſa fueris de veritate hic propoſita, imaginare tibi, te in ſtabulo conſiſtere, & ad pedes Divini infantis, atque ſequens ad eum toto cordis affectu colloquium dirige.

O magne Deus, mirandum in modum amore mei exinanite ! quid tam ſingulare in peccatoribus & in me peccatorum maximo comprimis deprehendiſti, quod te permoveret ad tantam humiliationem amore noſtri ſubeundam —verum eſt, quod cùm nos peccatores videres, videbas etiam nos eſſe inimicos tuos : & tamen pro ſalute noſtra tanta operatus fuiſti, quæ in ſtuporem ipſos Angelos rapuiſſent, ſi pro intimis etiam amicis tuis talia feciſſes --O charitas in te ſolo conceptibilis! qui in fœno hoc es ipſiſſimus Deus meus. - Quid tibi retribuam in ſignum exiguæ compenſationis pro tanta charitate ? me ipſum

totum cor meum -- omnem amorem meum -- optans ardentissimè, ut multò ille major esset - optarem multiplicari corda mea, si fieri posset, ad te millies & millies benedicendum -- & laudandum -- & ad gratum animum contestandum, pro infinita bonitate, quam mecum fecisti me amando — Interea continuò ingeminabo, ut audiat cœlum, ut audiat terra, & præ gaudio exultent, ut audiat infernus & furore ringatur, vocem attollendo & clamando, Filius æternus Patris æterni *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.*

Imitare anima mea JEsum reclinatum in præsepio, disce ab illo humilitatem, disce eligere & approbare res viles si occurrant, paupertatem & afflictionem in loco, in victu, in lecto, in conversatione, amore ipsius & ad Dei gloriam: hæc tibi propone descendendo ad particularia. Hæc una est de virtutibus quæ in vita privata Christi emicuerunt.

PUNCTUM II.

Dum Divinus infans in abjecto jacet præsepio, tres Reges egressi ab oriente stellâ insolitâ conducti venerunt ad eum adorandum, muneraque illi obtulerunt aurum, thus, myrrham.

IN *hæc verba profatur Evangelista.* Cùm natus esset Jesus in Bethlehem, ecce magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes, ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum: & intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera: *Aurum thus & myrrham.* Quoad adorationem hanc à tribus istis præstantibus Personis humili & pauperi Christo factam, optarem anima mea, ut non tantùm daretur tibi hærere in simplici contemplatione synceræ hujus venerationis, verùm u... è perspicere posses, quo affectu Pater æternus

ius honorem hunc elegerit, ad recompenſandam (*etiam n facie totius orbis*) humiliationem quam JEſus amore Patris & pro ſalute animarum tantopere ſibi dilectarum mplexus fuit — conſidera itaque humiliationem, cui ſe Jeſus ſubjicit, & exaltationem, quam illi procurat Pater æternus — JEſus ſe humiliat per paupertatem, & Pater æternus ipſum exaltat oblato auro — JEſus ſe humiliat abjiciendo ſe ad locum beſtiarum [volens apparere quaſi vilior homine] & Pater oblato thure, quod propriè Deo adoletur, illum participem Divinitatis ſuæ declarat — Jeſus ſe exhibet mortalem in carne; & Pater per oblationem myrrhæ (ut quæ à corruptione præſervat cadavera) præfigurat incorruptionem, quâ caro ipſius innocentiſſima gaudebit juxta prophetiam: *Non dabis ſanctum tuum* id eſt Chriſtum, *videre corruptionem* — JEſus naſcendo habitum ſervi induit, *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*. Philipp. 2. — & Pater inducendo prædictos Reges, ut ante ipſum proſtrati adorent, eum declarat Regem Regum -- *Rex Regum* -- Regem totius mundi — ita ut numero eorundem ternario videatur ſignificari triplex ipſius Poteſtas Regia in cœlum -- terram — infernum. *Humiliavit ſemetipſum Dominus JEſus factus obediens; propter quod Deus exaltavit illum, ut in nomine JEſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

Veritates hucuſque expenſæ confortare te debent anima mea, dum fragilis tua humanitas timet aliquid ſuſcipere pro honore Dei, & animarum ſalute, eò quòd occurrat illi grandis aliqua ſui humiliatio, aut jactura bonorum temporalium — Imitare JEſum omnia Deo donando — & Deus tibi remunerator erit etiam in temporalibus prout Chriſto fuit — Poſtquam hoc feceris propoſitum, adora puerulum, & dic illi:

Amabiliſſime JEſu! ecce me ad pedes tuos proſtratum: te omnipotentem & ſummum Dominum firmiſſimâ fide credo — te verum Deum — te verum hominem agnoſco — hac ego profeſſione, ſubjicio tibi quid-

quid habeo —— proinde in tributum offero tibi omnes animæ meæ potentias, memoriam, intellectum, voluntatem —— omnes sensus corporis, oculos, aures, odoratum, gustum, omnia membra, famam propriam. —— Protestor hisce, quod paratus sim impendere in servitium tuum, quidquid sum, quidquid habeo, nunquam in tuam offensam .... protestor me agniturum pro singulari favore, si dignatus fueris in eo tibi complacere, quòd tui recorder ... te quæram, ... te amem. —— Pariter magnam gratiam reputabo, si amore tui sensus meos, in rebus etiam licitis mortificare licuerit ... hósce in tuum servitium expendam, uti & divitias, dignitates, authoritatem, sapientiam, scientiam, talenta: verbo, quidquid præstantius habeo, erit ad tuam dispositionem —— quidcunque fuerit, tuum erit, utpote tibi debitum —— & quoniam te omni modo pro me humiliâsti, æquum est, ut te exaltem, quantumcunque unquam potero —— & ita facto ipso declarabo, quale sit debitum illius, qui te pro Rege universorum agnoscit.

PUNCTUM III.

Herodes intellectâ adoratione Regum, timens, ne adoratus infans, maturus aliquando Regnum ipsi tolleret, id quod tyrannicè obtinebat, conatur illum occidere.

POstquam crudelitatem Herodis à memoria propositam intellectu examinaveris, dic illico. Quis crudelitatem hujusmodi unquam concepisset, nedum expectâsset —— quis unquam cogitâsset Dominum illum, qui specialiter venerat pro salute Judæorum, à Rege eorum ad mortem fuisse quærendum ... & interim factum est .. & si propositum Regis fuisset impletum, mors Christi secuta fuisset. — Verùm Deus curam illius assumpsit, & potentiæ illius ipsum subtraxit ... ut tu disceres duo. Primò: Ut & tu persecutiones expectes patienter ab iis, à quibus, dum illis be-

efacis, minimè inferendæ forent. — Secundò ut discas perare in Domino, siquidem ipse causam tuam tanquam iam defendet, téque tuebitur: sequere JEsum... Ille pro onore Dei temporalem gloriam ac dignitatem contempsit, & gloriam Pater illi contulit per Reges orientales — Ierodes honore illum cum vita spoliare quæsivit; & Deus furori illius ipsum subduxit — ita & Deum tecum cturum confide... quare recogita in particulari persecuiones... injurias... difficultates, quas sustines, & si honoem Dei, ac salutem animarum, non autem temporale ommodum tuum in iis spectas, confide, quod à Deo sis rotegendus, ac proinde eorundem metu noli desistere servitio Dei. Cum intellectus persuasus fuerit, elice ctum voluntatis, & sequens institue colloquium.

Dulcissime Jesu, qui in mundum venisti ad vitam æternam procurandam hominibus, & quidem iis, qui vitæ uæ insidias struxerunt, detestor crudelitatem Herodis in e desævientis — detestor vile ipsius motivum, siquiem timore perdendi regni temporalis, te Regem sempiernum vitâ orbare studuit — O Barbarum Regem! verùm magis incusandus sum ego, siquidem ego per fidem uam profiteor, credens tuam erga me bonitatem — redens te esse Regem & Deum meum, nihilominus proter commodum vilius, quàm illud Herodis fuerit, te ad nortem quæsivi..., peccando graviter... *iterum, crucifigentes filium Dei.* — O mi Jesu, qui hucusque tam patienter me tolerâsti, da mihi gratiam te nunquam ampliùs offendendi, — pereat, per me licet, totus mundus, antùm JEsus regnet... ut quivis cognoscat te tanquam Regem ampliùs à me honorari debere, quàm aliam quamvis quantumcunque mihi dilectam creaturam. Ac proinde statue vincere respectus humanos, qui te à bono mpediunt; & maximè hominum dicteria. O te felicem i talis fueris!

Orationes Jaculatoriæ.

Uſurpandæ, ut dictum pag. 147.

I. Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. II. Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. III. Ecce Deus meus, & Salvator meus, fiducialiter agam cum eo. IV. Qui non amat JEſum, anathema ſit. V. Sim vinctus JEſu Chriſti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. VI. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam JEſu. VII. Venite adoremus Dominum Jeſum. VIII. Adorent Jeſum omnes Reges terræ, omnes gentes ſerviant ei. IX. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem non intendit tibi. X. Poſuerunt te JEſu quaſi ſignum ad ſagittam, in ſignum, cui contradicetur. XI. Odio habuerunt te gratis. XII. Si te perſecuti ſunt Jeſu, & me perſequantur.

Oratio.

CONcede quæſumus omnipotens Deus, ut nos unigeniti tui nativitas liberet, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenet.

Poſt meditationem præſta, quæ notata pag. 148.

COMPENDIUM

Meditationis.

I. Filius Dei naſcitur in ſtabulo cum ſumma ſui humiliatione.

II. Pater æternus facit illum cum magna gloria adorari à Regibus Orientis.

III. Herodes furioſus perſequitur ipſum ad mortem.

Monitum.

TEmpeſtivè commendabitur tibi, mi Lector, devotio in Chriſtum crucifixum. Nunc tantùm commendo, ut ſis devotus erga Jeſum infantem. Exemplo ſit P. Nicolaus Quechi S. J. in Jeſulum infantem devotiſſimus qui & hanc pietatem aliis inculcando multos diſpoſuit ad ſpeciales favores & gratias, comprimis animæ, accipiendas. Mater S. Ignatii Lojolæ eundem voluit in ſtabulo parere ex amore Chriſti nati in præſepio.

EXER

EXERCITIUM XIV.

DE VITA PRIVATA CHRISTI.

Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt à servo; cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est ad Gal. 4. *Descendit cum eis JEsus, & venit Nazareth, & erat subditus illis: & proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.* Luc 2. *Non veni ministrari, sed ministrare. Misit Filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* ad Gal. 4. *Non veni solvere legem, sed implere.*

EXERCITIUM

Trium animæ Potentiarum pro Meditatione

DE VITA PRIVATA CHRISTI.

VEllem libenter in particulari proponere Mysteria Vitæ Christi meditanda, verùm cùm exercitia hæc ad octo vel decem tantùm dies restricta sint, non possum illud præstare. Propono itaque tantùm Vitam privatam Christi, quia hæc certè maximè est imitabilis, & in hunc finem vitæ privatæ plurimum temporis impendit, nam triginta annos privatim vixit; at verò per diversa loca circumeundo, & prædicando non nisi tres ultimos vitæ suæ annos impendit. Habétque præterea hoc proprium, quòd sit perfectissimum exemplar, cui nullum alterius comparari potest. Unde consequi necesse est, quod quidquid Christus docuit aut fecit, regula sit infallibilis bene operandi, & laudabiliter imitabilis à magnis & parvis, à doctis & indoctis, à nobilibus & plebejis: & quisquis se illi non conformat, hoc ipso sit condemnabilis. Antequam autem ordiaris meditationem, imaginare tibi JEsum in paupere domo S. Josephi sub ejusdem & Beatissimæ Matris obedientia positum: dicit enim de ipso S. Lucas Evangelista: *Et erat subditus illis.*

Fructus eliciendus ex considerationibus intellectûs & a-fectibus voluntatis, erit firmum propositum quo statuas om-nia Christi exempla & dictamina præferre quibusvis e-emplis & dogmatis quorumcunque aliorum. Proin ad obt-nendum Divinum auxilium parvam Orationem hanc a Deum funde: Dirigam viam meam secundùm eloquia tu. Reliqua præparatio, ut notatur pag. 32. & 34.

PUNCTUM I.

Vita Christi fuit continuum Exercitium obe-dientiæ erga Deum Patrem suum cœlesten.

VEritas hæc, *cujus tibi renovavi memoriam*. O AN-MA MEA, *inclusa est à S. Paulo celebribus illis ve-bis*: Christus factus est obediens usque ad mortem. *I ut bonus JEsus omnibus declararet, quantum sibi gaud-um esset Patri æterno obedire, ipsam obedientiam cibu suum appellavit.* Meus cibus est, ut faciam voluntate ejus qui misit me: *Hinc, ut & suam obediendi prompt-tudinem toti mundo testatam faceret, cum ex Cœnacu ad hortum Gethsemani progressurus erat, ad mandatu gravissimum Passionis exequendum, in hæc verba erup* Ut cognoscat mundus, quia, sicut mandatum dedit mi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc. *Institue itaque di-cursum super hoc Anima mea, sistendo ad lineolas.* Christus docuit subjectionem & obedientiam, præsta-dam Deo & Sanctissimæ illius Voluntati, necessariò s-quitur, ad hanc te obligari. .... Et minùs huic te pot subtrahere, cùm non excedas conditionem servæ; Chr-stus autem Dei Filius fuerit, æqualis Deo, ... attende, a omni vitæ tempore Divinæ voluntati obediveris, ... contrario refractaria tota fuisti. .... Revelat tibi Deus v-luntatem suam in præceptis Decalogi, ... in Præcept Ecclesiæ, ... in Ordinationibus Superiorum, qui ipsi su

ſunt Vicarii , ... in notis obligationibus ſtatûs illius, ad quem te Deus vocavit, ... in inſpirationibus, quas hìc & nunc tibi immittit. ... O quàm timendum, ne nimium quantum à Divina voluntate in diebus vitæ tuæ defeceris, ... timeo enim , ne ſæpiſſime præcepta Dei & Eccleſiæ tranſgreſſa fueris, ... ne ſæpiſſime contraveneris Ordinationi Superiorum, ... ne frequenter contra ſtatûs tui regulas deliqueris, ... ne frequentiſſimè inſpirationibus Divinis reluctata ſis. ... Cogita, nunquid non vera ſint, quæ tibi propono ?... & multò magìs conſidera, quoties iſtud acciderit ex reſpectu humano, ... quoties erubueris in eo faciendo, quod Deus à te exigit, ... & quoties ex eodem reſpectu omiſeris voluntatem Divinam adimplere , ... quoties illuſeris alios Divinæ voluntati obſequentes: .... ſi te reum deprehenderis, ſequens inſtitue Colloquium ad Chriſtum.

O JESU, Patri æterno obedientiſſime: aſpice me ſuperbam creaturam obedire iis, quibus debeo, reluctantem, & ut tibi infallibili Sapientiæ conſtat , detrectantem te admittere pro regula actionum mearum. —— Tu te voluntati Divinæ in humillima & promptiſſima obedientia ſubmiſiſti, ... ego te minimè imitatus, oppoſitum feci ; —— præpoſui pravos meos affectus, & inclinationes, & æſtimavi ſtolidè hanc actionem eſſe meliorem, & electionem ſapientiorem ; imò lucrum meum, gloriam & commodum in hoc ſtultè poſui, —— malui ſequi dogmata & exempla ignavorum ac tepidorum, —— an tu ergo ignavus eris, qui contrarium vivendi modum tenuiſti ? minimè ; es ipſa Sapientia. Retracto ergo præteritam vitam, —— confiteor, me malè egiſſe adhærendo magis aliis, quàm tibi , —— propono emendationem, —— tua prompta, ſolicita & accurata erga Patrem cœleſtem obedientia docet me, etiamſi aliunde illud neſcirem, eſſe obediendum, — & modo ſtatuo ità facere ; —— regula mea deinceps erit, qualem tuam eſſe dixiſti per os Prophetæ : In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Descende dein ad particulares casus, in quibus peccâsti malis authoribus seductus. Non remisisti injuriam, quia dictârunt alii hoc esse inglorium. Non dedisti eleëmosynam, cùm posses, quia persuaserunt tibi alii, fatuum esse, suum alteri dare. Intermisisti Orationem, quia dixerunt alii, curam rerum temporalium esse præferendam &c. Christus docuit oppositum dicendo: *Dimitte: Date & dabitur vobis; quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*: Propone ergo doctrinam ipsius sequi. Et doctrinam eandem adhibe etiam in ceteris.

PUNCTUM II.

Christus omnes virtutes modo perfectissimo exercuit.

Veritas puncti illius, quod modò breviter in memoriam tibi revocavi O ANIMA MEA, *tibi apparebit clarissima, si Catalogum virtutũ cum vita Christi ab Evangelistis quatuor exposita comparaveris. Videbis eum moribus suis expreßisse virtutes omnes, quotquot animam in oculis Dei ac hominum exornant. Quales sunt: Fortitudo,— Patientia,— Charitas,— Mansuetudo,— Modestia,— Religio,— Beneficentia,— Castitas,— Abstinentia — Generositas,— Sinceritas,— Fidelitas,— Prudentia,— Justitia,— Discretio,-- Temperantia,— Liberalitas.-- Quis sum ego,& quomodo vivo? De Christo dixit Pater: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.- Et homines summis illum laudibus extulerunt propter excellentiam operum suorum.* Bene omnia fecit *unde de ipso verè dictum illud*: Dilectus Deo & hominibus.

Suppositis nunc iis, quæ de Christo sunt verissima. Responde nunc ANIMA MEA. Quomodo tu te conformas tam pulchro Exemplari? - tu, quæ profitendo nomen Christiani, profiteris illum velle sequi, ac vitam illius approbare, an vita tua fuit exercitium virtutum, an scelerum ac imperfectionum? — fecistine, unde placeres Deo ac homi-

hominibus, aut potiùs,unde utriſque appareres contemptibilis? Reflectè, rogo, & conſidera; quòd quicunque ſe diſcipulum Chriſti per fidem profitetur, debeat veſtigiis ipſius inſiſtere. — Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet,ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare,—alioquin Chriſtianus erit tantùm nomine, & non re ipsâ;—unde ſuadeo,ut inſpicias hic Catalogum Virtutum, quem inferiùs dabo,& diſpicias, quænam ex illis in te reſplendeant. — Si quidem aliquas in te deprehenderis, ſtude & novas acquirere: quòd ſi verò omnibus te nudum videris,fac ſequens colloquium.

O amor meus! ad quid tibi profuit tot Virtutum exempla edere,& vitam tam perfectam agere,ſi tam pauci inter illos etiam, qui ſe diſcipulos tuos profitentur, te ſequuntur,—quod me attinet,cum ſumma mei confuſione & dolore fateri debeo, quod ego ſim ex numero eorundem, — Virtutes, ut plurimum ex bonis actibus generantur, O mi Jeſu, quàm paucos annos, quàm paucos menſes, quàm paucos dies in actiones virtutum impendi; certe non tot, ut habitum, id eſt, facilitatem bene operandi in me progeneraverint,— me miſerum!—qui ne vel unicam virtutem mihi comparavi,— experior in me ſatis habitus vitioſos iræ, — impatientiæ,— vanitatis & amoris proprii,- quoniam actus illorum ſæpe & libenter frequentavi. — O Domine adjuva me,ut me reformem, & me tibi conformem. Fac ut intelligam, quàm pulchra ſit anima illa, quæ virtutes tuas per imitationem tui in ſeſe exprimit, — & quàm deformis ècontra ſit illa,in qua conſpiciuntur vitia virtutibus à te exercitis contraria.

Examina hic, quæ tibi virtus maximè ſit neceſſaria, juxta ſtatum tuum,propone tibi illam exercere, juxta formam,quâ Chriſtus illam exercuit. Et, ſi capax fueris,lege ſæpe in Evangelio Vitam Chriſti.

PUNCTUM III.

Mores Christi specialiter contrarii fuerunt moribus mundi, ejusque vitiis, quibus mille redundabat tempore Adventûs ipsius.

O ANIMA MEA, JEsus habuit mores contrarios abusibus mundi, & hominum mundanorum regulis; quibus tempore Christi plena erat terra: Propterea dixit: Regni sui ideam, non esse attemperatam regno mundano. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Unde & cùm advertisset inter Discipulos suos contentionem de Primatu, declaravit ipsis, tales prætensiunculas pertinere quidem ad subditos aliorum Regum, non verò ad suos; ideoque à talibus ipsis omnino esse abstinendum: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.*

Suppositis hisce veritatibus, quid concludendum est intellectui tuo ANIMA MEA, quid dices? non aliud, quàm S. Bernardus: *Aut Christus fallitur, àut mundus errat.* Aut Christus,...., aut mundus, ... toto cœlo contraria sunt horum dictamina, ... quid tibi videtur?.... ausisne cogitare, quòd Christus erret? ...., mundus autem rectè judicet? .... an ignoras intellectum amore sinistro præventum & obfuscatum decipi, mundumque errare contra regulas homini ad cælum possidendum creato præscriptas, ... non juvat illum multitudo sui sequacium; nam multitudo non potest præscribere pro injustitia, ... plurimi etiam sunt damnati, ..., atque interim à mundo decepti fatentur errorem suum, dicentes: Erravimus à via veritatis, & lumen intelligentiæ non luxit nobis, ... quid hinc inferes? .... conclude, non esse deinceps hanc Christo

Christo ignominiam faciendam, ut mundi fallacias & mala ipsius exempla pluris æstimes, quàm Christi exemplum & doctrinam, ... si te post examen reum inveneris, sequens humillimo affectu institue Colloquium.

O Sapientia infallibilis! O Bonitas impeccabilis! quàm cæcus, quàm stolidus fui intellectu probando regulas ac mores mundi, magìs quàm vitam tuam ac doctrinam! .... eadem voluntate amando, illis actiones meas conformando, ... hoc fuit non tantùm cæcum adhibere Ducem viæ maximè momentosæ, quia per illam aut ad cælum aut ad infernum tenditur, ... verùm & specimen fuit judicii, quod cæcus iste meliùs videat, quàm tu Sol lucis æternæ, ... pudet me, tam turpiter in hoc errâsse mi Deus! .... & cum gratia tua propono emendationem, maximè in illis NN. *Hic reputa, in quibus tibi maximè videaris deliquisse sequendo malos aliorum mores,* (hoc titulo, quia communes) *similiter doctrinam malam* (quia videbatur esse plurium) *Proh dolor! hujusmodo non solùm reperiuntur in sæculo, verum etiam subinde in Cœnobiis.*

ORATIO.

DEus, qui genti humanæ Filium tuum Doctorem vitæ tribuisti; concede, ut mente percipiamus, quæ docuit, & opere exerceamus, quæ fecit.



ORA-

ORATIONES JACULATORIÆ

Usurpandæ, ut dictum pag. 147.

I. Mundus te non cognovit ô Domine. II. Cæcus est mundus & Dux cæcorum. III. Sapientia mundi stultitia est apud te. IV. Odit te Domine mundus, quia testimonium perhibes de illo, quod opera ejus sunt mala. V. Amicitia hujus mundi inimica est Deo. VI. Transit mundus, & concupiscentiæ ejus. VII. Quicunque voluerit amicus esse sæculi, inimicus constituitur Dei. VIII. Mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo. IX. Mundus totus in maligno positus est. X. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. XI. In mundo pressuram habuisti ô JESU. XII. Relinquam mundum, & ibo ad Patrem.

Post meditationem osculare terram, & dic: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Et perge, ut in præcedentibus.

COMPENDIUM

Supradictæ Meditationis

I. Vita Christi fuit perpetuum exercitium obedientiæ erga Deum.

II. Exercitium omnium virtutum modo perfectissimo elicitarum.

III. Contraria erroneis judiciis & abusibus mundi.

MONITUM.

Posui inferiùs Catalogum virtutum Christianarum antea promissum. Perlege eundem hodie loco libri spiritualis attentè & cum re lexione, ad dignoscendum, quas virtutes possideas; ut easdem conserves & augeas, videasque, quæ adhuc acquirendæ supersint.

CA-





CATALOGUS
Christianarum quarundam
VIRTUTUM,
Quæ
CUIQUE SUNT COMMUNES;
Ad
Quas præcipuè Exercitans
tempore eo, quo meditatur de vita privata Christi, poterit reflectere.

Humilitas.

HÆc Virtus est, quæ inclinat hominem ad vilem de seipso æstimationem concipiendam, propter cognitionem vilitatis suæ ac miseriæ. *Exercitans, videat, qualem de seipso æstimationem concipiat, aut foveat.*

Actus aliqui hujus virtutis sunt. I. Seipsum interiùs vilipendere. II. Datâ occasione hunc sui contemptum exteriùs ostendere. III. Humilia officia libenter amplecti. IV. Non tantùm patienter eos, qui nos contemnunt,

tolerare, sed iis etiam gratias agere, & contemptu gaudere. V. Nec se laudare, nec laudem quærere. VI. Nulli se præferre etiam inferiori. VII. Amare eos, qui nos mortificant & humiliant. VIII. Infimum locum eligere. IX. Judicium suum judicio alterius subjicere. X. Injurias æquo animo admittere, uti & viliora circa victum, vestitum, & sanitatem. XI. Deo tribuere, quidquid boni habemus. XII. Gaudere sui neglectu, &c.

Obedientia.

Virtus est, quæ nos reddit promptos ad exequendam voluntatem Superioris. *Exercitans dispiciat, quantùm in hac virtute profecerit.*

I. Imperata, quod minimum est, sine excusatione, sine murmuratione, sine dilatione admittendo. II. Amando etiam (quod amplius est) id quod est præceptum; & sic voluntatem suam conformando internæ voluntati Superioris. III. Idque ideo, quia obediens voluntatem Dei reveretur in mandato superioris, juxta illud Christi: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Huc pertinent regulæ Religiosorum, & ordinationes legitimæ communitatum.

Patientia.

Est virtus, quæ facit æquanimiter tolerare res molestas: uti paupertatem, contradictiones, ingratitudinem; calumnias, inhumanitatem, dolores, morbos &c. *Exercitans dispiciat.* I. Quomodo illos ferat, qui non sunt, ipsius genii. II. Quomodo molestia,

leſtias habitationis, calorem, frigus &c. III. Adverſitates domeſticas. IV. Adverſitates ab extraneis illatas &c. V. Univerſim quidquid affligit in victu, veſtitu, habitatione, officio, aliiſque ſenſualitati repugnantibus &c.

Charitas proximi

ACcipio illam hìc pro virtute; quæ facit aliis, quæ nobis vellemus fieri, & quæ non vellet ſibi fieri, etiam non facit aliis. *Exercitans videat, quomodo hic ſe gerat.* I. In interno judicio & amore. II. In collocutione cum aliis. III. In occaſione aliis gratificandi. IV. In compatiendo aliorum miſeriis, non eos explodendo. V. In affectu circa aliorum felicitatem, an eam promoveat, an aliorum mala, dum poteſt, quærat avertere. VI. In tolerando aliorum defectus tam naturales quàm morales, excuſando ſaltem intentionem. VII. In condonando omnem injuriam aut moleſtiam ab altero illatam, ſine animo vindictæ. VIII. In converſando & loquendo iis, qui non ſunt ſui genii, aut qui ipſum offenderunt &c. Videátque an erga tales ſit etiam affabilis, humanus, benignus.

Temperantia.

HIc ſumitur pro moderatione in iis rebus, quæ propter amabilitatem ſuam magìs alliciunt appetitum: cujuſmodi ſunt cibus, potus, ſomnus, lectus mollis, odores ſuaves, lautitiæ &c. *Exercitans videat.* I. An moderatus ſit in cibo & potu &c. II. An in ejuſmodi quærat ſuperfluas delicias. III. An nimios in talia

 ſumptus

ſumptus faciat. IV. Qui ſe gerat circa recreationes ſuperfluas &c. Ne ſaltem ſint immodicæ.

Manſuetudo.

HÆc virtus eſt iræ moderatrix. Exercitans attendat. I. An compeſcat internos iræ motus ob rem diſplicentem excitatos. II. Quomodo verba moderetur, an prout ira ſuggerit, hæc ipſa effundat. III. An malum pro malo rependat in opere. IV. An agat in contemptum alterius. V. An infeſtet eum, qui ſuis obſtat conſiliis. VI. Maximè, ſi ſint res leves, atque ob ſimilia tumultuetur &c. VII. An excandeſcat, imprecetur, maledicat. VIII. An animi turbationem, rancorem, averſionem foveat. IX. An inquirat occaſiones ſe vindicandi adverſus lædentem.

Modeſtia.

ESt virtus, quæ moderatur externos motus corporis ſervando DECORUM *ex.gr.* in oculis, non circumſpiciendo liberiùs: in inceſſu, non eundo inordinatè, in lingua, non quidvis ipſi loquendi libertatem permittendo. Summatim, in totius corporis compoſitione, ſervando honeſtatem & DECORUM, in ſedendo, ſtando, ambulando: ad menſam: in lecto: in templo: in privato, in publico: in riſu, in recreationibus, in jocis, in converſatione &c. *Exercitans examinet hic*, quomodo DECORUM ſive decentiam ætati ſuæ, conditioni, profeſſioni, loco, & Societati ſuæ propriam obſervet &c. An non appareat in ipſo, diſſolutio, immodeſtia,

ſtia, libertas in importunis diſcurſibus ac ſermonibus &c.

Fidelitas.

VIrtus eſt, quæ fugiendo omnem in agendo fallaciam ſtat promiſſis ſuis in rebus licitis. *Videat exercitans.* I. An obſervet ſecretum, quod alteri promiſit. II. An prodat amicum. III. An deſerat in iis, quæ pollicitus eſt alteri. IV. An conſpiret cum inimicis alterius ad malum. V. An curando alterius rem familiarem rem legitimè adminiſtret juxta intentionem, & in profectum Domini ſui.

Conſtantia.

ESt virtus, quæ nos reddit ſtabiles in bono, etiam interpoſitis obſtaculis. *Videat Exercitans.* I. An conſtans ſit in bonis cogitationibus hauſtis à Deo, an verò facilè eas dimittat. II. In factis aliàs propoſitis boni quid operandi. III. In occaſionibus difficilioribus. IV. In contradictionibus, quæ facilè à bene cœptis retrahunt. V. In moleſtiis occurrentibus. VI. In reprobatione illius, quod meritò odit &c.

Prudentia.

VIrtus eſt, quæ nos facit operari conſideratè & cum reflexione in ordine ad bonum finem, uti & apta ad talem media eligere. *Exercitans videat*, an fortè caſui actiones ſuas nullâ deliberatione præmiſſâ

committat. II. Utrùm ad malum plus diligentiæ adhibeat; quàm ad actiones bonas. *Prudentes in malo.* III. An in consilium etiam adhibeat Patrem Spiritualem, aliosque viros pios ac prudentes.

Sinceritas.

VIrtus quæ facit non aliud nos in ore, & aliud in corde gerere. *Exercitans videat.* I. An illâ utatur erga confessarium, & directores animæ suæ. II. An erga omnes syncerus sit. III. An in quotidianis actionibus fugiat hypocrisin.

Pax.

VIrtus hæc facit nos ita operari, ut concordemus cum Deo, observando quæ Deus nobis & statui nostro præscribit; nobiscum ipsis, adimplendo illud, quod dictat conscientia; cum proximo, conando in nullo, quantum fieri potest, proximo displicere, sed magìs placere. *Exercitans videat*, quomodo in sequentibus se gerat. I. An alios habeat derisioni. II. Utrùm seminet etiam Zizania discordiæ. III. An se erigat in caput factiosorum, aliosque despiciat &c.

Pietas.

PIetatem hìc accipio pro cultu externo Dei, in quantum illum pro ultimo fine statuimus. *Videat Exercitans.* I. Quomodo ad se ipsum in oratione attendat. II. Quomodo revereatur loca sacra. III. Quomodo Dei

Dei Ministros & Sacerdotes IV. Quomodo celebret dies festos. V. Quomodo colat Sacramenta. VI. Quomodo habeat se erga cætera, quibus indimus nomen rerum Spiritualium, propter relationem ad cultum Dei purissimi Spiritûs, & in spiritu colendi.

Verecundia.

HUic proprium est in malo, quod patramus, ruborem ac pudorem concipere. *Videat Exercitans.* I. An sine pudore malum operetur etiam in publico, idque sine discrimine. II. Si non erubescat in malo, an erubescat videri bene agens. III. An ex pudore taceat peccatum in confessione.

Justitia.

VIrtus hæc consistit in eo, ut suum cuique tribuamus, *ex. gr.* honorem majoribus, mercedem operariis &c. *Videat exercitans* quomodo in punctis memoratis se gerat & examinet se prolixiùs. I. An rebus spiritualibus tribuat tempus debitum in cultu divino. II. An bonum exemplum præbeat, constitutus in dignitate unde accrescit obligatio, bono exemplo prælucendi. III. An sit æquus in distributionibus pendentibus à suo officio &c. An verò sit partialis &c.

Monita.

NOlo minutim omnes virtutes excutere, sufficiet hic brevem Catalogum ab Exercitante percurrendum subtexere. Videat ergo Exercitans quomodo se conformet in sequentibus.

I. Quoad gratitudinem erga vivos & defunctos.

II. Quoad

II. Quoad misericordiam, & affectum compassionis.

III. Quoad rectum usum amicitiæ.

IV. Quoad conformitatem cum voluntate Divina.

V. Quoad zelum animarum.

VI. Quoad libertatem.

VII. Qualem se exhibeat in pœnitentia de peccatis commissis.

VIII. In ædificatione proximi.

IX. In parsimonia & pudicitia.

X. In abnegatione passionum.

XI. In fide, spe & charitate Theologica.

XII. In adimpletione illius, quod proprium est officii sui.

XIII. In recta intentione.

XIV. In timore Dei.

XV. In conatu spirituali contra acediam.

Relinquitur interim libertas Exercitanti, ut virtutes alias vel proprio motu, vel ex directione Patris Spiritualis investiget? *v. g.* qualem se exhibeat in visitatione, consolatione, & sublevatione infirmorum. Similiter circa socios, an ædificativa, an dissoluta sit conversatio sua: qualis sit in observantia temporis, an diem transigat otiando, aut verò se applicando &c.



EXER-

EXERCITIUM XV.

DE DUOBUS VEXILLIS.

Factum eſt prælium magnum in Cælo, Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat, & Angeli ejus. Apoc. 12. *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur.* Gen. 25. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter Nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Matth. 19. *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me. Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me meæ, & ego vitam æternam do eis. Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat.* Joan. 10.

EXERCITIUM.

Trium animæ Potentiarum pro MEDITATIONE. DE DUOBUS VEXILLIS.

Deſumpta ex 2da ſeptimana Exercitiorum S. Ignatii.

POſtquam Chriſtus relictâ vitâ privatâ, in publicum prodivit, ad docendas Virtutes, ad colligendos ſocios, ad convertendos peccatores, dici poteſt tunc incepiſſe agere Archiſtrategum ac Ducem [qualis prædictus fuit à Propheta loquente de Bethlehem, ubi naſciturus erat; *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum*) atque Vexillum erexiſſe adverſus Luciferum, Ducem impiorum, & adverſariorum Dei. Quare ſub titulo duorum Vexillorum proponit meditandum, ſub quonam utriuſvis ſit dimicandum: an ſub Vexillo ac ſtipendiis Luciferi, an verò ſub ſignis ac ſtipendiis Chriſti. Veriſſimum eſt, humanum genus in duos exercitus eſſe diviſum, qui palàm & ad fatigationem uſque dimicant, hi contra Deum, dum non contendunt ad finem creationis ſuæ, ſuntque Luciferi aſſeclæ, alii pro Deo, ut ipſo aliquando fruantur, & hi ſunt Chriſti ſequaces. Puncta meditationis hujus non potuerunt reduci ad conſuetam brevitatem, quia digerenda

fuit juxta ipsissima S. Ignatii verba, & conceptus illius devotissimos & pulcherrimos.

Meditaturus antequam incipiat, præfiguret sibi duo prædictos Duces intentos ad sequaces sui attrahendos.

Fructus eliciendus ex considerationibus intellectûs & affectibus voluntatis erit *Propositum* adhærendi Christo, idque palam & omni studio, etiam adducendi alios ad Christum. Ad obtinendum supernum auxilium dic: Sequar te, quocunque iêris.

PUNCTUM I.

IMaginari nos oportet Luciferum apud campum Babylonicum (est enim Babylon confusio & figura cohortis reproborum) sedentem in solio igneo & fumante, horribilem figurâ vultuque terribilem; circumdatum præterea innumerabili dæmonum & hominum sceleratorum turmâ, quibus imperat, ut se per totum orbem dispergant, hominésque trahant ad cupiditatem divitiarum ac voluptatum, unde postea faciliùs in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiæ barathrum (quæ est peccatum proprium Sathanæ, & caput cæterorum peccatorum, consistitque in voluntate operandi à se ipso admodum independentis Domini contra voluntatem Divinam) deturbari queant; unde repleatur infernus, & regnum Luciferi amplificetur.

Hâc repræsentatione O ANIMA MEA *continetur omne id, quod quotidie opera Diaboli evincit, ... unde facilè concludes meditando & sistendo ad lineolas, undenam nascantur suggestiones illæ internæ de accumulandis divitiis, ... de prensandis honoribus, ... de fovenda carne, ... proveniunt autem vel à Sathana, ..., vel à ministris ipsius, tum visibilibus, quales sunt homines impii, eorum doctrina & exemplum, ... tum invisibilibus, & sunt Dæmones unà cum suis inspirationibus, maximè dum tibi inspirant nauseam: tædium ac fastidium rerum Divinarum, ... affectum autem ad sensualia, ... si hoc credis, cur ergo, dum ab hisce proponuntur, illa admittis? ... an quia tuum in iis lucrum ponis, ... misera* ANIMA MEA; *quantopere doleo, quòd*

sive

ſive parum ſive multum reſpectivè ad ſtatum tuum te ſeduci permiſeris,... ſecuta es labarum Dæmonis, ... etiam affligendo te,... ſudando,... pugnando,... patiendo,ut mali affatim referres,felicitatem autem eximiam perderes. ... Nunc ſaltem ad pedes Chriſti deplora errorem tuum ; & dic :

Amabiliſſime mi Redemptor,ecce me coram tribunali tuo ſtantem, ſtoliditatem meam accuſo. —— Confiteor me ſecutum fuiſſe partes hoſtis tui Luciferi, tum , quantum potui, operibus,.... tum ubi non potui, deſideriis, ... allici me libenter permiſi à dæmone invitante , ut inhiarem divitiis, ... honoribus,.... voluptatibus,... in quantum plenè conſenſi malignis deſideriis : tota culpa in me recidit,.... doleo ac deteſtor,.... ſi quando voluntas mea mala non eſt impleta, favor fuit ſolius bonitatis tuæ, quæ me retraxit ac impedivit,.... pro eo tibi humillimè gratias ago..... Firmiter deinceps mihi propono , adjuvante gratiâ tuâ, omni modo Dæmonis ſuggeſtiones excludere , ſive ab ipſo immediatè, ſive à miniſtris illius , maximè hominibus perverſis proveniant,..... ſive ab amicis etiam malis ortum ducant.

Attende hic quanam illa ſit tentatio, quâ maximè dæmon te impugnat, ... quodnam ſit exemplum illud malum , ad quod maximè vacillas, ... quænam perſuaſiones , quæ præ cæteris te ſeducunt,..... & propone illa vincere : deſcende hic ad caſus particulares.

PUNCTUM II.

A Contrariâ parte proponam mihi in campo amœno propè civitatem Jeroſolymam (quæ ex interpretatione dicitur civitas pacis, eſtque figura ſocietatis electorum) JEſum ſpecie quidem externâ humilem , verùm ſummè in ſe amabilem ac venerabilem ; cinctus ipſe undequaque pulcherrimis Angelorum turmis , viriſque Apoſtolicis ; quibus commendat , ut in omnem terram exeant nomine ipſius , ſtudeantque omnes ad imitationem vitæ ſuæ inducere. Primò per contemptum divitiarum. Secundò per deſpectum honorum ac dignita-

tum. Tertiò per neglectum voluptatum: unde eveniat, ut multi amplectantur oppositam superbiæ Luciferi humilitatem, quæ consistit, in vera per omnia subjectione, qualem decet famulum erga communem omnium Dominum exhibere; & hac ratione consurgat omnium virtutum incrementum, Deique regnum, quod cælum est, Beatis impleatur. Hucusque Christus.

Quid videtur O ANIMA MEA, *quàm diversa est hæc invitatio ab illa, quam paulò antè à Dæmone fieri audîsti,... alliciebat ille amore divitiarum, honorum & voluptatum,... hic verò invitat ad generosum eorum despectum, ... nunquid dura videtur invitatio? Interim, ut in se optima & tibi utilissima etiam esse videatur, sufficiet attendere, quòd proveniat ab amabilissimo corde Christi naturæ humanæ amantissimo, ... modò ergo illa cor tuum tangat, non debes hoc titulo resilire, quasi non sit verissimum bonum tuum, ... ad contemptum talem inducti fuerunt tot nobilissimæ animæ Apostolicæ, — tot Principes, — tot Monarchæ, quorum memoriam cum summa veneratione hodiedum ad aram facimus. — Ausim tibi promittere, quod, si ab illis percontaturus esses, quomodo nam sint contenti, se vocem illius esse secutos, quæ & te vocavit, essent responsuri, quòd in hanc horam eo maximè gaudeant, atque per totam æternitatem sint gavisuri, — Christi societate animati vixerunt liberi curis, quas secum advehunt, divitiæ, honores, voluptates, — & mortui sunt contentissimi, quòd iis non fuerint illaqueati. — Quare non debes saltem tanquam damnosam hanc invitationem æstimare aut repudiare, — aut si quando à Dæmone delusus eam rejecisti; contritus loquere ad eum, qui te vocavit.*

Creator & Redemptor meus; quâ ratione fieri potest, ut judicium tuum de divitiis, honoribus, voluptatibus vilipendam, — deceptus sum ab eo, qui in illis bonum illud, quod in ipsis non est, mihi adumbravit, — & malum, quod in illis tu detexisti, mihi occultavit, — cum summo pudore meo prostratus ad pedes tuos, confiteor illusionem atque excæcationem, in quam incidi, — &

præ

præ omnibus doleo, quòd tibi non crediderim; qui nec vis, nec potes me fallere. —— Tot magnæ animæ tibi crediderunt, & ſequendo te per viam paupertatis, humilitatis, & Evangelicæ continentiæ, ſibi in terris ſerenitatem & tranquillitatem conſcientiæ, & in cœlis excelſum gradum gloriæ comparârunt —— pœnitet me deceptionis meæ, —— & tanquam favorem ſpecialem illud rogo, ut illumines intellectum meum, ut felicitatem magnam eorum bene capiam, qui amore tui ſectantur vitam pauperem, humilem, continentem ſecundum dictamina Sancti Evangelii, —— unde ſi ad vitam talem me vocaveris, eandem libenter amplectar, atque in opere etiam talem præferam. Conſidera, an aliquando à Deo ad ſtatum religioſum ſis vocatus; & cur vocanti non obediveris; perpende hoc ſeriò.

PUNCTUM III.

DUæ conſequentiæ practicæ deducuntur ex veritatibus hiſce, ad meditandum propoſitis. Primo, quòd ad finem ultimum creationis ſuæ, ad ſalutem conſequendam neceſſarium ſit, non ità affixum eſſe divitiis, honoribus, voluptatibus, ut non ſimus parati eadem relinquere, quando inducunt ad Dei offenſam. Secunda: quòd pro magna & ſingulari gratia reputandum ſit, ſi Deus ad eadem non tantùm affectu, ſed & in effectu deſerenda nos vocet; quia etiamſi contrarium ſine peccato fieri poteſt, hoc pacto tamen magìs accedimus ad perfectionem Chriſti, & primò noſtro exemplari aſſimilamur.

O ſi bene intelligeres veritatem illam, ô ſi bene caperes O Anima mea! *quantò meliori loco res tuæ forent, —— nullus foret laqueus, quo Diabolus, aut miniſtri illius ſperarent te ad infernum pertrahere, —— ſi reflecteres ad peccata præterita, videres, quod amor unius aut alterius ex memoratis tribus, quæ facilè naturam corruptam per-*

ſuadent, te fecerint prævaricatricem, —— cur ergo non exuis pernitioſiſſimum tibi erga illa affectum? dole, —— dole, —— triſtare, —— plange ANIMA MEA. *Interim animos cape pro ſecuturo tempore, & dic: non divitiæ, —— non honores, —— non voluptates deinceps me à regno cælorum abducent. —— Quando ex periculoſa fragilitate mea dignovero, aut lumen Divinum me illuminaverit, quòd iis omnibus ad ſervandam animam meam me conveniat ſpoliari, & JESUM nudum ac humilem ſequi, libenter confugiam ad Vexillum Chriſti, & calcato Lucifero, ipſius petam militia adſcribi, —— facta hâc reſolutione ad voluntatem hanc ulteriùs ſtabiliendam, loquere ad JESUM in Cruce fixum:*

Deus meus & Redemptor meus, in hoc ligno tibi fatali, mihi vivifico agnoſco Ducem, qui me invitat ad ſequendum ſe, & ad præliandum ſub hoc Vexillo, —— quàm ignavus, quàm ingratus, quàm ſtolidus forem, ſi Te hìc nudum, lacerum, vulneratum, derelictum deſererem, —— hoc ipſum ſpectaculum me trahit ad ſequendum te, —— ſic enim mihi perſuades, quod hâc viâ ſecurè ad præcelſum in cælo locum aſcendatur, —— quòd ſi via alia aut certior, aut melior fuiſſet, Sapientia illam tua inveniſſet, & inventum bonitas tua nobis commonſtrâſſet. —— Cùm ergo ad hanc ſolam nos invites, dicens: *Qui vult venire poſt me, abnèget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me:* Convincor hanc rectam ad cœlum eſſe viam, —— quàm ergo ſtolidus ſum, ſi aliam ſequor, —— quàm ignavus, ſi deflecto, —— quàm ingratum me oſtenderem, ſi audiens tibi placere, ut hanc viam ingrediar, detrectarem tibi complacere, ne carnem gaudio ſuo fraudem. —— Verùm non committam deinceps, adjuvante tuâ gratiâ, ut ingratus deprehendar, — tenta me, proba me, an non fidelis futurus ſim, non dico ſocius, ſed gregarius miles, —— hæ manus meæ pro te pugnabunt, —— hi pedes pro te laſſabuntur, —— pectus hoc plagas ſentiat pro te, —— hoc maximè cor meum

meum tecum ſemper erit, ... Deſperet ergo Dæmon de me cohorti ſuæ aggregando, promittat licèt, offeratque univerſa mundi totius regna, ... tu illum olim repudiâſti mi JESU; & propter hoc ipſum, quòd tu illum repudiâris, optimum æſtimo, illum repudiare; .... declaro etiam, quòd aliam ſub Vexillis tuis mercedem non expecto, quàm Te ipſum. Dic proin Orationem à S. Ignatio compoſitam.

ORATIO.

SUſcipe Domine univerſam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem meam. Quidquid habeo vel poſſideo, mihi largitus es: id tibi prorſus reſtituo, & tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolùm cum tua gratia mihi dones, & dives ſum ſatis.

ORATIONES JACULATORIÆ

Adhibendæ ut dictum aliàs pag. 147.

I. Vadat retro me Satanas, non enim ſapit, quæ Dei ſunt. II. Oſtende mihi viam, in qua ambulem. III. Tu es via, veritas, & vita. IV. Non confundar, Te Ducem ſequens. V. Abrenuntio Satanæ, & omnibus pompis ejus, & omnibus vanitatibus ejus. VI. Jugum tuum ſuave eſt, & onus tuum leve. VII. Omne, quod erit ante oculos tuos bonum, & optimum, faciam. VIII. Quidquid tibi placuerit, hoc erit mihi optimum omnibus diebus vitæ meæ. IX. Beatus, quem tu elegiſti, ac aſſumpſiſti. X. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te Deus. XI. Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. XII. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram.

COMPENDIUM MEDITATIONIS.

I. Dæmon per ſe ſuoſque invitat ad amandam vanitatem.

II. Chriſtus invitat ad generoſum illius deſpectum.

III. Magìs glorioſum & utile Chriſtum ſequi, quàm Dæmonem.

MONITUM.

Meditatio hæc de duobus vexillis, eſt quaſi diſpoſitio ad electionem vitæ ſtatûs pro iis, qui nondum ſtatum elegerunt, pro iis verò, qui jam ſtatum elegerunt, ſervit ad reformationem vitæ in iis, in quibus ſe agnoſcunt culpabiles. Quare paulò poſt ponam regulas aliquas S. Ignatii, quæ æqualiter ſpectant tam ad electionem, quàm ad reformationem; magnæque erit utilitatis eas bene perpendere. Sequens meditatio de Æternitate conducit ad præcedentem, ex ea enim manifeſtum fit, quàm exiguum illud bonum ſit, quod Dæmon aſſeclis ſuis promittit, & quàm grande contrà malum, quod infert. Similiter, quàm exiguus labor ſit, quem Chriſtus à ſuis requirit, & quàm liberaliter eundem remuneretur. Atque ſic concluditur, non eſſe ſectandam militiam Luciferi, ſed ſub vexillo Chriſti militandum.

Reflecte, quod in Meditatione de duobus Vexillis Dæmon callidè in nobis conetur procurare amorem divitiarum, honorum, voluptatum, præſcindendo an ſint prohibitæ, ut ſecuriùs decipiat, ut ab amore licitorum deducat tandem ad illicita. Neceſſarium fuit illud hìc inſinuare propter regulas electionis, de quibus infrà dicetur.

IN-

INSTRUCTIO
Pro facienda bona
ELECTIONE.

Inter cæteras exercitiorum Spiritualium occupationes una est; facere electionem rei, quæ sit alicujus consequentiæ. Cujusmodi pro junioribus est electio vitæ statûs: pro aliis statûs permutatio, dum esset mutabilis; aut illius emendatio, si esset in meliùs emendabilis. Idem dicendum de aliis: ut si quis hoc vel illud negotium sit suscepturus, hanc vel illam dignitatem admissurus; hoc vel illud opus peracturus, & similia. Atque in hunc finem ad Deum recurritur per Exercitia spiritualia: ut anima hoc tempore ab affectibus malis expurgata, & à peccatis comprimis emundata, utpote de quibus supponitur doluisse & confessa esse, aptior sit ad lumen à Deo recipiendum, ne in errorem abducatur.

S. Ignatius in libello Exercitiorum præclarissimas quasdam ad hunc finem præscribit regulas. Præscribit autem primò, ut priusquam suscipiatur deliberanda materia electionis, per diem integrum expendantur sequentia tria puncta, in quibus continentur.

TRES MODI HUMILITATIS.

H*Umilitas hic accipitur pro illa submissione, quâ homo se & voluntatem suam Deo ac voluntati illius subjicit.*

Primus humilitatis modus hic est, ad salutem necessarius, ut me penitus subdam Divinæ legi observandæ ùtq; ne mundi quidem totius oblato mihi Dominio, vel extremo vitæ discrimine objecto, transgrediar ex deliberato, mandatum ullum Divinum, aut Humanum; quod quidem mortalis peccati vinculo nos obliget.

Secundus majoris est perfectionis: ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam; brevitatem vitæ ac longitudinem, æquè sim propensus, ubi æqualis est Divinæ laudis & salutis meæ occasio: utque nullâ, vel hu-

humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis, conditione propositâ, adducar unquam, ut culpam, licèt venialem tantùm, decernam admittere.

Tertius: est modus humilitatis absolutissimæ, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nullo superaddito, laus Dei par foret, ad majorem tamen imitationem Christi eligam potiùs cum eo paupere spreto & illuso pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & sapientiæ æstimationem. Porrò ad gradum hunc humilitatis attingendum, magnum adferet compendium, triplicis colloquii præcedentis de vexillis usus; per quod suppliciter poscam (si Divinæ placeat benignitati) ad talem perduci electionem: sive major, sive æqualis obsequii mei erga Deum, & gloriæ Divinæ proventus subsit.

Tria porrò Sanctus colloquia præscribit:

Primum ad B. Virginem, per intercessionem ipsius à filio gratiam petendo faciendi talem electionem, ex qua sequatur majus, aut æquale servitium ac gloria Dei. Et finietur per Ave Maria.

Secundum dirigitur ad Christum in quantum homo est, ut idem à Patre æterno nobis obtineat, & in fine sequens additur Oratio.

Anima Christi sanctifica me, corpus Christi salva me, sanguis Christi inebria me, aqua lateris Christi lava me, passio Christi conforta me, O bone Jesu exaudi me, intra tua vulnera absconde me, ne permittas me separari à te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum, Amen.

Tertium dirigitur ad patrem cælestem, ut illud gratiosè concedat, quod petitur. Et finitur per Pater noster. Peractâ consideratione prædictâ trium graduum humilitatis Sanctus noster pergit modo sequente & præscribit,

PRÆLUDIUM.

Pro facienda electione.

AD bene quidpiam eligendum nostræ sunt partes, ut oculo puro ac simplici spectemus, quorsum fuerimus creat.

creati, nimirum ad laudem Dei & salutem nostram: quapropter eligenda sunt ea tantùm, quæ conducunt ad dictum finem, cùm ubique fini medium, non medio finis debeat subordinari. Unde errant, qui uxorem ducere primitus, aut Ecclesiasticum munus seu beneficium adipisci statuunt, atque ita demum postea Deo inservire; utentes præposterè fine ac medio, nec ad Deum tendentes rectâ, sed obliquè ipsum ad perversa vota sua pertrahere conantes. Atqui è contrario planè agendum est; proposito primùm Divino cultu, tanquam fine nostro: & electo deinceps conjugio, vel sacerdotio, ceterisque rebus omnibus, quatenus expedit ad præfixum finem, ordinatis. Idcirco nihil movere nos debet, ad mediis quibusvis utendum, aut supersedendum: nisi habitâ imprimis tam Divinæ laudis, quàm nostræ salutis certâ ratione.

INTRODUCTIO.

Ad eligendarum rerum notitiam. Complectens 4. puncta & annotatiunculam unam.

Punctum primum est: quòd res omnes, quæ sub electionem cadunt, necessariò bonæ esse debent ex se ipsis, aut certè non malæ; nec nisi consonæ institutis orthodoxæ Matris Ecclesiæ.

Secundum: quòd genera duo rerum electioni quadrant, nam quarundam electio immutabilis est; ut ordinis sacerdotalis, & matrimonii, aliarum verò mutari potest: sicut redituum Ecclesiasticorum, vel secularium, quos recipi & relinqui ex causa, fas est.

Tertium: quòd circa ea, de quibus facta jam sit electio immutabilis, nihil superest eligendum: sed advertendum est, quòd si quis improvidè, nec sine obliquis affectionibus aliquid elegerit, quod non liceat retractare; reliquum est, ubi eum cœperit pœnitere facti, electionis damnum probitate vitæ & operum solertiâ pensare: resilire autem nullo pacto decet, quamvis electio ejusmodi non videatur vocatio Divina esse, utpote obliqua, atque inconsulta: qua in re non pauci errant, electionem malam & obli-

quam pro divina vocatione reputantes: cum hæc semper pura & clara sit, non carnali aliquo affectu vel studio perverso mixta.

Quartum: quòd si quis debito modo & ordine absque carnali mundanoque affectu quidquam elegit, quod mutari possit, non est, cur violet electionem talem; sed potius ut in eâ magis ac magis proficiat, adniti debet.

Notandum autem est; quòd si electio rerum ejusmodi mutabilium non ita rectè atque sincerè processerit, eam expedit corrigere; ut fructus uberior, & Deo gratior produci possit.

De tempore triplici ad electiones rectè faciendas magis opprotuno.

Tempus primum erit: quando voluntatē Divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imò etiam dubitandi facultas animæ sublata sit, quò minùs sequatur impulsionem talem; sicut legimus beato Paulo & Matthæo, & aliis nonnullis, vocante Christo, accidisse.

Secundum est: quoties satis clarum compertúmque fi beneplacitum Divinum; docente id aliquo consolationum, desolationum, vel diversorum Spirituum prævio experimento.

Tertium est, quando per animi tranquillitatem aliqui considaratato fine, ad quem conditus est (ad Dei gloriam scilicet & salutem suam) eligit certum vitæ genus intr Ecclesiæ Catholicæ limites constitutum; per quod ce medium commodius, securiúsque ad suum finem tendat. Porrò tranquillitas ea tunc noscitur adesse, quoties anim nullis agitata variis Spiritibus, vires naturales suas liber exercet. Itaque nisi primi vel secundi temporis benefici electio contingat, superest ad tertium recursus duobu modis sequentibus distinctum.

Modus Prior sanæ bonæq; electionis faciēdæ cōstans 6 puncti

Punctum *primum*: erit, proferre in medium rem deliberandam; ut de officio, vel beneficio, acceptandumne a potiùs rejiciendum sit, & ità de cæteris rebus, quæ a mutabilem electionem spectant.

Se

Secundum est: Adducto ante oculos creationis meæ fine in hoc consistente, ut cum Dei laude salvus fiam: in neutram declinare partem amplectendæ vel repudiandæ rei controversæ, quin potiùs, velut in medio quodam interstitio & æquilibrio subsistere, parato interim animo, ut in eam illicò partem totus ferar, quam novero Divinæ gloriæ & saluti meæ fore aptiorem.

Tertium: Obsecrare Dei Clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem, quòcunque potiùs mihi tendendum sit: adhibito nihilo secius pio, fideliquе intellectûs mei ratiocinio: per quod apprehensâ & probatâ Dei voluntate, ad electionem ferar.

Quartum: perpendere quot tandem commoda vel adminicula mihi ad finem meum prosequendum accedent ex tali officio vel beneficio suscepto, quot rursum ex eodem imcommoda, & pericula impendent. Præterea quot per oppositum omisso illo, tam commoda & adminicula, quàm discrimina & damna possim exspectare.

Quintum: his præmissis ratiocinari in utramque partem, & juxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, electionem concludere.

Sextum: electione factâ ad orandum citò prosilire, & illam offerre Deo, perfectè demum, si ei placeat, recipiendam & stabiliendam.

Modus posterior bene eligendi in Regulas quatuor & adnotationem unam distributus.

Regula prima est: quòd cum oporteat, per affectum ex Dei amore cœlitus infusum, fieri electionem, eligentem convenit persentiscere in se ipso: quòd quidquid affectionis (sive multum sive modicum sit) erga rem electam tenet, ex solius Dei amore & intuitu proficiscatur.

Secunda est: considerare, si quis mihi vir amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupiam, occurret dubius super electione hujusmodi, quidnam ego illi decernendum, maximè essem consulturus: quo animadverso, agendum & mihi esse ducam, ùt suaderem alteri.

Tertia: mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quē me mallem observâsse modum in præsenti deliberatione; juxta hunc igitur eligendum nunc esse, facilè intelligam.

Quarta: prospicere non minùs, quando pro tribunali sistar judicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellē: quo agnito nunc utar, ut eo tempore magis sim securus.

Adnotandum est postremò: quòd hisce regulis quatuor, propter salutem meam, & animi quietem accuratè servatis, debeo juxta ultimum punctum modi præcedentis electionem ipsam diffinire, & offerre Deo cōprobandam.

DE EMENDATIONE SEU REFORMATIONE,

Circa vitæ statum cuivis facienda.

IN primis illud est advertendum: quod si quis vel matrimonio, vel officio dignitatis Ecclesiasticæ sit adstrictus (de temporalium verò bonorū quantitate magna, an parva sit, non refert) unde ipsi non vacet aut parū libeat circa mutabilium rerum electiones versari, operæ pretium est, earum loco, methodum ei tradi, seu formulam aliquam, ex qua vitam suam & statum proprium possit emendare.

Debet igitur, quisquis ejusmodi conditionem sortitus est, ut finem creationis & vitæ suæ rectè statuat, ac sequatur, per exercitia supradicta & electionum modos attendere, atque ruminando sedulò colligere: quàm amplam domum & familiam æquum sit se habere, quibus eam modis tractare & administrare conveniat, quibus instruere verbis & exemplis, quantùm præterea de possessis facultatibus sumptum facere liceat, in usus proprios sive domesticos; quid rursum pauperibus erogare, vel impendere piis operibus deceat, nihil affectando aliud, nec quærendo, nisi quod honorem Dei & salutem suam præstet: hoc enim unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & commodi proprii affectione sese abstraxerit.

Porrò quidquid hic S. Ignatius docet, potest extēdi & applicari cujusvis vitæ statui à quolibet: ubi diligenter attendēdū, an solitæ occupationes sint ejusmodi, ut multū inde Spiritus

itus opprimatur, parumque aut nihil temporis relinquant omini, ut ad se ipsum attendat, sintque occasio ipsi damni, mò & ruinæ. Quare dum defectū hic repererit inveteratū, mnimodè ad reformationem sulincumbere debet, animæ uæ salutem omni negotio ac lucro temporali præferendo. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.

Unde oportet dispicere, an occupationes sint aut nimis frequentes, aut nimiū ex natura sua distractivæ, imperfectionum multarū origo, aut occasio etiam proxima Deū graviter offendendi; tunc enim omni studio amplectenda foret reformatio, atque in eum vitæ statum se oporteret reducere, in quo suum relinquatur spatium rebus spiritualibus, unde non oriatur inquietudo conscientiæ, & mortalis illa Deū offendendi necessitas subterfugiatur. Verbo; talis orbita ingrediēda, is vitæ tenor servandus, quæ sit conformis statui, ad quē quis à Deo vocatus est: qui profectò non est status perditionis, non enim hæc est secundùm voluntatē Divinam. Evadit autem talis subinde culpâ nostrâ & malâ vivendi norma.

Pro oratione hoc tempore maximè quadrat hymnus: Veni Creator spiritus, & officium S. Spiritûs cum Orationibus annexis, *quibus ab ipso petitur gratia eligendi id, quod melius est. Uti & preces ad B. Virginem, ad SS. Patronos & ad S. Angelum Custodem. Uti & comprimis conscientiæ per seriam confessionem expurgatio: ut hoc pacto Intellectus purior & magis dispositus evadat ad agnoscendum; voluntas autem promptior ad volendum id, quod Deo placuerit, commonstrare.* Servient & sequentes sacræ Scripturæ sententiæ.

Num Dei possum resistere voluntati? 2. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat Deo debile. 3. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dices: non mihi placent. 4. Ne manseris in operibus peccatorum. 5. Abjiciamus opera tenebrarum. 6. Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo. 7. Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, &

qua

quæ parasti cujus erunt? 8. Melior est Dies una in atriis tuis super millia, elegi abjectus esse in domo Domini magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. 6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur. 10. Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim: tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 11. Derelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus. 12. Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus. 13. Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet & perdat (atque iste Dæmon est, qui non aliud nisi ruinam nostram quærit) *Ego Jesus veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

APPENDIX.

S. Ignatius ponit tres classes sive differentias hominum diversimode se ad Deum habentium; ut hinc dignoscamus, ad quam pertineamus, itaque animemur ad sequendam meliorem. Quas, quia de iis opportunus hic est tractandi locus, subnecto

Prima igitur classis optat quidem, acquisitæ rei exuere affectum, ut conciliari Deo possit; sed media, debitaque adminicula toto vitæ tempore non admovet.

Secunda itidem affectum malè ordinatum auferre cupit, sed rem interim mordicus tenere, ac Deum potiùs trahere ad votum proprium, quàm relicto impedimento per conducibiliorem statum ad illum tendere.

Tertia postremò: affectum insincerum volens abjicere, rem ipsam relinquere vel tenere parata est, prout ad Divinum cultum commodius fore, vel ex Divino instinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit: ac interim omnia relinquens integra, illud tantum versat & inquirit, nec aliam admittit relinquendæ aut retinendæ rei acquisitæ causam, præter rationem ac desiderium Divinæ gloriæ: ut quàm maxima sit.

Reflecte & tu, ad quam ex his classibus pertineas.

EXERCITIUM XVI.

DE ÆTERNITATE.

TUM INFERNI, TUM PARADISI.

Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui; adjecit mandata & praecepta sua. si volueris mandata servare, conservabunt, & in PERPETUUM *fidem placitam facere. Apposuit tibi* AQUAM *&* IGNEM, *ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem Vita aeterna & Mors aeterna, quod placuerit ei, dabit ei,* Eccl 15. IN ÆTERNUM VIVE. Daniel.3. *Apprehende Vitam* ÆTERNAM. 1.ad Tim.*6. Cogitavi dies antiquos, & annos.* ÆTERNOS *in mente habui: & dixi: nunc coepi.* Psal. *76.*

EXERCITIUM.

Trium animæ Potentiarum pro Meditatione DE ÆTERNITATE.

Tum inferni, quò affeclas suos perducit Lucifer, tum Paradisi, quò Christus suos ducit.

QUanquam Meditatio hæc non inveniatur expressè in libro Exercitiorum S. Ignatii, quantùm tamen ex lectione variorum Authorum, qui super Meditatione de duobus Vexillis scripserunt, discere potui, comperi, quod hæc nobile sit alterius Corollarium, eámque hic subnecti conveniat.

Fructus hic decerpendus ex consideratione intellectûs atque affectibus voluntatis erit Propositum firmum *omnia præstandi, ut in tuto collocetur* BEATA ÆTERNITAS; *nihilque admittendi, quo adiri possit periculum incurrendæ* ÆTERNITATIS INFELICIS. *Ad quem fructum à Domino obtinendum dic Orationem sequentem.* In æternum non obliviscar justificationes tuas & præcepta tua. Præparationes reliquæ fient, uti pag. 32. & 34. Parte primâ notatum.

PUNCTUM I.

Ibit homo in Domum Æternitatis.

SUper veritate à memoria proposita discurre O Anima mea *per intellectum, sistendo ad lineolas, & dic intra te:* Domus æternitatis vocatur ad insinuandam differentiam, quæ est inter illam & statum mundi hujus, in quo versamur. ... Mundus hic est ambulacrum, ... hospitium, .. diversorium, ... in altero mundo tantùm reperitur domus & habitatio stabilis,,. id est, in Æternitate... aut in Inferni ÆTERNITATE, ... aut in Paradisi ÆTERNITATE... Ideoq;, quia quilibet conformiter meritis suis nancisceturæternam habitationem, aut in inferno, aut in paradiso, optimè dicitur iturus in domum ÆTERNITATIS ad illic SEMPER morandum,-- NUNQUAM exeundo.

Quid sibi vult vocabulum illud SEMPER & NUNQUAM, meliùs illud capies cogitando, quàm ego illud explicando possim facere, ut comprehendas, .. Cogita itaq;, quotcunque libuerit annos, ... quotcunq; sæcula, ... quotcunque milliones sæculorum, imaginatione ac intellectu accumulare potueris, ., milliones plures, quàm numerentur arenæ in litore maris,-- & quot sunt earum! - plures, quàm sint grana omnium spicarum, ... plures, quàm hominum capilli,.. plures, quàm folia in arboribus.. plures, quàm gramina terræ,.. plures, quàm sint omnium hominū & Angelorum cogitationes, .. neque tamen vel per umbrā unquam pertigeris ad implendum illud SEMPER, ... nec hilum abumbraveris illius Nunquam. .,. Cogita hoc; per salutem tuam te rogo atque recogita, .. dumque intellectus l flatus fuerit tot sæcula percurrendo ; considera, quòd nonnisi principium illius SEMPER & NUNQUAM attigeris: quiesce dein paululum. .. & dic intra te: Interim hoc incomprehensibile SEMPER, hoc inexhaustum NUNQUAM duo sunt Elementa, ex quibus componitur domus æternitatis, quam quivis homini decursu vitæ brevissimæ finito ingredietur. *Ibit homo in domum æternitatis.* .. Ita est, .. verùm non comprehendis; —

dis;. itá eſt:& quis dubitet?..Si homines comprehenderent, quod dictum eſt, non forent tales, quales ſunt. - Peractâ hac conſideratione, ſequens ad Deum dirige colloquium.

Deus meus, cujus propria eſt æternitas, quia ſolus eſſentialiter es abſque principio, ſine medio, ſine fine, doce me bene intelligere, quæ ſit æternitas illa, ad quam tendo, ... objecta illa, quæ in hac vita præſente me circumdant, non alia in animum meum tranſmittunt phantaſmata, quàm caduca, & æternitati è diametro oppoſita, unde menſurando hanc per illa, mihi quidem repræſento durationem grandem & longam ſe ad milliones millionum millionum millionum extendentem, at in fine hæreo, & videor in his videre finem, quia in ſæculis præſentibus finem invenio, & proinde illuſus menſurâ temporis, in quo vivo, non adæquo infinita æternitatis tempora, ad quam omni die, omni momento propiùs accedo. ... Tu itaque, ô Domine, qui ex natura tua æternus, illumina intellectum meum, ut bene æſtimem æternitatem, .. accende voluntatem, ut itá concludam vivere, ut æternitatem, quæ eſt in cœlo, conſequar; ... malámque æternitatem, quæ eſt in inferno, effugiam.

Quid diceres Anima mea, ſi ingreſſura in unã alteramve æternitatem, à re minima audires illam dependere? & tamen illud certiſſimum. Dependet ab eo, an ſequi ſtatuas ſordida Dæmonis promiſſa, aut adhærere ſuavibus Dei mandatis. Prima veritas ſequente Puncto expendenda eſt.

PUNCTUM II.

Dæmon aſſeclis ſuis bona ſpondet vilia & exigua in hac vita. Et miſeri mortales, dum ad voluntatem ipſius vivunt, parant ſibi pœnas æternas in altera.

Veritatẽ à memoria propoſitã bene intellectu diſcute O ANIMA MEA! *& conſidera, quòd Dæmon aſſeclis ſuis exigua bona promittat, uti jam dictũ eſt: promittit* (bene te ad hoc optẽ reflectere) *promittit bona exigua* Repeto, quod *dixi, promittit* exigua; cùm multa & magna ad fraudem meliùs texendum, deberet promittere. --- Verùm

non ità promittit, quia fallacia ipsius nimium pateret; cùm enim promittat, quæ hujus vitæ sunt, manifestum est, non posse cuivis homini multa ipsum promittere. — *Promittit* exigua, & promissum hoc rarò observat, ... promissio fit verbis spectantibus tempus futurum (quale pro vita præsente est incertissimum) observare autem respicit tempus præsens. — Nunquid, qui promissis hisce auscultant, fateri coguntur, quòd nihil actu habeant, *nihil invenerunt in manibus suis.* — Experientia enim docet, quòd perfidus ut plurimùm non stet promissis suis, — non solùm quia parvi habet fidelitatem, sed quia nec in veritate fidelis esse potest. — Dic, ANIMA MEA, an fortè ipsius est arbitrii dispensare hanc felicitatem, hanc voluptatem, hanc vitam, quæ omnia tam liberaliter spondet, — minimè profectò — sunt illa dispensationis Divinæ, sunt Dei, utpote rerum omnium Domini. *Dominus universorum tu es*, unde liquet, quòd aliena promittat. — Progenitoribus nostris Adamo & Evæ obventurum promisit immortalitatem, si pomo vescerentur prohibito, -- & interim mortui sunt, mortémque in mundum invexerunt, — quàm fraudulenta promissa! — & quot interim iisdem ad obsequium suum abducit! — quot in infelicem ita præcipitat inferni æternitatem! — Quæ si ita sunt, nunquid meritò exclamabimus, O, quam exigua Dæmonis sunt promissa! — & è contrario, ô quàm grandia inferni supplicia! — pro tam exiguo quàm multæ animæ Dæmonem Ducem tam acerbum sequendo æternùm damnantur! — ô quàm vilia, quàm exigua promissa! — ô quàm grandia supplicia?

His intellectu expensis progredere porrò, & dic intra te: Quod si tandem etiam promissum ab inimico bonum facto responderet, quid tandem haberes? — non aliud quàm bonum caducum ac transiens, siquidem temporale est, — & transit citò, — quis enim unquam simili ad mille annos fruitus fuit? — Nemo. Et licet decem annorum millibus illo frui daretur, dicendum tamen foret cum B.

Aloysio

Aloysio Gonzaga: quid hoc ad pœnam æternam? — *& quæ proportio mille annorum felicitatis temporalis ad æterna tormenta? & quàm multis non obtingunt mille septimanæ, imò nec mille dies!*

His bene expendendis immorare paulò diutiùs, & inter se confer illa, quæ Dæmon potest promittere, & quæ potest dare. — Et subde: *quid hæc ad pœnam æternam?* si post per perceptam ab ipso felicitatem æternùm mihi fuerit ardendum in inferno? quis tam amens, ut illam cupiat? — in summa exiguum est bonum illud temporale, quod Dæmon tribuit, — & grande malum æternitas inferni, cui Deus peccatorem adjudicat.

Postquam prædictas veritates attentè ponderaveris, colloquere cum Deo modo sequenti:

Creator meus, ac Redemptor meus, gratias ago infinitæ bonitati tuæ, cui placuit illuminare intellectum meum, ne sinat se abstrahi vanis Diaboli promissis. — Ne permittas, ut unquam admittam bonum illud exiguum, quo me inescare quærit, ut inescatum præcipiter in grande malum, ad quod tu Judex meus, infallibiliter me esses condemnaturus, si ipsum sequerer. — Nimis exiguum est bonum hujus vitæ (& quàm exiguum, quod parvam tantùm vitæ partem contingit) comparatum cum pœnis æternis vitæ alterius. — Nunquam ita sapientem electionem fecero, adoptando stillam unam mellis, ut demergar in mare fellis. — Habeat itaque sibi Dæmon bonum suum illud exiguum, quod promittit, & exiguissimum illud, quod suo sub Vexillo militantibus præstat, — nolo enim sub ipso militare (*militare inquam, quia sub uno militandum est*) cùm lucrosum mihi non videatur pro exiguo bono temporali grande malum incurrere, malum æternum.

PUNCTUM III.

Exiguum à nobis exigit Redemptor noster, imponens nobis observantiam mandatorum

suorum in hac vita; dum interim in vita altera æternitatem spondet Paradisi.

Super proposita à memoria veritate, ne tibi grande aliquid ac difficile videatur esse observantia Divinorum præceptorum, quæ adjecta Paradisi tibi conferendi promissione, Deus injungit; discurre per intellectum O ANIMA MEA! *dic intra te*:.... Et quod bonum est Paradisus?... est gaudium de Deo, bono infinito, omni imaginabili bono, quod sine admixtione mali, etiam minimi durabit, SEMPER, & deficiet NUNQUAM... Dic porrò ad te ANIMA MEA, nunquid hoc credo?... *Quid hæc ad vitam æternam?* & quî ergo gravis potest esse obligatio, Divina mandata observandi, ut obtineatur Paradisus? ... exiguum certè onus... leve,... imò nihilum,... quare Beati in cælis attendendo gaudium, quo illic potiuntur, & ex altera parte onus, quod in vita sustinuerunt, dicere meritò possunt, quod *pro nihilo* collata sibi sit æterna gloria, terraque promissionis omni benedictione referta. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Noli itaque te aggravatam queri per exiguum illud, quod à te Deus exigit, ut beatam tibi æternitatem possit conferre. ... Potius adde sequentem considerationem.

Si Deus te obligâsset ad austeritatem Eremiticam,... ad omnem obedientiam Religiosorum,... ad omnem macerationem Pœnitentium,... ad omnia tormenta Martyrum, adhuc foret EXIGUUM : *recurrit enim quæstio, quæ solvi non potest,* quid hæc ad vitam æternam? *& quid sunt omnes quantumcunque graves afflictiones brevi hujus vitæ periodo terminatæ, cum gaudiis Paradisi comparatæ?* ... *nihil.* ... *Quare id quod nobis grande aliquid videtur, est* EXIGUUM *imò* EXIGUISSIMUM : *sua enim semper stat veritas dicto Paulino* : Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. ... *Agnosce itaque* ANIMA MEA, *quod injustè reputes ceu grave aliquid, Divinorum*

manda-

mandatorum observantiam, ... abnegationem inordinatorum tuorum affectuum, .. victoriam aliquam tui ipsius, ... mortificationem etiam carnis, ... quidquid enim præstiteris, est aliquid TEMPORALE : *quod Deus in compensationem præstabit, est* ÆTERNUM. Perpende bene hæc bina vocabula : labor TEMPORALIS merces ÆTERNA. *Quod si nondum satis hæc te agnoscere judicaveris, pete à Deo, ut te illuminare dignetur, ac sequens institue Colloquium.*

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manibus non minùs est æternitas inferni, quàm Paradysi, fac me intelligere fraudes Dæmonis, quoties, ut me ad partes suas trahat, ampla mihi facit promissa bonorum temporalium, ... Decipit ille, ô Domine! decipit, ... licet enim omnia bona temporalia, quod nunquam tamen eveniet, neque enim ulli hucusque omnia obtigerunt, mihi forent concedenda, EXIGUA sunt, EXIGUISSIMA, imò NIHIL in comparatione mali ÆTERNI, quod unica etiam mortalis tui offensa conciliat ; .. fac è contrario etiam, ut percipiam favoris illius magnitudinem, quem mihi exhibes, acquiescendo, ut solâ observantiâ mandatorum tuorum lucrer GLORIAM ÆTERNAM. ... Habeat ergo suas ex hac hora Dæmon pollicitationes, quas facit, ... sunt aliquid EXIGUUM nimis, comparatæ ad GRANDE malum, quod pro omni ÆTERNITATE adferunt. ... Non jam solùm tuis me subjicio mandatis, verùm & paratus sum, ad tua, si ita tibi visum fuerit, consilia amplectenda, ... neque hoc solùm ; verùm & propono, motu proprio elicere actus virtutum heroïcarum, quantò sensibus molestiores, tantò utiliores animæ, ... sum enim convictissimus, quod quidquid vel unicum gradum gloriæ in beata æternitate possidendæ, parere potest, totum sit exiguum,

* * *
* *
*

ORA-

ORATIO.

DEus,qui errantibus,ut in viam justitiæ redire possint, veritatis lumen ostendis,da his, qui Christianâ Religione censentur ea respuere,quæ huic inimica sunt nomini,& quæ sunt apta sectari.

ORATIONES JACULATORIÆ,

Usurpandæ ad modum, qui præscriptus pag. 147. in medit. de Fundam.

I. Quid faciendo vitam æternam possidebo? II. Contriti sunt montes sæculi ab itineribus æternitatis. III. Qui sperant in te,qui timent te,in æternum exultabunt. IV. In te Domine speravi, non confundar in æternum. V. Illumina me mirabiliter à montibus æternsi. VI. In æternum vindicta tua,& requies tua in sæculum sæculi. VII. Ignem accendisti in furore tuo, usque in æternum ardebit. VIII. Exspecto vitam æternam. IX. Fulgebunt Justi sicut sol in perpetuas æternitates. X. Non intellexerunt opprobrium sempiternum. XI. Requiem æternam dona mihi Domine. XII. Hìc ure, hìc seca, ut in æternum parcas.

Finitâ Meditatione osculare terram,dic: Confirma hoc Deus,quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave. Examina successum meditationis, annota lumina & proposita tempore designato. Et in reliquo diei observa additiones proprias secundæ septimanæ,de quibus pag. 235. in Meditat. de Regno Christi.

COMPENDIUM.

Meditationis precedentis.

I. Quivis homo post mortem ibit in domum æternitatis suæ.

II. Dæmon promittendo bonum exiguum,cujus promissionem sæpe non servat,miseros mortales ad pœnas inferni deturbat.

III. Christus in compensationem exigui laboris, Justis gloriam æternam retribuit.

EXER-

EXERCITIUM XVII.

DE VITA CHRISTI IN PRÆDICATIONE.

Si tu requiescis in lege & gloriaris in Deo & nosti voluntatem ejus, & probas utiliora instructus per legem, confidis te ipsum esse Ducem cœcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces; ad Rom. 2. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum; tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.* Ps. 49 *Ego sic curro, non quasi in incertum sic pugno, non quasi aërem verberans, sed Castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* 1. ad Cor. 9. *Cœpit Jesus Facere & Docere.* Act. 1. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum.* Matth. 5.

EXERCITIUM

Trium animæ Potentiarum pro meditatione.

DE VITA CHRISTI

In annis prædicationis.

AMantissimus Servator, postquam in publicum prodivit; pro gloria Dei & salute animarum signa sua explicuit adversus vexilla Dæmonis & in hunc finem totum se sacrificavit prædicando verbis ac adversa tolerando. Ad verba pertinet prædicatio & doctrina; ad dolores refertur tota passio.

Secessus hic noster quia limitatus est ad octo vel decem dies, uti aliàs dictum, non possunt omnia, quæ Christus fecit, & passus est, minutatim meditanda proponi. Quare reducenda sunt hæc tantùm ad titulos generales. Juvabit devotè legere Evangelium, & in singulis excel-

lentiam doctrinæ Christi, quam prædicando evulgavit ; apicem charitatis, & fortitudinis in passione commonstratæ perspicies, atque hinc piè erga Sacrosanctam humanitatem ipsius affici disces.

In hac Meditatione (in qua utcunque Christi prædicationem percurres) Christum per Judæam circumeuntem ad fatigationem ambulando ac prædicando, repræsentabis. Alias præparationes facies, ut dictum pag. 32. & 34. in prima parte hujus operis.

Fructus, quem intendet consideratio Intellectus & affectus voluntatis erit PROPOSITUM serium vivendi juxta doctrinā & exemplum Christi, & patiendi pro honore ipsius & salute animarum. Ad impetrandum auxilium Divinum dic: Audiam, quid loquatur in me Dominus.

PUNCTUM I.

Christus in prædicatione sua unicè spectavit gloriam Dei & salutem animarum.

Hanc veritatem à memoria propositam, Christus Dominus sæpe declaravit hisce verbis. Non quæro gloriā meam, sed ejus, qui misit me. *Et* venit filius hominis quærere, & salvum facere, quod periêrat. *Optem hanc bene expendas* O ANIMA MEA *sistendo ad lineolas, ut discas admirari & imitari bonitatem Christi, te autem confundere.* Non quæsivit honorem & plausum — non amorem particularem ... non compensationem ..... cùm tamen ob dignitatem naturæ suæ ac gratiæ gloriam omnem mereretur: nam præcellebat dono sapientiæ ... prudentiæ .... beneficentiæ .... amabilitatis .... pulchritudinis —quibus omnibus accedente Divinitate quantam apud homines gloriam meritò potuisset obtinere! — unicè quærebat gloriam Patris cælestis ..... sibi reservabat contumelias .... contemptum ... humiliationem ... dolores ...

O quanta

O quanta bonitas .... quanta ſinceritas .... quanta fidelitas Chriſti hominis erga Patrem ſuum! ... *Fidelis ſervus* .... Conſidera an verum dixerim. Quis deinde in homines amor .... quæ Charitas Chriſti.... non quæſivit ditare Parentes, amicos, clientes ſuos, verùm peccatores —— & quid dico, dum dico peccatores O ANIMA MEA? —— Eos volo, qui ex una parte erant inimici illius, inimici non tantùm humanitatis, ſed & Divinitatis offenſæ, quique ex altera parte in negotio omnium negotiorum maximo, quale eſt æterna ſalus, ipſius erant indigentiſſimi — hos quæſivit ſalvare, tanto eorum demerito non attento.

Poſtquam allegatas hîc circumſtantias attentè perpenderis, devotum ad Chriſtum inſtitue colloquium ſequens.

Profectò aliter bone JEſu, rem tuam inſtituiſti, quàm ego .. ſiquidem ego viliſſima creatura, ſcelerum innumerorum rea, dum boni quid ſubinde præſto ... heu nimis quàm verum eſt, quæro gloriam, æſtimationem, amorem proprium potiùs, quàm Dei .... & quoties etiam mediis indecentibus .... vah! qualem hîc prædonem egi unici illius creati boni, quod profeſſus es, te tibi ſoli reſervare; egi prædonem gloriæ; & interim ais: Gloriam meam alteri non dabo. *Hanc enim mihi reſervavi ... ſum etiam tibi, mi JEſu, totus diſſimilis, in quærenda ſalute proximi ... Peccatores tu eâ quæſiviſti ratione, ut in eo commodum tuum poſitum eſſe videretur... non ego eodem modo procedo: volo ego ab ipſis quæri ... ſæpe etiam rogari ... Volo eos pro obſequio, quod animis ipſorum præſto, mihi eſſe obligatos... Interim, ſi omnia mihi poſſibilia ipſis præſtarem, quid eſt, quod Deo & Domino meo non deberem attribuere? ... Ipſe cauſa eſt principalis, ego inſtrumentum, & nihil præterea ... Ipſius ſunt theſauri gratiæ; mihi ab ipſo conceditur honor illas diſpenſandi. ... Ipſe Dominus, ego Miniſter & ſervus inutilis. ... Et quid minimi etiam ſum præſtiturus, quod tu non liberali illo theſauro meriti & gratiæ. quo remuneraris illos ampliſſimè, qui ſaluti proximorum ſe impendunt, ſis compenſaturus? . .. Ignoſce Domine præteritis defectibus meis .... Fiat in me Spiritus tuus magnanimus, generoſus, nobilis, glorioſus ... ut unicè qua-*

quæram gloriam tuam Soli Deo honor & gloria *gaudeam de mea confusione* mihi autem confusio faciei — *quæram tantùm animas & non aliud* — *ut omnibus, quotquot in spiritu profuerim, possim audacter dicere id quod Paulus illis, quos adjuverat.* Argentum aut aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi satis, *Act.* 20.

Quod si ex officio aut vocatione tua proximi bono spirituali promovendo te consecrare debes, vide quomodo in sequentibus duobus punctis maximè substantialibus te geras. An gloriam Dei, an propriam tuam quæras: & quantus tunc prædo fores! — An aliud à proximo tuo prætendas, quàm animæ ipsius salutem: & quàm vilis fores mercator, imò & proditor.

PUNCTUM II.

Media quibus Christus usus est ad hunc finem fuerunt itinera, fatigatio, fames, sitis, jejunia, labores, Vigiliæ, mutatio locorum, &c.

ET *præ omnibus heroica patientia, omnibus* quoad corpus & animam *benefaciendo, ita ut nullâ ingratitudine, invidiâ, contumeliâ, conviitiis, odiis, persecutionibus, proditione, derelictione atque aliis adversitatibus quæ in compensationem laborum ipsi rependebantur, frangeretur aut satiaretur, uti ex Evangeliis, alióve libro de vita Christi poteris addiscere.*

Super materia à memoria proposita discurre O ANIMA MEA Intellectu tuo & percontare abs te. Et cur filius Dei mediis tam laboriosis, dolorosis, ignominiosis, uti voluit? — Poterat certè nullâ ad hibitâ fatigatione, uti potentiâ suâ absolutâ ad conversionem animarum — & tamen tantopere laboravit, ut hominibus evidens faceret studium suum quo voluntatem Divinam exequeretur, & æternam hominum salutem procuraret. Ut & hi, qui

qui ad ſimilem finem eligendi eſſent ab ipſo ſocii, diſcerent, quàm finis ille ſit nobilis — utilis — neceſſarius, quandoquidem ipſe Dei filius ad eundem contendit tam pœnoſis ac pretioſis conatibus — ut ad duo reflecterent: primò, ut adimplere ſtuderent Dei voluntatẽ, ipſi gloriam tribuendo — ſecundò ut animarum ſaluti vacantes, utrumque finem omni eſſe labore dignum clarè perſpicerent. — Hoc bene intellecto, per affectum voluntatis ſequens inſtitue ad Chriſtum colloquium.

Mi Deus quàm parùm hucuſque hanc veritatem penetravi — agnoſco modò ſatis dignitatem illam quâ afficitur is, qui Deo & ſaluti animarum inſervit; interim ſubduco me leviſſimo labori — moleſtiæ — fatigationi occurrenti — patior libenter vanitatis gratiâ — patior pro lucro temporali — Verùm pro gloria Dei & lucranda ipſi animâ aliquâ, ſtatim fatiſco — laborem fugio — O me amentem! — quàm me ignarum oſtendo pulchritudinis operis hujus & mercedis illius, quam rependis illi, qui tecum & juxta exemplum tuum negotium hoc arripit! — Me miſerum, ſi tu in me ſalvando tibi pepercisſes; periiſſem certè, & quid pro me feciſti? — Quærens me ſediſti laſſus, redemiſti crucem paſſus — *ut ego diſcerem, nihil nimium pro fine tam nobili fieri poſſe — Ignoſce negligentiis meis præteritis, & juva me, ut me emendem.* Reflectere ad caſus particulares.

Examina in particulari labores atque incommoda, quæ perhorreſcis, ut obtentâ gloriosâ de amore proprio victoriâ, Deo inde gloria, & proximo ſubſidium accedat - commonſtravit in opere S. Paulus, quid tibi faciendum ſit, *Non quæro*, inquit, *quæ veſtra ſunt, ſed vos; nec enim debent filii theſaurizare Parentibus, ſed Parentes filiis. Ego autem libentiſſimè impendar, & ſuperimpendar, pro animabus veſtris, licèt vos plus diligens minùs diligar.* Enarraverat autem priùs in particulari, quænam pro ſalute animarum paſſus eſſet: dum in hunc modum dixit,

In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in

plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas unâ minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum: ter naufragium feci; nocte ac die in profundo maris fui. In itineribus sæpe periculis fluminū, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in frigore & nuditate, præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror? 2. ad Corinth. 11. Audite hæc, & intelligite, qui minimum quodvis incommodum pro animabus tam pretiosis juvandis subire refugitis; inspicite speculum tam nobile: & si non erubescitis, vel hoc ipsum erubescite, quod non erubescatis: & proponite emendare hoc, in quo tam fœdè aberrâstis.

PUNCTUM III.

Docuit Discipulos suos, qui imitatores Christi esse debebant in procuranda salute animarum, memoratas virtutes Exercere: monendo, ut alios adjuvando attenderent, ne ipsi pessum irent.

NE obiter O ANIMA MEA veritatem à memoria propositam intellectu pertractes. Alterum juvare res optima. Verùm ut hoc pacto te ipsam perdas, obligationem aliquam, ad quam sub peccato mortali teneris, omittendo, aut peccatum veniale etiam propterea admittendo, profectò non fuit hæc Dei voluntas, cui anima tua perinde chara est, atque ceteræ, nec simile quid tu velle debes, non enim hoc tibi est commodo. Et *quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* nihil —— & tu te ipsum seriò ingredere, & *dum fatigaris pro salute proximi*, dic tibi ipsi.

Po-

ʼoſuerūnt me cuſtodem in vineis conſtitutus ſum ad cu-
ıındas nobiles vineas animarū, *Vineam meam non cuſto-
ivi* — In aliis devotionem promovi, verùm quantùm
ı ea ipſe profeci ?... alios ad meditandum, ad legendum
ıbros Spirituales, ad examen conſcientiæ ſum adhortatus
. verùm quâ ratione hæc ipſe obivi ?... In aliis pietatem,
haritatem, mortificationem, patientiam, ſtudiosè requiſi-
ʼi, .. verùm quomodonam hæc ipſe fui profeſſus.., or-
dinata charitas à te debet incipere. *Non bonum mercatum
mihi eſt, etiamſi ipſe univerſum mundum lucrer, me ip-
ſum perdere & mei detrimentum facere*, ait S. Bern. ſerm.
2. in Cantica. Quare ſi te reum hìc deprehendis, proſter-
nere ad pedes crucifixi, & dic:

*Bone JEſu Magiſter meus! O quantum ego à doctrina
tua exemplisque animarum curatori relictis deflexi! Non
indigebas tu certè culturâ tui ipſius, cùm fueris infinitè
ſanctus ....interim ad inſtructionem noſtram per quadra-
ginta dies in deſertum ſeceſſiſti...... Sæpe ad orandum te
contuliſti in templum .... in ſolitudinem iterum iterum-
que confugiſti, internum, ut ita loquar, ſtatum tuum
quaſi reviſurus, non quod eo indigeres, ſed ut ego inde pro-
ficerem. Nec paſſionem etiam tuam, ſine præmiſſa in hor-
to oratione, voluiſti auſpicari...., ut hac quaſi velitatione
ad horrendum nocte illâ ſubeundum conflictum te com-
parares.... non ego hoc ſequor exemplum, non ſimiles ad-
hibeo induſtrias. .... Curam hanc proximum in Spiritu
adjuvandi, tanquam negotium aliquod ſeculare, tractare
videor; curam animæ meæ negligendo, meum potiùs dam-
num cum ipſis, quàm profectum meum in ipſis ſpecta-
re credi poſſim..... Ignoſce O Domine errori meo, qui præ-
terquam quòd in ſe ipſo ſit rationi difformis, nobile illud
animarum lucrandarum miniſterium ſimul infamat....
Imprime cordi meo verum animæ meæ amorem: ut priùs
ipſe Sanctus & ſanctificatus, ſtudeam deinde alios ſan-
ctificare, conformiter ideæ à te diſcipulis tuis relictæ.*

Oratio

Oratio.

Protege nos Domine tuis myſteriis ſervientes, ut Divinis rebus inhærentes, & corpore tibi famulemur & mente.

ORATIONES JACULATORIÆ

Adhibendæ, ùt dictum aliàs pag. 147.

I. Alios ſalvos faciens, me ipſum non ſalvum faciam? II. Qui ſibi nequam, cui bonus? III. In laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in Spiritu ſancto, in Charitate, in verbo veritatis exhibeamus nos Dei miniſtros per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris. IV. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum. V. Viam Dei doceam in veritate. VI. Væ, qui ſimiles ſunt ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa. VII. Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritûs. VIII. Elegiſti nos ut eamus & fructum afferamus. IX. Sine te nihil poſſumus facere. X. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. XI. Arma militiæ noſtræ carnalia non ſunt. XII. Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, pauci, quæ JEſu Chriſti.

Finitâ meditatione terram devotè oſculare; & dic deinde: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: Recita Pater & Ave. Examina ejuſdem ſucceſſum, annota lumina & propoſita. Reliquo die obſerva additiones proprias ſecundæ ſeptimanæ, uti notatum pag. 235. in Exercitio de Regno Chriſti.

COMPENDIUM

Meditationis ſuprà poſitæ.

I. Chriſtus in ſua prædicatione unicè quæſivit gloriam Dei, & ſalutem animarum.

II. Idque per labores, perſecutiones &c.

III. Eandem rationem Diſcipulis ſuis præſcribit: admonens, ne propriam animam eant perditum, dum alienam quærunt ſalvare.

EXER-

EXERCITIUM XVIII.
DE MAGDALENA
AD CHRISTUM CONVERSA.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm. Luc. 7. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psalm. 94. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam.* Jer. 2. *Revertere aversatrix Israel, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis; quia ego Sanctus, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum. Scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es, & dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, & vocem meam non audisti, dicit Dominus: Convertimini filii revertentes, dicit Dominus, quia ero Vir vester.* Jerem. 3.

EXERCITIUM
Trium animæ Potentiarum pro Meditatione.
DE CONVERSIONE MAGDALENÆ
Ad Christi Prædicationem.

FRuctus ex consideratione intellectûs & affectibus voluntatis erit NON DIFFERE conversionem ad Deum, verùm post invitationem ipsius ad pœnitentiam citò eam amplecti. Ad impetrandam à Domino gratiam dic breviter: Cùm vocem tuam audiêro, non obdurem cor meum. Aliæ præparationes uti pag. 32. & 34.

Priusquam ordiaris, repræsenta tibi Magdalenam Christo palàm de rebus Divinis prædicanti auscultantem.

PUNCTUM I.
Maria Magdalena dicta peccatrix initium dedit conversioni suæ, sequendo lumen, à quo intellectu illustrato, agnovit fœditatem morum suorum.

HAnc veritatem S. Lucas expressit his verbis: Ut cognovit; quo indicat, quamprimum cognovit. Itaque *ex dulcissimo textu Scripturæ vide porrò Conversionem:*

Mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quòd Jesus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis ſuis tergebat, & oſculabatur pedes ejus & unguento ungebat. Lucæ 7. *Lege hic Evangelium, & exinde pondera circumſtantias verbo illo COGNOVIT expreſſas, prout ſequitur, & ſiſtendo ad lineolas.*

Magdalenæ itaq; anima, nondum auditâ Chriſti prædicatione, à concupiſcentiis fuerat excæcata, ideóque nec perverſum animæ ſuæ ſtatum cognoſcebat,... utprimum autem radius ſupernæ gratiæ eam illuminavit, utprimum oculis animæ purgatis difformitatem ſuam vidit. UT COGNOVIT,... quod eſſet mulier tota vana,.... peccatrix,... totius civitatis ſcandalum, accurrit ad Chriſti pedes, unde remedium ſibi evenire poſſe intelligebat. Ita ut idem quaſi ipſi fuerit COGNOSCERE vitia ſua, & illa velle emendare,.... & ad JEſum accurrere, ... & veniam rogare, ... & pœnitentiam agere,.... nolendo reſiſtere cognitioni huic & lumini, quod Deus illi immiſerat. Iſtud eſt, quod indicatur verbo illo: UT COGNOVIT.

Applica hæc modò tibi O ANIMA MEA! *& dic mihi amabò, an & tu hoc modo egiſti?... nunquamne ſpirituales miſerias tuas cognoviſti?.... an nunquam peccata tua?... Puto equidem: non enim mihi perſuadere poſſum, quin mille tibi conſcientiæ remorſus ſupervenerint,... & plures adhuc inſpirationes Divinæ, omnes inſuſurrantes tibi, ut ad Deum converteris:* Jeruſalem, Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum.... *Timeo ego magis, ne non fueris operata conformiter inſpirationibus illis à Deo tibi ſubmiſſis,... & quod hinc reluctante* CONSCIENTIÂ *in peccatis perſeveraveris..... Quòd ſi itaque modò occaſione hujus ſpiritualis ſeceſsûs tui, Deus te illuminet ad agnoſcendum malum tuum, quod patrâſti, imitare Magdalenam,* quam peccando heu nimium fuiſti imitatus, *& ad pedes Crucifixi proſtratus ſequens inſtitue Colloquium:*

O Do-

O Domine, quem heu nimiùm turpiter offendi ! ecce ìc creaturam innumerabilium culparum ream, maximè lius, quòd plurimis tuis illuminationibus, quibus me ad irtutis pulchritudinem, & peccati difformitatem agno-cendam illustrâsti, durus restiterim, ... sæpe sæpiùs unum tque alterum agnovi, ... sed sæpius adhuc renui vitam neam conformare factis à te inspirationibus,... Nunc ego mposterum vivere statuo, uti vivendum agnosco, ... Mag-alenæ exemplum ad generosam resolutionem capiendam ne exstimulat, ipsa UT COGNOVIT per intellectum, ... er discursum,.... per conscientiam, minimè operari vo-uit contra talem cognitionem, contra tale lumen, contra *onscientiam*,... adjuvante gratiâ tuâ, & ego idem præsta-e concludo ; .... ecce me modò hoc pacto animatum ad nstituendũ ex nunc vitam novam, vitam non minùs san-tam, quàm antea fuerit peccaminosa.

Examina te specialiter in particulari super his, in qui-bus cum majori contumacia & rebellione adversus inspi-ationes divinas, ac conscientiæ remorsus recalcitrâsse ti-i videris, atque horum non solùm propone, sed & firmi-ter emendationem decerne.

PUNCTUM II.

Magdalena utprimùm culparum suarum agni-tione perlustrata fuit, applicavit illis remedium.

ET quale remedium malis suis spiritualibus applicavit Magdalena? fuit sequens: Calcavit omnem respectum humanum, in publico solenni convivio, in quo Christus aderat, se stitit, & humiliter ad pedes Ipsius se abjecit, ... lacrymis pientissimè illos abluit : unguento pretioso eos-dem inunxit, capillis capitis sui tersit; basiis mille humili-ter ac reverenter eosdem dissuaviata est. Idque in conspe-ctu omnium hospitum, fortè & *coram illis*, quibuscum die præcedente peccaverat.

Stude ANIMA MEA intellectu tuo consequentiam deducere, qualem è cognitione vitæ suæ sceleratæ elicuit Magdalena :fuítque; emendationem NON DIFFERRE vel ad punctum temporis,— Hinc non modò non posuit impedimentum emendandæ vitæ, verùm etiam, ut omnia obstacula vinceret, cœpit statim illud vincere, quod omnium difficillimum erat,nempe respectum humanum, quem & superavit. — Crede mihi, quòd primum omnium illi fuerit formidabile illud monstrum: QUID DICENT HOMINES? quid dicent familiares, videntes hodie compunctam humiliter, quam herì spectaverant animosè peccantem? poterat cogitare ab his contra se murmurandum, — sibi illudendum, — conviciis ac dicteriis se proscindendam? — hæc fortè & plura alia occurrerunt animo, — verùm contempsit illa, — novo mentis lumini conformiter statuit operari; — accurrit ad JEsum, & suprà memorata præstitit. — Interiora contritione sincerâ expurgavit, — externo scandalo satisfecit, palam se humiliando, actusque verè pœnitentis præstando coram eis, quos scandalizaverat. — Cogita hæc bene.

Postquam hæc maturè intellectu discusseris, reflecte ad te ipsam O ANIMA MEA! & fortè debebis erubescere, deprehendens te non fuisse operatam eodem modo.... O quoties turpitudinem tuam agnovisti?..... verùm non toties de ea doluisti, ... nec totidem vicibus te ad Christi aut Confessarii ipsius Vicarii pedes prostravisti, .. verùm multas meditata es dilationes..... Dixisti fortè, confitebor dum negotia mea expedivero, dum Confessarium ad gustum meum invenero, ... occasionem deseram, dum qui aut quæ illam præbet, morte vel loco me deseruerit, — verùm debeo attendere,ne mihi præjudicem, ... ne sermones hominum provocem,..... consuetudines malas emendabo, verùm sensim & lentè, ... omnia simul præstare nimis est operosum. ... Mundo renuntiabo, verùm dum fuerit è re mea, aut è re familiæ. .... Mores ac vitam emendabo,

dabo, verùm dum ad ſenium pervenero. ...... Hujuſmodi ſunt tua propoſita, verùm non talia fuerunt Magdalenæ. Actum fecit generoſum, magnanimum, heroïcum , ... ſimul ac ſemel omnes pedicas perrupit, ... non ipſa tardando, nodum ſibi aliquem gordium ſtrinxit. ..... Hanc imitare. ... Satìs habes luminis, .. ſufficientes remorſus, .. ſufficientem cognitionem, ... ſufficientes inſpirationes, ... ſupereſt tantùm, ut illis reſpondeas in opere. .....

Quare adhortor te, ut ex hoc puncto tẽporis incipias. Apprime pectori imaginem Crucifixi: millies ſacratiſſimos illius pedes oſculare: amoroſis ac doloroſis lacrymis eoſdem ſtude irrigare, & corde compuncto dic ſequentia;

Ergóne mi JESU ignavo torpore me ſinerem vinci , & cum fœda vulneratæ conſcientiæ meæ carcinomata tibi ſint aperta, ad te accurrere fugiam, qui potes, qui vis, qui deſideras eadem benignè curare? — concluſum eſt, omnem moram rumpere. — Quemadmodum cervus anhelat ad fontem ſtillantem aquas veneno viſcera ejus corrodenti pellendo à natura præparatas, ita ad te feſtino, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ properare volo. —— Illic quæram remedium peccatis meis , quæ heu nimis quàm pernitioſo veneno animam meam infecerunt , — adjuvante gratiâ tuâ generosè me opponam cuicunque, qui huic propoſito meo obſtaculum injicere quæſiêrit, — nominatim vincam puſillanimitatem meam, *quæ eſt effectus occultæ ſuperbiæ* , vincam difficultatem meam in reſolutione, — vincam timorem, — & malam verecundiam, .. vincam reſpectus humanos. —— Hæc omnia in unum faſciculum colligata , ponam ad pedes tuos , in ſignum trophæi per gratiam tuam reportati , quo firmiſſimè ſtatuo, quòd deinceps te nolim offendere, verùm ferventiſſimè tibi ſervire.

Conſidera, qualenam ſit obſtaculum , quod te maximè impedit, ne acceptis à Deo inſpirationibus obſequaris. Dein heroïcè conclude illud è medio tollere. Ita

victo hoste maximo, ab omnibus inimicis tuis celerèm reportabis victoriam.

PUNCTUM III.

Christus sibi complacens in heroicis actibus Peccatricis pœnitentis, remisit illi peccata sua: & elogium ipsi tribuit, quod futurum illi esset proprium ac speciale. Remittuntur ei peccata multa, quoniam *dilexit multùm.*

Q*uid videtur tibi* O ANIMA MEA *de hac liberali ac generali Remissione, quâ Christus Magdalenæ omnia peccata sua condonavit?.... Rumina hæc, discurrendo per intellectum, & invenies hanc esse evidentissimam probationem flagrantis illius desiderii, quo Christus desiderat solvere peccatorum laqueos, quibus homines tenentur adstricti..... Quale si Christus habet, cur illud experiri differs?......*

Macte, ANIMA MEA, macte, ... quotcunque tibi scelerum conscia fueris, fortè nec numerum nec gravitatem eorum accedunt, quibus Magdalena adstricta fuit..... Sed & si plura ac ampliora fuerint, scito misericordiam Dei infinities esse majorem, non solùm tuis, sed & omnium facinorosorum criminibus......Quare heroïcum tantùm actum elice, & non leve tibi ipsi gaudium conciliabis...... Scias certò, quòd Magdalena, visâ tantâ Christi misericordiâ, propositum suum millies laudârit: laudavit relatam de respectu humano victoriam,..... benedixit puncto illi temporis, quo omnia sua peccati instrumenta oculos, labra, capillos, unguenta &c. convertit in instrumenta pœnitentiæ;.... quoniam remissio peccatorum merces est omni pretio digna. ..... Procide itaque rursùm ad pedes Christi, & sequens institue Colloquium:

Quæ conditio ô mi Deus! dura mihi videri potest; dummodo medium sit ad obtinendam à te peccatorum meorum

meorum remiſſionem? nulla ſanè,... quare; ecce depono ad pedes tuos, quidquid habeo, modò tantam gratiam poſſim conſequi..... Sum ego Anima illa, cui proprius titulus eſſe poſſit: PECCATRICIS non ſolùm domi, ... in communitate, ... in civitate, quam incolo, ... verùm & in toto orbe, ... ego ſum ac fui anima peccatrix, ... quia malitiosè (*volendo malum, quod cognoſcebam*) peccavi, & tam multis fui occaſio peccandi; .... interim tamen ſpero à te clementiam, qualem exhibuiſti Magdalenæ; quia animo contrito illam imploro, ... imploro illam cum gemitu cordis mei, imploro cum lacrymis oculorum meorum, ... imploro cum rubore vultûs mei, ... imploro illam cum humilitate ſpiritûs ac corporis mei, ... ſpecialiter imploro illam proteſtando, quòd quantum ad tui offenſam contribui, tantum velim convertere ad obſequium tuum; .... offendi te per ſenſus corporis mei, ... convertam illos ad honorem tuum deinceps, ... talenta naturæ ad te offendendum adhibui, ...convertam uſum illorum in ſervitium tuum, ... offendi te abutendo amicis, ... curabo, ut mecum tibi ſerviant; ..... offendi (*heu nimis verum eſt*) in omnibus creaturis, ... conabor te honorare in omnibus, ... oblatâ hâc ſummâ (*parvâ quidem, ſed quantam habeo*) non aliud deſidero, quàm à te audire: REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA, VADE IN PACE.... hoc obtento, felicem me ac beatam! .... O feliciter abdicatæ voluptates! .... ô bene abnegata deſideria! .... ô feliciter calcati reſpectus humani! .... ô bonam mutationem, dum deſinam eſſe mea, & fiam tua, ... dum deſinam eſſe peccatrix, & fiam pœnitens.

ORATIO.

Preces noſtras, quæſumus Domine, Beatæ Mariæ Magdalenæ glorioſa merita tibi reddant acceptas, cujus oblationis obſequium unigenitus Filius tuus tam clementer ſuſcepit impenſum.

ORA-

ORATIONES JACULATORIÆ,

Adhibendæ ut dictum aliàs pag. 147.

I. Oculi mei deducant fontes lacrymarum. II. Renovabor ſpiritu mentis meæ, & induam novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt. III. Contritio & infelicitas in viis peccatorum, & viam pacis non cognoverunt. IV. Sicut regnavit peccatum in mortem, ità & gratia regnet per juſtitiam, in vitam æternam per Chriſtum. V. Gratia Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro. VI. Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt. VII. Sicut abundant Paſſiones Chriſti, ità & per Chriſtum abundat conſolatio. VIII. Quæ mihi priùs fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. IX. Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. X. Veniſti JEſu ſalvos facere peccatores, quorum ego ſum primus; ſed ideo miſericordiam ſum conſecutus, ut oſtenderes in me omnem patientiam. XI. Deus, Deus pœnitentium; in me oſtende bonitatem tuam. XII. Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & non ſum dignus intueri, & aſpicere altitudinem cæli.

Finitâ Meditatione oſculare terram, & dic: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave. Examina ſucceſſum meditationis, annota lumina & propoſita tempore deſignato. Et in reliquo diei obſerva additiones proprias ſecundæ ſeptimanæ, ut dictum pag. 235. in Exercitio de Regno Chriſti. Atque hìc deſinunt Meditationes deſumptæ ex ſecunda ſeptimana, quæ ad hoc ordinantur, ut homo ſtatuat amplecti virtutes cuivis Chriſtiano communes, deſumpta è Vita privata Chriſti.

Compendium Meditationis ſuperioris.

I. Magdalena cognitâ peccatorum ſuorum malitiâ, ſtatim quæſivit remedium.

II. Superavit omnem reſpectum humanum.

III. Et veniam peccatorum à Domino obtinuit.

EXERCITIUM XIX.
DE PASSIONE CHRISTI.
In genere, quæ ſpectat ad tertiam ſeptimanam Exercitiorum Spiritualium, juxta ideam S. Ignatii Lojolæ.

Ingrediens mundum JEſus dicit : hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptâſti mihi. Holocautomata tibi non placuerunt; tunc dixi, ecce venio. ad Heb. 10. *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* Iſai. 50. *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput. Circumdederunt me vituli multi : tauri pingues obſederunt me; conſilium malignantium obſedit me : foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Pſal. 21. *Chriſtus JEſus venit peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* 1. ad Timoth. 1. *Quid retribuam Domino pro omnibus? Calicem ſalutaris accipiam.* Pſal. 113.

EXERCITIUM.
Trium animæ Potentiarum pro Meditatione. De PASSIONE CHRISTI in genere.

A Verbis prædicationis ad opus paſſionis archiſtrategus noſter deſcendit : ut viſis illis, quæ ipſe paſſus eſt, nos perduceret AD FINEM, ad quem ſumus conditi, & nos animaremus ad ſubeundos etiam dolores, qui ex parte noſtra requirerentur. Hic ſcopus eſt S. Ignatii in meditationibus de paſſione Chriſti. Ideoque præmiſit meditationem de duobus vexillis, quam illuc ordinavit, ut, qui obit Exercitia, ſtatuat Chriſtum Ducem ſuum ſequi ceu pugil fidelis; cujus laus præcipua eſt, nullâ occurrente adverſitate Ducem ſuum, præliumque dimittere. Et ita Chriſtus opus redemptionis noſtræ, non dimiſit, quâcunque etiam incumbente adverſitate: id quod in genere

elucidabo in hac meditatione : in altera ampliùs illud præstabo in particulari.

Fructus è considerationibus Intellectûs & affectibus voluntatis eliciendus erit, concipere Spiritum sinceræ gratitudinis, adversus amorem, quem Jesus ostendit volendo abundanter pati pro redemptione nostra. Ad hunc obtinendum dic breviter : passio Domini nostri Jesu Christi sit semper in cordibus nostris.

Antequam meditationem ordiaris, imaginare tibi, quòd videas Jesum orantem in monte oliveti, offerentem se Patri æterno in sacrificium pro salute mundi. Reliquæ præparationes fiant; uti pag. 32. & 34. in prima parte operis notavi.

Monitum.

MEditatio hæc usque ad illam de conversione boni latronis pertinet ad tertiam septimanam Exercitiorum juxta ideam S. Ignatii. SCOPUS illius est hominem corroborare adversus omnes contradictiones internas & externas corporis & animæ, quotquot occurrerint ad nos impediendos à consecutione FINIS, ad quem creati sumus. Additionis, quas huic tempori proprias S. Ignatius observandas præscribit, tres sunt.

Prima quòd circa missæ & vesperarum tempus (supposito quod Exercitia protrahantur ad integrum mensem) facienda sit repetitio duarum meditationum, sunt autem *juxta libellum S. Ignatii : ista de cœna facta discipulis, & altera de iis, quæ acciderunt super cœna.* Et porrò ante cœnam facienda applicatio quinque sensuum [prout etiam monstratum in meditatione de inferno pag. 170.] ubi semper oratio materiæ meditandæ conveniens præmittenda, de qua dicitur in Instructione Directoris paragrapho 48.

Secunda quod mutandæ sunt ex parte additio *secunda* & *sexta*, siquidem quod ad *secundam* spectat, ubi fuero experrectus, præcogitans, quò tendam & instantem contemplationem paululum delibans interim dum surgo & accingor, adnitar simul ad tristitiam & dolorem de tot ac

tantis pœnis me ipſum acriter incitare. Quoad *ſextam* verò ſuffugiam potiùs, quàm quæram aut admittam jucundas cogitationes, licèt alioqui utiles & ſanctas : ut ſunt de reſurrectione Chriſti & gloria. Pro quibus in meditanda ejus paſſione angores ac pœnas hauriam ex frequenti eorum recordatione, quæ ab hora ſuæ nativitatis ad exitum uſque vitæ ipſe perpeſſus eſt : *hucuſque S. Ignatius.* Pauca tantum myſteria Paſſionis Dominicæ hìc ponam, ſi quidem tempus præfixum, paucorum eſt dierum.

PUNCTUM I.

Chriſtus voluntariè acceptavit paſſionem ſuam, ut Divinæ Juſtitiæ pro peccatis hominum ſatisfaceret, & ſalutem iis obtinet ; ut ita hi ad finem creationis ſuæ poſſent pertingere.

SI tibi fortè O ANIMA MEA ! *Veritas propoſita videatur incredibilis, velim intellectu eandem diſcutias, & ad lineolas ſubſiſtendo, conſideres, quantum fuerit motivum à quo Perſona tam nobilis ad eligendam tam doloroſam paſſionem inducta fuerit*... Conſidera quale illud fuerit... Fuit æterna hominum ſalus, & ſatisfactio Deo ab his offenſo præſtanda. Iſtud magnum eſt hominum bonum... alterum non poterat præſtari à pura Creatura ... etenim certè nec potuiſſet ſatisfieri, licèt omnes ſancti preces ſuas conjunxiſſent... omnes martyres tormenta ſua... omnes confeſſores Pœnitentias ſuas... Ipſa Mater Domini incomparabilem meritorum ſuorum cumulum... *quid porrò?* licèt Deus totidem mundos, quot numerantur arenæ maris, creaviſſet ; eoſdemque compleviſſet animabus etiam ſanctioribus ac perfectioribus ipſâ Dei parente... & licèt omnes iſtæ animæ per milliones annorum plus ſingulæ fuiſſent paſſæ, quàm omnes martyres ſimul, & in ſatisfactionem hæc omnia Deo exhibuiſſent, non ſatisfeciſſent tamen Divinæ juſtitiæ vel pro unico peccato mortali, minùs pro peccatis hominum innumerabilibus... idque, quia injuria Deo illata à nulla pura creatura eſt compenſabilis. conſidera hæc bene..., dein crucifixum pectori adſtringe, & dic toto cordis affectu.

Quas tibi gratias debeo O Redemptor mundi, pro infinitâ tuâ erga me charitate? .... Erga me inquam, nam licèt ſanguinem vitamque pro omnibus redimendis profuderis, nihilominus ſcio, quod me ſpeciatim in doloribus tuis conſideraveris, eoſque pro ſalute mea obtuleris; — ſcio, quòd etſi unicus ego peccator fuiſſem, nihilominus in tantùm à te dilectus fuerim, ut vel ad me ſolum ſalvandum, mortem non fuiſſes recuſaturus. Unde agnoſco, quòd quemadmodum minimus floſculus non minùs; quàm integra ſylva, omnes vineæ, prata, campi, obligatus eſt ſoli pro omnibus diſperſis in ſe radiis — ita & ego unicè tibi obligatus ſum pro omnibus cruciatibus paſſionis tuæ ... ego pro omnibus doloribus cordis tui afflictiſſimi ... ego pro omnibus injuriis honori tuo illatis ... ego pro omnibus ictibus ſacratiſſimæ carni tuæ inflictis ... ego pro omnibus impactis faciei tuæ colaphis ... ego pro omnibus ſpinis vertici Sanctiſſimo infixis ... ego pro omnibus ſub trabalis crucis pondere factis greſſibus ... ego pro omnibus impulſibus clavorum, quibus manus ac pedes ſunt terebrati ... ego pro omnibus guttis lacrymarum & ſanguinis ex oculis ac corpore tuo diſtillatis ... quare ſpecialiſſimas tibi grates reddo, tanquam meo, meo ſpecialiſſimo Redemptori; & tibi confiteor: *Tu es Redemptor* MEUS, *tu Salvator* MEUS, *tu JEſus* MEUS .... unde ſi cælum obtinuero, modo ſpeciali propterea TIBI ſum obligatus.

Statue hìc illo modo vivere, ut pretioſus à Chriſto, tanto cum amore, pro te profuſus ſanguis ad ſalutem tibi proſit. Non proderit autem, ſi defuerint bona opera. Quare conſidera hìc quid illud ſit, quod poſſit eſſe in cauſa, cur tibi non proſit, & omni ſtudio illud evitare propone: ne te pereunte, funeſta illa verba Chriſtus cogatur dicere. *In vacuum laboravi, & vanè fortitudinem meam conſumpſis*, Iſaiæ 49.

PUNCTUM II.

Poterat JEſus leviſſimo quovis opere, etiam unico ſuſpirio

pro

pro omnibus generis humani peccatis abundanter satisfacere, & ita ipsos salvare.

POterat hoc *JEsus* O ANIMA MEA, *poterat indubitatè: hoc intellectu expende, & veritatem agnosces.* Quia enim illa procederent à persona infinitæ dignitatis, meriti essent infiniti — interim voluit meritum redundare, ut satisfactio sua non solùm esset sufficiens verùm copiosa. *Copiosa apud eum redemptio* — nec aliam ob causam, quàm ut suum erga nos amorem, qui ad multa & ardua amore nostri toleranda ipsum stimulabat, ità expleret: ideoque inquit S. Bernardus: *Quod satis fuit passioni, non fuit satis dilectioni.*

O quæ materia causaque ut in abysso confusionis te abscondas O ANIMA MEA! — Sic Deus te dilexit, ut pro necessitatibus tuis cruciatus sit amplexus superabundantes, & excessum elegerit — tam caro te emit, te redemit, ut amorem erga te suum testatum tibi faceret, cùm multò minoris te redimere potuisset — & quidem cùm te nosceret peccatricem: *Cùm adhuc essemus peccatores, dilexit nos*, præviderat te tam ingratam fore, ut iteratis peccatis eum, denuo, quantùm in te est, crucifixura esses, *Rursus crucifigentes sibi ipsis filium Dei* — O impia — erubesce, confundere, dole, & ad pedes illius prostrata, sequens institue colloquium.

O dulcissime mi Redemptor! quem te video hìc in cruce pendentem diffamatum... excruciatum... moribundum... & dolorum ac tormentorum vi tandem extinctum ... si pœna è tot pœnis composita pro salute mea fuit necessaria, lubens ut ita loquar accepto ac probo, quod tu tam lubens exhibes - verùm si superabundavit tam multa, & etiam longè minor passio, submergor in abysso charitatis illius, quæ tanta & plura pro me voluit pati — Itáne ergo tantopere ego à te amor? — & tu tam parum à me? ... & quandonam punctum aliquod obligationis meæ in servitio tuo præstiti magìs amore tui quàm proprii commodi studio? — & non timore inferni magìs, quàm ex

grato in amorem tuum animo? — ah nimiùm verum mi JEſu, quod ſæpius tranſgreſſus ſim obligationem meam, præcepta tua non obſervando, quæ quando ſervavi, viam ſemper commodiorem quæſivi.. rarò elegi pati amore tui .. ſi quandoq; concepto fervore, modicum paſſus ſum, illico laſſatus, non perſeveravi... ſi etiam mortificationem aliquam communem conſtanter ſuſtinui, magnũ aliquid pro te me præſtare putavi. O me dementem, & amore proprio excæcatum! O me ingratum! .. quomodo me audeo tibi comparare?.. me peccatorem tibi innocenti... me debitorẽ infinitis debitis obligatum, tibi creditori meo maximo? verùm licèt hucuſque tibi tam abſimilis fuerim, talis non ero deinceps... odio habebo carnem meam peccatricem... curabo, ut patiatur, & ita correſpondeat carni tuæ innocentiſſimæ... pati volo non timore inferni, non ſpe cæli, ſed ut gratus ſim paſſioni tuæ, quâ charitas tua (modo adeò ſuperabundanti) voluit ſalutem meam procurare.

Propono conſtantem aliquam mortificationem adhibere, ex grato animo in Chriſtum patientem. Talis eſſe poteſt; jejunium in feria Sexta, geſtatio cilicii, uſus diſciplinæ, largitio eleemoſynæ: ſæpius terram oſculari, nudis genibus recitare officium S. Crucis; à licita etiam recreatione abſtinere, & ſimilia.

PUNCTUM III.

Tres conſequentiæ valde practicæ è duobus præcedentibus punctis ſequuntur. 1. Maxima æſtimatio æternæ ſalutis. 2. Par apprehenſio malitiæ peccati. 3. Firma ac viva perſuaſio, quod amore Chriſti, nihil nimium facere poſſimus.

DE *tribus hiſce conſequentiis à memoria propoſitis diſcurre* O ANIMA MEA! *per intellectum tuum, magna enim illius eſt neceſſitas.* Quantum ad primam conſequentiam, quæ eſt: *Magni æſtimare ſalutem ſuam*: ſatis commonſtravit Chriſtus, quòd illa magni ſit æſtimanda... profectò curam ſalutis tuæ, non tantopere ſibi corde ſumpſiſſet, niſi ſalus tua poſt ſe traheret æternitatem, vel in paradiſo vel in inferno... quæ cùm tanti ſit momenti, ipſe in æternæ ſapientiæ ſuæ conſilio concluſit, mori pro una tibi

bi promerenda, & pro altera avertenda... & tu interim quantopere à tanto commodo tu es aliena... quid pro salute facis? quid omittis? quid pateris? ... considera bene... & scias, quòd, quidquid amaritudinis occurrit, pro ea sorbendum meritò alacriter, & à dulcedine quavis libenter amore illius abstinendum sit. — *Quantum ad secundam consequentiam, quæ est, è passione Christi colligere & apprehendere graviter malitiam peccati*: Confunderis omnino, si oculos in ea liceret defigere, quæ Jesus passus est, ad satisfaciendum pro commissis à te peccatis... tu parum adeò ob illa affligeris, & Christus tam multùm... tu tam leviter ea in te castigas, & tam acerbè patitur in se illa vindicari Christus... tam frigidè de illis doles... & tot lacrymas tantum sanguinis iis abluendis effudit Christus... & interim non ille ea patravit, sed tu ... *Quantùm ad tertiam consequentiam*, dic, amabò, quid facis amore Christi... quid pateris pro ipso?... quantopere ea, quæ ipsi placent, gloriamque illius cordi tibi sumis... nunquid es ex iis, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi... modò tibi satisfiat, Christo accedat complacentia nec ne, parvi habes... modò, tibi non præjudicetur, omnia bene si Christo præjudicetur, nihil refert... quod si es ejusmodi, arripe crucifixum, & dic illi.

O Domine mi pro me crucifixe! confiteri debeo, quod nimis quàm malè amori tuo responderim... quàm indignus ego miles tuus!... quàm delicatus... parum fui Ducis mei studiosus... parum intentus muneri illi, ad quod tu me in finem salvandæ animæ meæ vocavisti... parum sollicitus de exemplis tuis sequendis .... video te hìc à planta pedis usque ad verticem capitis amore mei laniatum, & me pro te nihil passum esse video... multa toleravi ad implendas concupiscentias meas: imò ad Dæmoni placendum... si quid amore tui quandoque sustinui, quantùm non hoc exaggeravi! non ita fecerunt sinceri servi tui — non ita veri pœnitentes in cavernis sepulti — confessores in claustris reclusi, aut in deserta retrusi post solitudines,

jeju-

jejunia, cilicia tolerata?... Martyres post toleratos carceres, catenas, equuleos, bestias, flammas se nihili fecisse, quin & debito se suo defuisse protestati sunt Exclamantes: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere*, non fecimus..., & ego te in cruce cernens expirantem, vivo in deliciis, lautitiis, mollitie; & talibus te offendo.... aspice nunc me toto corde contritum.... Nunc in honorẽ dolorosæ passionis tuæ, quæ planè est sensibilis; sensus meos, *animo delicta eorum castigandi*, statuo mortificare, maximè visum, auditum, gustum, tactum; utpote instrumenta potiora offensæ tuæ.

Ut proposita tua diligentiùs observes, comprimis consulo frequentem memoriam Passionis Dominicæ: *Reminiscentur, & convertentur omnes fines terræ.* Hæc ipsa recordari tantùm non est se convertere. Lege omni die Veneris, modò ex hoc, modò ex alio Evangelista caput aliquod de passione Christi.

Oratio.

Respice, quæsumus Domine, super nos, pro quibus Dominus noster JEsus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum.

ORATIONES JACULATORIÆ.

I. Propter me, & propter salutem meam crucifixus es O JEsu. II. Christus factus est pro nobis maledictum. III. Emptus sum pretio magno. IV. Quis mihi tribuat, ut moriar pro te O JEsu. V. Dedisti temetipsum pro peccatis nostris, ut eriperes nos de præsenti sæculo nequam. VI. Respice & videte, si est dolor sicut dolor meus. VIII. Consolantem se quæsivit, & non invenit. IX. Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ. X. Ut servum redimeres, O bone Deus, tradidisti filium. XI. Christo in carne passo, eâdem cogitatione armabor. XII. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. XIII. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.

Finitâ meditatione osculare terram &c. Compendium ipse collige.

CATA-

CATALOGUS
DE
VIRTUTIBUS
Quibusdam Christianis magis
HEROICIS,

Quales specialiter consistunt in agendo & patiendo pro salvanda anima propria, & adjuvando etiam Proximo.

QUemadmodum dedi Catalogum Virtutum omnibus communium *suprà de Vita privata Christi*, ita post Exercitium præcedens de Passione Christi in genere suggerendum duxi alterum, quo exprimantur Virtutes magìs spectabiles, & ut ita dicam, heroïcæ. Atque talis hoc loco quadrat: etenim si, qui vacat Exercitiis, Christum Ducem sequi statuit in Meditatione de duobus Vexillis, ex præcedenti concluditur, quòd eandem vivendi methodum, utpote jam adscriptus pugil amplecti debeat, quam ille palam professus est, & exemplum præmonstravit. Quis autem numerum inire poterit Virtutum omnium, quas in Passione sua comprobavit? nemo sanè; quod licèt negare non possim, aliquas tamen hìc adductas vide:

I. Est Resignatio in manus Dei & in sanctissimam ejus voluntatem, etiam in iis, quæ non sunt præcepti, sed puri consilii.

II. Exspoliatio omnis proprii commodi, bonorum, reputationis, honoris & vitæ pro lucrando cælo, proximo & gloria Dei.

III. Sancta insatiabilitas dolorum ad sensum S. Fran-

cisci Xaverii, qui dicere solitus, dum agebatur de patiendo pro gloria Dei: *Plus Domine, plura.*

IV. Generosa è contrario repudiatio omnis consolationis humanæ, nunquam defectum ejus, sed abundantiam potiùs causando, sive posita fuerit in sanitate corporis, sive in approbatione actionum nostrarum ab aliis, sive etiam in spiritualibus animæ solatiis; dicendo tunc, dum Dominus internis animam deliciis recreat, cum eodem S. Xaverio: *Satis est Domine, satis est.*

V. Despectus sui ipsius, non solùm eum perferendo, sed etiam desiderando: ita ut consideratis miseriis & vilitate suâ dicat quis sincerè: *Vermis sum, & non homo.* Hinc & contemptu sui obveniente, contemptum & ignominiam sibi deberi æstimet: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus:* utì pius Latro exprobrabat impio.

VI. Gloriatio in Cruce: patiendo libenter sine sua culpa: *Nos gloriari oportet in Cruce Domini nostri JEsu Christi.* Ut in adversitate nunquam ex ore prodeat illud infirmi spiritûs testimonium: *Si quidem malum hoc fuissem meritus, tacerem, verùm doleo, quòd innocenter pati debeam.* Hinc maximè Crux Christi gloriosa, quòd innocenter in ea expansus fuit

VII. Gaudium de contradictione in bonis operibus, quâ etiam domestici oblatrant, & malè compensant. Unde tantò majus in altera vita, quantò minus in præsente præmium respondet. Miser, qui præmio temporali contentus, perdit æternum; unde à Deo dicatur: *Recepisti bona in vita tua.*

VIII. Contemptus rerum omnium amore Christi: *Omnia arbitratus sum, ut stercora, ut Christum lucrifaciam:* dicebat S. Paulus: idem sentiendum cuivis volenti Christum sequi.

IX. Sufferentia incommoditatum pro animabus lucrandis: *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem*

con-

consequantur : dicebat idem S. Paulus ; idem dicendum ab his, qui non S. Paulum , sed Christum ipsum imitari profitentur. Lucrum unius animæ , imò & peccati unius mortalis propulsatio sufficienter omnem patientiam compensat,

X. Constantia in bono, quam nulla valeat circumstantia evertere. Quare, qui Christum Crucifixum sequitur , debet posse cum Aopstolo dicere : *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* (sicut scriptum est) *quia propter Te*, amore tui & pro obsequio tuo *mortificamur tota die. Sed in omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* De Christo loquitur, qui calicem omnis amaritudinis amore nostri exhausit. *Certus sum enim, quoniam neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque futura, neque creatura ulla poterit separare à charitate Dei, quæ est in Christo JEsu Domino nostro.* Quod si Exercitans , maximè sectator instituti Apostolici ex hac parte sibi deesse deprehenderet, cuivis minimo incursui, contradictioni, aut ingratitudini, contemptui, aut operum suorum improbationi cederet, si his inquam frangeretur : miserum sanè est, quòd rubore ac pudore totus suffundatur.

XI. Legat talis Vitas SS. Apostolorum, & Passiones SS. Martyrum, Legat Gesta SS. Confessorum , & comprimis eorum, qui saluti proximi procurandæ vacârunt : videbit stomachum his plus quàm struthionis fuisse ad omnis adversitatis ferrum decoquendum. Qualia legere profuerit & multis aliis , ne sibi solis tales putent adversitates tolerandas occurrere : discent enim similes esse communes illis, qui sunt ejusdem secum professionis : Quemadmodum nempe præliantibus in bello proprii sunt adversarii, qui armis ipsos impugnant.

XII. S. Ignatius in Regulis suis sequentem posuit omnibus Religiosis suis communem. *Diligenter animadvertant oportet (magni faciendo, summique momenti id esse ducendo in conspectu Dei Creatoris ac Domini nostri) quantopere juvet ac conferat ad vitæ spiritualis profectum omnino & non eâ parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur & admittere & concupiscere totis viribus, quidquid Christus Dominus noster amavit & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt & quærunt magnâ cum diligentiâ, honores scilicet, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos docet, sic qui procedunt in Spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum sequuntur, amant & ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria sunt, indui nimirum eâdem veste ac insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reverentia: adeò ut si sine offensione ulla Divinæ Majestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia & injurias pati: ac stulti haberi & existimari (nullâ tamen ad id per eos datâ occasione) eò, quòd exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum JESUM Christum, ejusque vestibus & insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter majorem profectum nostrum spiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad ejus fieri poterit Divinâ gratiâ aspirante, eum imitari & sequi, cùm vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.*

XIII. Ante S. Ignatium S. Paulus loquens de Christianis athletis, qui ante Christum vixerunt freti spe & exspectatione præmiorum, quæ Christus erat promissurus, animati item exemplo, quod ille erat daturus, ad Hebræos cap. 11. scribit sequentia: *Alii distenti sunt, non suscipientes redemptionem* (id est nolentes liberari) *ut meliorem invenirent resurrectionem, alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus non erat dignus mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.* Deinde cap. 12. ad excitandos

excitandos Christianos primitivos ad imitationem Heroum illorum, ait: *Ideoque & nos* (quod sibi applicet Exercitans) *tantam habentes impositam nubem testium, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem, ut ne defatigemini animis deficientis. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversùm peccatum repugnantes: & obliti estis consolationis, quâ vobis, tanquam filiis loquitur, dicens: Fili, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis offerat vobis se Deus, quis enim filius, quem non corripit Pater? Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt, omnes ergo adulteri & non filii estis.* Et quis sæcularis homo recusare audet Magistri sui disciplinam aut correptionem? profectò, qui talem recusat, manifestum est, quòd proprio suo commodo invideat. Applica hæc tibi.

XIV. Id, quod de veteris illis testamenti athletis S. Paulus commemoravit, ampliùs se ipsum probavisse testatur. Etenim 2. Cor. c. 11. dicit se fuisse in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter à Judæis quinquies quadragenas unâ minùs accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum: periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo

omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur; & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? &c.

XV. Faustinus Lombardelli, qui mel totum Exercitiorum spiritualium exprompsit, mysteria Passionis Christi, & particulares ipsius cruciatus pariter applicavit materiæ honoris, ingratitudinis, incommoditatis, cæterisque, quæ indies occurrunt illi, qui Christi militiæ se dedicavit. Quod pro utilitate legentis hìc insinuâsse sufficiat, ne nimis prolixus fiam.

XVI. Libellus etiam de imitatione Christi, abundat spiritualibus etiam lectionibus illis, quales hìc requiri possent. Multùm illo usus est Sanctus Ignatius, & usum illius Ordinis sui Religiosis valde commendavit: qui & insigniter per viam Crucis ductus fuit, maximè illius, quæ posita est in sinistra interpretatione bonorum operum; quorum tam multa ipse exercuit in vita sua. Verùm consideratâ Vitâ Christi, de quo Sanctus Senex vaticinatus est: *Positus est in signum, cui contradicetur*, non recusavit vestigiis ipsius insistere. Illud universum verum maneat: Omnes, qui piè vivere volunt in Christo; persecutionem patientur. Non illis est satis, quocunque modo vitam Christianam ducere; verùm hi eam specialibus virtutibus, & insigni Sanctitate illustrare conantur: sæpè confitendo, sæpe communicando; abstinendo à superflua conversatione, & piis se operibus communicando. Unde Sanctus Gregorius Papa lib. 6. epist. 191. ad Naatan inquit: *Fidenter dico; minùs piè vivis, si minùs persecutionem pateris.* Cujus præter cæteras, hæc est ratio, quia pietas magìs excellens, tudes est in oculis perfectorum, utì & qui in artibus excellunt, suos statim experiuntur æmulos: in quorum oculos dum aliorum incurrit præstantia, eos excæcat. *Et*

ideo

ideo nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. S. Leo *serm.* 9. *de Quadrag.* & concludit: *Sicut ergo totius est temporis piè vivere, ità totius est temporis, Crucem ferre.*

XVII. Illud verò occurrit potissimùm, dum quis ad emendationem & perfectionem aspirat: tum persecutio geminatur. Tum enim Dæmon ad arma provolat; milleque inventionibus alios excitat, qui pia opera, sanctasque intentiones carpant ac sugillent. Evenit & illud Christo; qui cùm peccatores ac peccatrices pro lucrandis eorum animabus frequentaret, improperatum est illi: *Peccatores recipit, & manducat cum illis.* Quod unum exempli gratiâ adduco, & pro cæteris Lectorem ad Historiam Evangelistarum remitto; ubi persecutionibus ac persecutoribus tota ipsius vita infestata fuisse deprehenditur. P. Renatus Rapin. Soc. JESU natione Gallus, libellum edidit inscriptum: De Perfectione Christiana. Commonstrat in eo perfectionem sitam esse in imitatione Christi, amantis humilitatem, obscuritatem, contradictiones, ad extirpandum nempe vitium superbiæ, quod Sathan tam profundè hominum visceribus infixit: Veritatis hujus intellectus, studiumque te exemplari tuo similem facere potens est. Præmii autem loco magnam consequêris animi tranquillitatem: inquietudo enim illius oritur è vitiis oppositis, dum quis nempe sectatur acclamationes, applausus ac approbationes hominum. O quanta miseria! & quidem tum maxima, dum quis amore proprio infatuatus, sub prætextu studii Divinæ gloriæ ac salutis animarum, talia quærit: quasi hæc media ipsi debeant esse ad hunc scopum suum pertingendi. Et Christus interim tantùm quæsivit gloriam Patris, & salutem hominum: opera-

tus

tus est, mediante humiliatione, contradictionibus, ignominiis, & contemptu. Noverit autem humana superbia; hæc medium illi fuisse tantæ exultationis, de quâ scribit S. Paulus: *Humiliavit semetipsum Dominus JESUS Christus factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* PROPTER QUOD DEUS EXALTAVIT *illum &c.* Qui itaque ad veram aspirat celsitudinem, sinat se à Deo exaltari per humiliationes, despectum, contemptum &c. Non verò circumeat per viam vanitatis ac gloriæ humanæ: Hæc ventus est inflans, sed non exaltans; quâ citò disparente, homo se reperit depressum & abjectum. *Sapientia humiliata,* id est, homo sapiens ac justus, non impius ille ac arrogantiâ cæcus, humiliatus *exaltabit caput.* Eccles. 11. Non verò attendendum, unde humiliatio adveniat; an ab inimico, superiore, an inferiore: ex bono motivo, an malo, nihil refert.



EXERCITIUM XX.

DE PRODITIONE JUDÆ.

Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis, Dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu. Psal. 54.

Monitum.

JEsus Dux noster non sinit se abstrahi à prosecutione operis sui; à promovendâ nempe gloriâ Dei & Redemptione humani generis pessimis amicorum suorum molitionibus. Tu qui obis exercitia, ad imitationem illius comprimis te hîc excitare debes. A domesticis licèt tuis, verbis, & operibus pessimè excipiaris, non propterea tibi remittendum à studio propagandæ Divinæ gloriæ, & salutis animæ tuæ.

EXERCITIUM
Trium animæ Potentiarum pro Meditatione.
DE PRODITIONE JUDÆ.

INter particularia passionis Christi mysteria, quemadmodum proditio Judæ Christo valde acerba, ita ad meditandum nobis videtur utilissima. Ab illo tanquam instrumento immediato, placuit bono JEsu ordiri passionis suæ tragœdiam. Omnibus quidem tradi ab amico acerbum est, Christo verò fuit illud acerbissimum. Quare ut attentè istud mediteris, obsecro.

Priùs quàm incipias, imaginâre tibi Judam se conferentem, jam ad hunc, jam ad illum scribam, ad Sacerdotes, ad Seniores, ex populo, omnes Christi adversarios, paratumque se offerentem, ad Jesum in manus eorum tradendum, si mercedem sibi ac pretium rependerint. Unde promissis sibi tandem triginta argenteis iniquum illud consilium suum explevit. Complectuntur scenam

istam verba Evangelistæ dicentis: *Tunc abiit unus de duo decim Judas Iscariotes ad Principes sacerdotum, & ait quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? at il constituerunt ei triginta argenteos &c.*

Fructus ex considerationibus Intellectûs & affectibu voluntatis eliciendus erit AMARE ET CONDONA RE *cuicunque, qui beneficiis ingratus gravem offensa rependit. Ad impetrandam fructûs hujus gratiã: dic an ticipatò.* Benefac illis, qui oderunt me. *Alias præparati nes obi prout notatum in prima parte pag. 32. & 34.*

PUNCTUM I.

Judas maximis à Christo beneficiis affectus, vili lucr se excæcari sivit, ideoque triginta eum denariis ven dens, hostibus suis tradidit.

QUid ad actionem tam indignam à memoria tibi mo dò propositam intellectus tuus O ANIMA MEA?. Quantumcunque malè etiam erga JEsum afficereris, intr puræ tamen humanæ civilitatis terminos sistendo deb fateri, actionem hanc esse planè absurdam... siste ad line las, & expende circumstantias. Proditio... O facinus tu pe! ... cœpta à discipulo...· O facinus ingratum! ... prod tio Christi veri Dei.... O factum sacrilegum! ... executio ni mandata præsente & spectante proditore.... O factu crudele! ...., prodit osculando. Et *osculatus est eum,...* factum perfidum! ... ut proditus occideretur,.. O factu diabolicum! ... pretio exiguo, quale est triginta argente rum... non suppetunt verba, quæ facti hujus turpitudin adæquent.... scelestius adhuc est, quod in hoc mercat Judæis facit optionem & transactionem liberam: qu vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Repugn hoc communi mercatorum consuetudini, qui quide non emptoribus pretium offerendum relinquunt, sed ip postulant. Proditori JEsum pro homine vilissimo repu tans, tam parvo æstimavit, eum triginta denariis parat transcribere, etiam minori pretio, si oblatum fuisset.

Ha

Has circumstantias dum mature perpenderis, concludere debes, quòd Judas aut parvi Personam Magistri sui fecerit.. aut si æstimaverit, & se non æstimare ostenderit oporteat inferre, quòd aut magno Redemptorem odio, aut magno lucrum suum amore prosecutus fuerit. Interim omnia hæc in magnam cesserunt Christi afflictionem; quam non effugit, sed parato animo suscepit: atque inde Christus suæ duxit passionis exordium, amarissimorum dolorum initium. Sed & pro te JEsus ista toleravit, quare voluntati tuæ sequens instituendum colloquium suggero.

Quis unquam O Rex cæli & terræ vel cogitare præsumpsisset, quod ad tantam esses redigendus abjectionem; ut personæ tuæ pretium vilibus triginta denariis taxaretur.... O Bonitas Redemptoris mei! qui ut tanto redderes pretiosiorem redemptionem meam, tam parvo æstimari sustinuisti.... quousque in Evangelico codice extabit character aliquis, quàm diu mundi cohærebit machina, semper in eo legetur: *Jesus Dei filius, seu vile sortis etiam infimæ jumentum, à Juda discipulo triginta argenteis, & non pluris fuit venditus.* Quid nunc habet arrogantia mea, quòd queratur, si subinde me parvi æstimari videns, doleam me non æstimari tanti, quanti me æstimabilem mihi stolidè fingo.... confundor meritò.... JEsus ad pretium tam vile tacet.... & ego omnia susque deque verto, dum in alterius animo non eò me ascendere adverto, quò ambitio mea optaret evadere.... Gratias tibi ago Domine JEsu pro me tam viliter vendite, qui amore mei tam probrosam humiliationem non recusâsti. Toto animo tibi gratias ago. Propono hoc humilitatis exemplum sequi.

Propone hic casus particulares humiliationis, quos fers indignius. Atque ut hujusmodi non solum patiente sed etiam hilari animo sufferas, uni hanc cum extrema hac Christi depressione, quam amore tui acceptavit: si que difficultatem repereris in humiliatione tui, dum deprimeris.

Ad eam superandam dic primò *& quomodo exemplum tantæ personæ non exstimulet me ad sui imitationem? Secundò & cur non amplectar animosè amore Servatoris mei humiliationem, quam ipsi placuit mihi submittere? crede mihi quod adhibitâ hâc industriâ, difficultatem omnem superaturus sis, nec à servitio Dei ob incurrentes similes adversitates destiturus.*

PUNCTUM II.

JEsus cœptam traditionem præcognoverat, nec voluit impedire, nec se vindicavit adversus traditorem.

PRæscivit traditionem, quis dubitet? & quis potuisset illi abscondere, cùm sapientiæ fuerit infinitæ?... Traditori ipsi suam hanc scientiam manifestavit, cùm in cœna audiret à Christo denuntiari, quod unus eum esset traditurus, subdolus ille fraudulenter eum interrogavit: nunquid ego sum Domine? JEsus autem illi respondit: *Tu dixisti.* Prænoverat ergo traditionem & traditorem.... non merâ eum conjecturâ tenebat,.. non purè suspectum habebat... sed sciebat... Interim non quæsivit vindictam..., Verùm & humanitate cumulavit... lavit ipsi pedes,.. dignatus est illum cum cæteris amicis suis mensâ... corpore suo sacratissimo eum cibavit: dumque perfido ab ipso osculo tradebatur inimicis suis: amici eum titulo dignatus est *Amice ad quid venisti?* Indignaris anima mea ad hanc narrationem: .... motivum indignationis tuæ est, quia JEsum indole tuâ metiris; ideoque considerans, quàm malè ejusmodi nebulonem fuisses excepturus, obstupescis quod JEsus tanta cum humanitate & amore eum exceperit.... Indignationem hanc tuam idem tibi ignoscat dummodo sufficienter æstimes exemplum à Magistro tam præcellente tibi relictum, illudque imitari statuas.... non nego quòd subterfugias habere ingratos, & apprehendas, si qui tibi re ipsa ingrati sint,.. etiam perfidi, etiam tui proditores... novi quòd nulla querela frequentiùs ab hominibus hodiedum audiatur, quàm hæc, quod non præ... r ipsis fidelitas, quod modò hic ab isto, ille ab alio f... no etiam amico sit proditus,.. Sed quæ hìc spes rel...

qua

qua?... An ut è medio ejuſmodi proditores tollantur?... At hoc fieri non poteſt... nullum itaque utilius, & magis practicabile remedium, quod nemini niſi fortè corruptis, & inordinatis paſſionibus grave accidere debet, ſupereſt quàm illud ipſum, quo Chriſtus uſus fuit; videlicet ingratos & proditores tolerare, eiſque benefacere. Medio hoc propoſito utere ad animum corroborandum; & ſequens colloquium ad JEſum traditum toto mentis affectu inſtitue.

Dulciſſime JEſu! qui quò atrociores injurias recepiſti, tantò beneficentior adverſus injurioſos fuiſti; proſterno me ad pedes tuos: cor tibi offero, quod magìs ingratum contra te fuit; quàm illud Judæ... cor illud cor meum eſt... dum ego immemor proditionis, quam amore mei omni cum manſuetudine toleráſti, nolo ingratitudinem aliquam æquo animo ſufferre, etiam à me ceu talem tantùm æſtimatam... & quæ comparatio O mi JEſu inſtitui poteſt inter ingratum tibi Judam, & inter quemcunque, qu ſit ingratus, & æquè infidelis ac ego:... & quantumvis ingratitudo & infidelitas Judæ ingratitudinem & infidelitatem meam ſuperaret, quæ comparatio inter te innocentem O mi JEſu! & inter me ſervum tuum, & peccatorem... Ego hoc titulo & motivo, agnoſco & confiteor me Judâ longè ingratiorem... Judas non viderat, quòd ignominiam, quam tibi inferebat, amore ipſius tolerabas; idipſum ego video, & mihi conſtat: interim tamen ego & interiùs dolendo & exteriùs lamentando, tantos ſtrepitus excito, nec ſtudio tibi placendi & te imitandi, poſſum me reſolvere, ad ignoſcendum illi qui ſe erga me vel leviſſimè ingratum exhibuit. Ignoſce Domine delicto hucuſque commiſſo, da gratiam me emendandi, quemadmodum & me emendare in poſterum firmiter ſtatuo; ſtatuo, dum ſimiles circumſtantiæ deinceps acciderint, ab exemplo tuo non recedere.

Recogita dein adverſus quos ob ingratitudinem tibi exhibitam

hibitam odium, aversionem, aut similes affectus animo foveas, statue cum ipsis amicè versari in verbis & operibus. Non est discipulus major Magistro, nec servus Domino, sufficit, si sit, sicut Magister. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, ut impleatur sermo, quia ODIO habuerunt me GRATIS.

O ANIMA MEA in hoc consistit gloria Christi, & discipulorum ejus: odio videlicet haberi, tradi, vexari; sed GRATIS, non datâ causâ, etiam ab iis, qui beneficiis devincti sunt. Cogita etiam, quòd injuria est illius, qui infert, non qui accipit. Post injuriam quippe illatam author ipse humiliatur (*exemplum habes in Juda in furca suspenso*) & qui injuriam accipit, exaltatur; uti ob hanc ipsam Judæ proditionem JEsus in cælis & in terris est exaltatus.

PUNCTUM III.

Christus proditione tam indignâ summè in animo afflictus, multum in aliorum æstimatione depressus, magno in Persona propria damno affectus fuit.

PArticularitates hasce O ANIMA MEA in memoriam tibi revocavi, ne tibi persuadeas nihil mali à proditione Judæ obvenisse Christo, multùm enim hinc mali obvenit ipsi.

Primò. Inde concepit in animo grandem afflictionem, conjunctam cum intensione doloris, qualem ipse voluit adoptare, & ideo valde penetrantem & acerbam; quam multis ante sæculis ut partem suæ passionis multùm considerabilem per Prophetam lamentans proposuit dicens: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*: si ab inimico iniuria hæc fuisset illata, ab adversario enim non nisi injuriæ & adversa expectantur.... *Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.* Et si grande illud malum

malum & verbis & opere executioni dandum, ab eo obvenisset, quem pro inimico potuissem reputare, forsitan me abscondissem, furori illius me subduxissem. — Verùm à persona tua mihi tam domestica & familiari, *tu verò homo unanimis*, cui curam peculii credideram, quem statueram œconomum meum, & dispensatorem eleemosynarum in sustentationem meam datarum, quem elegeram pro uno è duodecim strategis cum Apostolis cæteris ad debellanda vitia. *Dux meus*: & mihi charus. *Notus meus*, qui & contubernalis de quadra mea vivebas: *Qui simul dulces mecum capiebas cibos*: qui & in collegio Apostolico unanimis mecum ambulâsti: *in domo Dei ambulavimus cum consensu* — afflictionem hanc citatis verbis Davidicis bonus JEsus voluit exprimere. *Secundò* bono ejus nomini famæ & æstimationi, quam apud alios obtinebat, per hoc non parum detractum est; plures enim pro malefactore eum habere cœperunt, videntes quòd ipsum Discipulus, ipsius impatiens quasi malefactorem in manus justitiæ tradere statuerit — Denique tantum inde Personæ illius damnum illatum est, ut captivatio illius, & tota passionis series infamem hanc proditionem sit subsecuta — Nihilominus JEsus hæc omnia pertulit. — Et quare? *ut* dicente S. Augustino *cùm fueris proditus à sociis, derelictus ab amico, molestè non feras tuum errâsse judicium, perisse beneficium* — quòd malè beneficium collocâris — stude hæc bene intellectu penetrare, & dein sequens ad JEsum colloquium institue.

O amabilissime Jesu, qui à proditore tam vili, & ex traditione tam ingrata omnis generis incommoda retulisti, gratias tibi ago, quod tanto damno tuo doctrinam exemplo tuo mihi tradideris, cui, *licèt credere oportuisset*, fortè tamen ad sola verba tua non credidissem., proditoribus & ingratis mundus abundat... Non

itaque turbet, si & ego tales experiar... est merx hæc popularis... hanc magno æstimare debeo, quia occasionem mihi præbet me tibi assimilandi... æstimabo etiam, & in simili occasione me geram erga proditores meos benevolè sicut tu fecisti. *Amice ad quid venisti?* Obsequium tamen Dei, & commodum animæ meæ, conformiter statui, in quo me collocâsti, non negligendo.

Oratio.

Deus pacis, charitatisque amator & custos, da omnibus inimicis nostris pacem charitatemque veram & cunctorum eis remissionem tribue peccatorum.

I. Noti tui, & proximi tui à te longè recesserunt. II. Retribuerunt tibi ô Jesu mala pro bonis. III. Osculo traditus es O Jesu. IV. In labiis suis insultavit tibi ô Jesu inimicus tuus, & in corde insidiatus est tibi. V. Cum his qui oderunt pacem tuam ô Jesu pacificus fuisti. VI. Vicisti ô Jesu in bono malum. VII. Inimici tui fuerunt domestici tui, ô Jesu. VIII. Qui tinxit tecum manum in paropside, ille ô Jesu tradidit te. IX. Qui panes tuos edebat, magnificavit super te supplantationē. X. In medio scorpionum ambulasti ô Jesu. XI. Fuit tibi amicus solo nomine amicus ô Jesu. XII. Non reddidisti retribuentibus tibi mala ô Jesu.

Finitâ meditatione præsta præstanda, ut superiùs.

Compendium meditationis præcedentis.

I. Judas Jesum triginta argenteis tradidit. II. Malum nullum Jesus illi præstitit nec ante, nec post traditionem, verùm illi beneficit. III. Quanquam maximum hinc sibi damnum eventurum nôsset.

Monitum.

Sequentes meditationes de sex præcipuis mysteriis Dominicæ passionis aggredere cum animo propositum jam factum stabiliendi: strenum nempe agendi militem, stationem tibi commissam pro fidem Duci tuo servandi, pugnandi conformiter vitæ tuæ statui, nulli incursui cedendo. Exemplum Christi in occasionibus cedendi gravissimis, non cedentis, languorem tuum corroboret, animumque Christianum inspiret.

EXERCITIUM XXI.

De Tribus Mysteriis PASSIONIS CHRISTI, Quæ sunt e præcipuis.

Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum, quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum. Omnes nos, quasi oves, erravimus, unusquisque in viam declinavit, & POSUIT DEUS IN EO INIQUITATEM OMNIUM NOSTRUM. Isai. 53. Passio JESU Christi sit semper in cordibus nostris.

EXERCITIUM.

Trium animæ Potentiarum pro MEDITATIONE. *De tribus Mysteriis PASSIONIS, quæ sunt è præcipuis.*

ISaias loquens de Christo patiente, cap. 53. ait: *Disciplina pacis nostræ super eum*: quibus verbis vult insinuare, quod debita hominum peccatis æterna gehennæ supplicia, in sanctam JESU Christi humanitatem exonerata fuerint; cujus infinito merito & valore à cervicibus hominum pœna hæc depulsa, quæ propter durationem ÆTERNAM in inferno futura fuisset infinita. Quare non nemo affirmavit, quòd mons Calvariæ theatrũ fuerit publicum, in quo moriente Redemptore, *qui se pro delictis filiorum Adæ Deo vadem obtulerat*, palàm patuit, quale suppliciũ deberetur illi, qui per peccatũ mortale prævaricatur à FINE suo, ad quem à Deo conditus est. Supplicium illud in sex Mysteriis Dominicæ Passionis hic tibi proponitur considerandum, quæ majoris commoditatis gratiâ in hanc & sequentem meditationem dividentur.

Fructus, ad quem considerationes intellectûs, & affectus voluntatis ordinandi sunt, erit verum erga crucifixum amorem concipere : *ad hunc à Deo obtinendum dic breviter* : Crucifixi fige plagas cordi meo validè.

Specialem in meditationibus diligentiam adhibe, ut benè succedant. Si quæ tibi fuerit effigies Crucifixi, sæpe illam inspice, adora sæpe, sæpe osculare, sæpe gratias illi age. Adhibe etiam hac die cum Directoris tui consilio Pœnitentiam aliquam. Propone etiam emendationem defectûs alicujus in te magìs radicati, ut JESU de eo victoria tribuatur : plus etiam solito esto ab omnibus abstractus. Plura facilè pietas propria dictabit. Præparationes cæteræ fiunt, ut dictum in prima parte hujus operis pag. 32. & 34.

Motivum gratitudinis erga JEsum patientem insigniter te confortabit ad hoc, ut fidelem Christi militem agas, qualis quòd esse debeas, in præcedentibus tertiæ septimanæ Exercitiis, commonstratum est.

PUNCTUM I.

Æterna afflictio animæ, æterna fastidia, tædia, tristitia, debentur peccatori. Dabit tibi Dominus cor pavidum & animum consumptum timore. *Deut.* 28.

UT meliùs perspicias, quomodo JEsus in se hanc pœnam susceperit, imaginare tibi te esse constitutum in horto Gethsemani, quò Christus pro ultima vice oraturus confugit. Deinde discurre super eo intellectu O ANIMA MEA! & *sistendo ad lineolas* responde mihi : Nonne verum est, quòd Christus in horto, loco alióquin voluptatis, innocentissimam animam suam timori, tædiis, tristitiæ, angoribus torquendam tradiderit ? ... profectò verissimum, dicit enim Evangelista de ipso : *Cœpit pavere, tædere & mœstus esse...* Verùm ad quid obsecro tanti angores ? ... an fortè ipsum præter voluntatem suam tales corripuerunt ? ... nequaquam, ... voluntariè eos elegit, ut ab æternis inferni afflictionibus tibi debitis te eriperet. — Quæ enim amabò, ab externo violentia interna animi ipsius subir

potuiſſet ad eum torquendum ?.... nulla certè.... Ideoque ſe ipſum cruciandum dedit, initium facturus ſatisfactionis, qualem Patri ſuo æterno dare conſtituerat per pœnam aliquam, quæ & maximè afflictiva ; & nobilior eſſet omnibus, quotquot à materialibus carnificum inſtrumentis e- rant infligendæ, ideoque dignior Filio Dei, æſtuante deſiderio, ſatisfaciendi plenè Patri ſibi æquali. — Eum in finem intellectum ſuum, ac vivaciſſimam imaginationem tormentis ſibi ſufferendis applicans omnem eorum amaritiem ſimul ac ſemel exploravit deguſtavitque ... mentem in hac amaritudine defigendo, amaritudinem, ut ita dicam, exſuxit: .... adhibitaque intenſiſſima applicatione animi, repræſentando ſibi, quidquid acerbi poterat occurrere, ... nihil, quod dolorem mitigare, aut conſolationem afferre poſſet ; pœnam ſibi reddebat longè amariſſimam. *Se ipſum itaque JEſus, cùm oraret in horto Gethſemani, repræſentabat* (qualem prædixit Iſaias) *tanquam miſerrimum leproſum. Putavimus eum quaſi leproſum,— ô funeſtum ſpectaculum! — Tale oculis ipſius exhibebant omnia hominum peccata, quæ in ſe ſuſceperat, ut debitas illis pœnas perſolveret,—occurrebat omnis eorum turpitudo,— omnis ambitio,— omnes blaſphemiæ,— omnes rapinæ,— omnes vindictæ,— omnia homicidia,— omnes idololatriæ, — verbo omnia hominum peccata*, quorũ numerum quis inire poſſit niſi ſolus Jeſus, — ad ſpectaculum tam deforme (cujuſmodi nec Dæmon præberet, licèt uniret ſibi omnem fœditatem omnium animarum damnatarum, non enim illa accedit ad fœditatem peccatorum omnium hominum computando etiam ea , de quibus peracta eſt pœnitentia. *O quali horrore ultro eſt perculſus* ! —— *quæ non fulmina expavit à Deo, cui etiam unicum peccatum tam eſt abominabile? — potiſſimùm cùm ſciret, quòd quia ſe vadem hominum conſtituiſſet, & quia hanc oblationem Pater æternus acceptâſſet, ſeveriſſima cum juſtitia eſſet tractandus ſi in victimas oblati agni,— boves, — vituli,* — (figuræ tantummodo Chriſti ſacrificii) *manu Sacerdotis abſque commiſeratione dilaniati fuerunt, — quid non fuerit Deus exacturus ab ipſo figurato,* ——

 unde

unde Redemptor ultroneè conturbutus, complevit animum afflictione, timore, fastidiis hucusque ad meditandum tibi propositis... Prophetiam Davidis perfectè implevit, ita nomine ipsius loquentis. Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me, & contexerunt me tenebræ: contristatus sum & conturbatus sum in exercitatione mea ; QUONIAM DECLINAVERUNT IN ME INIQUITATES. Ps. 54.

Penetrabat porrò omnes Passionis suæ minutias, ... omnes plagas, ... omnes percussiones, .. omnes spinas, ... omnia sputa, ... omnes alapas, ... omnes derisiones. ... In quolibet horum tormentorum rabiem eorum, qui illa infligebant, aspiciebat, ... complacentiam, quam inde Dæmon primarius hostis ipsius percipiebat, ... excellentiam Personæ suæ, cui talia non conveniebant ; ... vidit traditionem Judæ,... negationem Petri,... fugam Apostolorum,... compassionem Matris suæ, ... triumphum hostium suorum,... præ omnibus, atrocissimam Dei offensam, quam adversarii ita ipsum tractando admittebant,... ingratitudinem tam multorum, qui sacratissimi sanguinis sui pretium conculcaturi, & culpâ suâ æternùm perituri essent. ... His aliisque consideratis, acerbissimâ agonia conflictatus, sanguinem copiosum sudavit. Neque tamen sic à complendo Redemptionis nostræ opere destitit.

Expende O ANIMA MEA ! *hæc omnia & singula tibi exposita: & cùm utcunque ea penetrâsse tibi visa fueris, condolentis cordis affectu sequens ad Christum institue colloquium.*

Bone Jesu, si in tanta scelerum multitudine, ... in tanta copia peccatorum, tot ingratorum, qui tunc oculis tuis observati fuerunt (dum in sublimissimam extasin raptus, te Patri æterno in victimam universalem obtulisti) me non vidisses unà cum peccatis meis atque perfidiis, compaterer tibi quidem ac condolerem, verùm non confunderer, ... cùm autem & mea delicta meamque ingratitudinem fueris contuitus,... quia propter hanc atque illa contristatus fuisti, ... quomodo non me pudeat, ... non erubescam

bescam,... non confundar ! .. ô quanta tui erga me amoris fuit teneritudo ! . . Hac ego confusione opertus non habeo, nisi ut toto tibi corde gratias agam pro internis à te toleratis angustiis,.. humillimèq; (*utò facio modò*) ingratitudinis meæ veniam postulem,... ut iniquitates meas castigare ac emendare proponã, cùm jam viderim, quod & illa ad angustias tam molestas concurrerint: non aliud superest,nisi ut grato animo proponam ob nullam animi afflictionem, melancholiam,tædium, acediam,apprehensionem ab obsequio tuo desistere.

PUNCTUM II.

Æterna etiam pœna corporis debita est peccatori, atque illud David hisce verbis indicavit: multa flagella peccatoris: *ut & pro illa JESUS satisfaceret, carnem suam pretiosissimam crudelissimè ad columnam flagellandam obtulit.*

REpræsenta tibi,O ANIMA MEA! JEsum in atrio prætorii nudatum vestibus, alligatum columnæ, deinde à pluribus ac cruentis carnificibus cæsum,.. flagellis aliis nodosis, .. aliis ex ferro & catenis, ... aliis spinosis,... à Dæmone aptatis, ut plagæ acerbiores evaderent, ... inflictis (*ut plurimi sancti Viri existimant*) sexies mille sexcentis sexaginta sex ictibus;...cùm JEsus adhæc esset temperamenti,omnium quotquot inter homines nati sunt, maximè teneri ac delicati. O quis dolor ! exclama quàm penetrans, quàm acutus, quàm intensus!... verùm nondum profunditatem illius penetrâsti : addenda enim est consideratio, quòd dolor flagellationis successerit dolori in horto exantlato.... Non enim afflictionem mentis seposuit,verùm eandem tam flagellationis, quàm omnium aliorum tormentorum tempore asservavit: utì nomine ipsius prædixit David: *Dolor meus in conspectu meo semper.* ... Quin & credibile est, quòd hæ animæ angustiæ ex sola tormentorum, quæ sentiebat repræsentatione, semper accreverint.... Quæ si ita sunt, vide quemadmodum nullam gaudii partem nec carni nec animæ, quo tamen Martyres

fruiti sunt, indulserit, quomodo & considerans flagellationis suæ indignitatem, utpote quâ vilissimi mediastini castigantur, & nascentem sibi injuriam æstimans, percussionum crudelitatem intellectu exaggerârit. — Unde Author quidam existimat, tam vivacem à vel unico ictu dolorem Christo allatum esse, qualem pertulisset, si dolorem omnium hominum ab apparitoribus illis infligendum in se uno collegisset. — *Insiste considerationi harum circumstantiarum, quæ ad aliquam flagellationis Christi ideam concipiendam conferunt: & sequens dein ad ipsum colloquium institue:*

O JEsu innocentissime pro salute mea æterna tam crudeliter flagellate, tanquam si totius orbis esses sceleratissimus! ex hac flagellatione tua disco, quæ pœna peccatrici carni meæ debeatur, — dum caro tua licèt sanctissima, *eò quòd te in victimam pro peccatis meis exhibueris*, tam barbarè excruciata fuit, — pudet me dum cogito, quòd corpus meum non tantùm non castigem, verùm etiam delicatè habeam, & sæpe cum tui offensione; -- communica mihi Domine partem aliquam spiritûs tui generosi, quo animer ad rebellem carnem meam cum aliqua severitate tractandam, — & si non alia de causâ illud vellem facere, facere deberem ad TE imitandum. Qui ad indignam meam mollitiem abolendam tam longæ, tam acerbæ, tam dolorosæ carnificinæ in flagellatione tuâ subjacere voluisti.

Insiste aliquantum expressis hic affectibus confirmandis. Interim mensura peccati sit plagarum modus. *Deut.* 25. Statue in servitio Dei perseverare, etsi multa corpori tuo sufferenda occurrerint.

PUNCTUM III.

Debetur peccatrici æternum in inferno opprobrium. Qui me contemnunt, erunt ignobiles, 1. Reg. 2. *Et JESUS ad liberandos ab eodem peccatores admisit coronationem spineam, qualis extremo ipsi fuit opprobrio.*

Pu-

PUta ANIMA MEA aſpicere te Jeſum eodem in loco, ubi prædicta Coronatio contigit. Dein utere intellectu tuo, & reſponde. Nunquid verum eſt, quod corona ſpinea,... ſceptrum arundineum,.... paludamentum obſoletæ purpuræ,... abjectum ſcamnum pro throno poſitum, ... ſputa conjecta in faciem,... adorationes ludicræ,... illuſiones,... colaphi,.. inſultus improperia,... ironiæ,... blaſphemiæ,... extremo ſint opprobrio Perſonæ, quæ omnibus ſe majorem eſſe, id eſt, Dei Filium declaraverat; hæc JESUS elegit: ut homines diſcerent, quale illi debeatur opprobrium in tota æternitate, qui peccato aliquo Majeſtatem Divinam irritavit, licèt ad illius ſit creatus imaginem.... Si itaque vel unius culpæ mortalis tibi es conſcia, non tantùm tacendum tibi foret, dum te vilipenſam advertis, ſed & vilipendium tui deberes quærere.... Hæc tibi tanquam peccatrici debentur: JEſus enim (*à culpa immunis*) quia peccatorum in ſe ſupplicia ſuſcepit, opprobria & vilipendia tam atrocia elegit, — deberes autem confundi, ſi tu è contrario, omni modo contemptum effugias, & ad honores aſpires: ſectare, quod tuum eſt, & fuge, quod non eſt tuum. — *Ad impetrandam à Domino te emendandi gratiam, ſequens ad JEſum in ſpinea Coronatione tam enormiter pro te vilipenſum colloquium inſtitue.*

Mihi, ô mundi Redemptor! debebantur tam horrenda opprobria, quibus tu affectus fuiſti. Ego enim, nata Creatoris mei ancilla, quæ me ipſam Diabolo in mancipium tradidi, quo titulo auſim aſpirare ad honorem? —— Interim quotidie ad hunc contendo, etiam peccando — Hic eſt cæcitatis meæ effectus, quæ oculos mihi occludit, quò minùs intelligam, quo ſit opprobrio dignus peccator.— Da mihi ſaltem O JESU, ut nunquam obliviſcar Regis alicujus ludicrè Coronâ ſpineâ redimiti. ——

Quoties

Quoties habitûs tam indigni, quo indigniorem sol nunquam spectavit, recordatus fuero, cogitabo totâ ÆTERNITATE in abysso inferni hunc tolerandum mihi convenire... Quod si nunc pro salute mea eundem tu gratiosè suscepisti, stimulus hic mihi erit efficax, ut grato animo me coram te humiliem...& pro imitatione tui ab aliis humiliari gaudeam.... dumque ad honorem tuum cesserit, timore contemptûs non me subducam. Propono illud, ut me non minùs gratum, quam fidelem militem tuum probem.

Confirma affectus colloquio hoc expressos, eisdemque ad tempus aliquod insiste. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti: concede propitius, ut & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur.

ORATIONES JACULATORIÆ

I. Factus est in agonia. II. Sudor tuus fuit sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. III. Comprehensus fuisti O Jesu & ad Herodem ductus. IV. Negavit te Petrus. V. Sprevit te Herodes cum exercitu suo. VI Alapis fuisti percussus. VII. Propter me flagellatus fuisti totâ die. VIII. Multipliciter fuisti derisus. IX. Tui te dereliquerunt. X. Confusio cooperuit faciem tuam. XI. Humiliatus fuisti usquequaque. XII. Saturatus es opprobriis. XIII. Vermis fuisti & non homo.

Finitâ meditatione osculare devotè terram, & dic: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave. Examina successum meditationis. Annota lumina & proposita. Reliquo die observa additiones proprias septimanæ tertiæ, uti dictum pag. 310.

Compendium meditationis præcedentis.

I. JEsus in horto sustinuit afflictiones animi.
II. In flagellatione passus est crudeles dolores corporis.
III. In coronatione summum pertulit opprobrium.

EXER-

EXERCITIUM XXII.

De tribus aliis Mysteriis præcipuis DOMINICÆ PASSIONIS.

Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per Patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei & Consummatorem JEsum; qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contemptâ. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes: non enim USQUE SANGUINEM *restitistis adversus peccatum repugnantes.* Ad Heb. 12. *Charitas enim Christi urget nos, ut qui vivunt, jam sibi non vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* 2. Ad Cor. 5. *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* 1. Ad Cor. 6. *Si quis non amat Dominum JEsum Christum, sit anathema.* 1. Ad Cor. 6. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Micheæ 6.

EXERCITIUM

Trium animæ Potentiarum pro MEDITATIONE De tribus aliis Mysteriis præcipuis Dominicæ PASSIONIS.

PRocede in hac meditatione eâdem methodo, quâ in præcedente; idem præfigatur fructus, & eadem adhibeatur oratio, pro impetrando Divino auxilio. Præparationes cæteræ faciendæ, ut in prima parte dictum pag. 32. & 34.

PUNCTUM I.

Peccator odium meretur tam implacabile & universale, ut nemo illius malis quanquam atrocissimis, etiam in-

fernalibus *meritò compatiatur.* Non flectetur, neque parcet, neque miserebitur. *Jerem.* 21.

SI O ANIMA MEA! *intellectu diligenter expenderis, quæ tibi à me proponentur,* sistendo ad lineolas, *videbis quòd Jesus in se odium atrocissimum susceperit, ut ab eodem liberaret peccatores, quo illi digni erant.... Imaginare tibi, quasi videas , Jesum mortis à Pilato condemnatum, cruce, in qua figendus, oneratum foras prodire extra palatium... magnâ militum ac carnificum turbâ circumdatum, medium inter duos latrones, qui cum ipso suspendendi ...Iesus à capite ad calcem crudelissima flagellatione excarnificatus totus erat exhaustus... deformatus coronatione spineâ... unde spectaculum præbebat, quod ad commiserationem etiam tigrides permovere potuisset... Nihilominus dum à Pilato populo spectandus fuit propositus, rogatus ille, quem è duobus liberatum vellent an Iesum* innocentem, *an Barabbam,* convictum seductorem, *vox omnium fuit, ut Barabbas liberaretur, Jesus verò crucifigeretur... quàm universale hoc fuit odium !... nemo eum vivum superesse volebat: Nemo gratiam vitæ, qualis pro omnibus ferè ad patibulum damnatis rogari solet , pro ipso postulavit... verùm omnes unanimiter obstrepebant, clamantes;* crucifigatur... *Nullâ habitâ ratione ipsius Pilati Iudicis, qui ad eum liberandum propendebat... imò ne ab eo liberaretur, odium ipsi comminantur Cæsaris.* Si hunc dimittis , non es amicus Cæsaris... *quid porrò ? Iesus ergo totus sanguine perplutus trahebatur per vicos Ierusalem , ubi pro salute temporali & spirituali hominum tam multa miracula fuerat operatus.... nec inter hos auditus ullus est ipsi compati... O odium implacabile, repeto anima mea, O odium universale... paulò antè in die palmarum triumphum ipsi acciuerant... & modò omnes illum mori volunt.* —— *Imò carnifices, dum cruce humeros illius levatos voluerunt , angariando Simonem Chananæum ad eandem portandam, grande illi malum voluerunt... Timebant, ne sub crucis pondere corrueret, unde mortuo ipso in via, non haberent , quod clavis configerent.... ideoque ad mortem magis acerbam ac ignominiosam ipsum reservando , hanc non pietatem sed crudelitatem in ipso exercuerunt.*

His consideratis, credo facilè O ANIMA MEA , quòd agnoscas odium fuisse implacabile & universale, quod

quod Jesus amore nostri in se suscepit... tam grave ut in ipso, *licèt ipsamet fuerit amabilitas,* impletum fuerit illud, *quod in libro Machabæorum de Jasone, omnibus hominibus inviso, dictum fuit:* Fuit omnibus odiosus. *Aliter enim non apparet esse possibile, ut secluso tali odio spectatâ tantâ illius miseriâ, licèt non omnes, saltem aliqui non fuissent moti ad commiserationem; & nemo tamen è populo fuit, qui compatiretur... Postquam hæc attentè meditatus fueris, plenum affectu voluntatis colloquium ad Christum institue sequens.*

Et unde mi JEsu, unde odium illud tam universale & contumax adversum te omni amore dignum?... Dum prælo aliquis aut latro ad mortem educitur, insonat commiseratio populi, & pro Barabba exclamatum fuit... flectitur enim natura nostra, hominis quamquam scelerati extremam spectans miseriam. De nemine auditur, quod tecum compassus, aut pro te locutus fuerit.... O qualis aversio! quale odium! Quia personam peccatoris suscepisti, voluisti ut in te disceremus, quale supplicium debeatur peccatori in hac atque altera vita, ut nimirum in eum tanquam in scopum colliment omnium odia. Signum cui contradicetur. *Quare quantumcunque in hac vita impetatur, non debet in hac vita hominum compassionem prætendere, minùs eam in inferno à Dæmonibus, à damnatis, à Deo per totam æternitatem sperare.* Vide an bonum opus subinde omittas, timore odii alterius incurrendi. Si te reum esse deprehendis; propone emendationem, & statue imitari Jesum, qui non obstante omnium odio, non desiit nos redimere. Statue ipsi reservire non attento tali etiam odio.

PUNCTUM II.

Denique morte dignus est peccator. Propter peccatum mors. *Dignus morte crudeli.* Dolores mortis circumdederunt me: *nec solùm morte corporali, sed & spirituali, quæ consistit in derelictione Dei.* Spiritus Domini recessit à Saul. 1. Reg. 16.

ACcede ANIMA MEA *per Intellectum ad Christum in cruce fixum, & videbis morientem.* Emisit Spiritum:

tum : *morte crudelissimâ* : non est dolor sicut dolor meus : *& à Deo Patre derelictum ; exclamabat enim* ; Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. *Non aliud abs te in hoc puncto Jesus postulat, nisi ut oculos in imaginem crucifixi attentè figas jungasque actum vivæ fidei, dicens* : ISTE EST FILIUS DEI, MORTUUS AMORE MEI, ET PRO SALUTE MEA IN CRUCE VOLUNTARIE. — Si tali illum modo contemplata fueris, puto & in te implendum Zachariæ vaticinium illud, quod hi qui in Jesum propter peccata ipsorum Crucifixum oculos fixerint, devotissimo planctui sint cor aperturi. *Inspicient, in quem transfixerunt, & plangent super eum, quasi unigenitum* Zachar. 3. *Inspicient*, attende O ANIMA MEA & externas tam cruentas Christi pœnas, & internam illam charitatem, ex quâ tam voluntariè ac ultroneè passus fuit — *In quem transfixerunt*. Reflecte, tantam te dedisse hujus tam crudelis transfixionis causam, quanta sunt peccata tua. — *Et plangent super eum:* & quomodo non amarissimo luctu meritò planges, quæ ad tam dolorosam carnificinam fuisti cooperata ? — Plange ex parte tua, O anima mea, quod ferox, inhumana, crudelis extiteris contra Deum tuum ... quòd, ut sordidas tuas concupiscentias sequereris, Christum cruci affigere non curâris — & si ob culpas tuas plangere nolueris, plange ex motivo illo altero amarosæ Christi charitatis, qui vitam suam pro te posuit. *Plangent super eum, quasi unigenitum.* Plange, velut solet pater aut mater plangere mortem unigeniti filii sui, quanquam ab ipsis non occisi.

Interea adstringe crucifixum pectori, & millies osculare; sique Dominus copiam tibi lacrymarum facere dignatus fuerit, frænos eisdem laxa ? & deplora te ipsam, quod peccatis tuis mortem illi consciveris — & Christo illacrymare, qui ex charitate erga te mori dignatus est. Postquam planctui ad satietatem indulseris, sequens anima mea institue colloquium.

O In-

O Infinite amator ac amor meus, pro me & à me crudeliter crucifixe ... quì possum linguam in verba solvere, dum te in statu tam calamitoso contemplor? cogitem ac recogitem, quidquid libuerit, verùm alium non possum sensum exprimere (*Non enim alius in corde meo nascitur*) quàm quod tu sis innocens ille, quem ad expianda nostra delicta æternus Pater tam graviter oneravit. *Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrûm.* ... Sat interim vulneribus affectus, tam barbarè ut ita loquar, annihilatus, nullam culpam admisisti: passus es tantummodo ad satisfaciendum Divinæ justitiæ pro delictis nostris ... propter ista tam malè tractari sustinuisti: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra .... O quantam propter hæc infamiam subiîsti... quæ opprobria tolerâsti... quas derelictiones ... quas illusiones ... hæc omnia mihi peccatori inclamant, peccata mea mortalia non esse rem flocci aut nihili, quæ interim tam facilè ego assumo, tanquam si aquam purissimam ac limpidissimam haurirem .... Profectò Domine non sunt illa hujuscemodi ... peccatum mortale tam atrox est in te injuria, ut MORS illi debeatur, mors CRUDELIS, mors ÆTERNA ... tu propter illa mortuus es, & morte crucis crudeli ... morte æternâ mori non poteras; hujus tamen ut acerbitatem palam faceres, exclamâsti: Deus, Deus meus ut quid dereliquisti me! ... & quidem ut ego bene apprehenderem, peccatum pœnâ omnium maximâ dignum esse nempe derelictione Dei. ... Quare toto corde gratias ago immensæ bonitati tuæ, quæ te, *ne ego æternùm perirem*, induxit ad bibendum calicem, calicem tam amarum animo lubente, cujus fel merum mihi debebatur ... Quod si nunc tot in te pœnæ reciderunt, quia te obsidem pro peccatoribus stitisti, hinc debeo discere, quæ me pœnæ maneant, si propter emendationis defectum acerbissimam illam tuam amoris plenam passionem infructuosam redderem ... *si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* ... Nunc itaque statuo

tuo adjuvante tuâ gratiâ, finem facere peccandi, maximè evitandi NN. (*hic enarra defectus, quos gratitudinis ergo in Passionem Domini ; vis emendare*) atque hoc ampliùs, quia neminem ſcio poſſe peccare , niſi te denuo crucifigat : *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei* : O me barbarum ac crudelem! ſi ad effrænatæ alicui paſſioni meæ obediendum te rurſum crucifigerem , poſteaquam modò cognovi, quàm amara ſit paſſio tua, ex parte illius, qui illius eſt author,... eſt quàm gratioſa ex parte tua, qui eandem acceptâſti. Peccare amplius nolo ... abſit , ut te ulteriùs crucifigam .... crucifigar ego, & mundus mihi & concupiſcentiæ meæ : *Mihi mundus ſit crucifixus , & ego mundo ... cum vitiis & concupiſcentiis.* Itaque te amabo , tibi ſerviam, tuus ero : animo etiam obfirmato tibi ſine omni etiam ſpirituali conſolatione ſerviendi, etiam paratus mortem adire, dum ſubeunda fuerit.

PUNCTUM III.

Verba ultima à JEſu in cruce prolata, fuerunt iſta ; conſummatum eſt ; *quibus prolatis expiravit* : & inclinato capite tradidit Spiritum.

PRoponitur tibi O ANIMA MEA ſenſus amplexus, qui verbis hiſce includitur. Et quare nempe JEſus voce altiſſimâ exclamat, quia jam omnium finis eſſet, CONSUMMATUM EST?... Præter cæteros hic unus eſt verborum iſtorum ſenſus, ſcilicet , quod omnibus voluerit declarare, quâ ratione ex parte ſua abundanter præſtiterit, quod ad hoc, ut quivis ſalvari poſſet , ex parte ſua ceu redemptoris & ſervatoris requirebatur.... Quapropter infelices illi, qui ſe ipſos damnatum eunt, nunquam Deo , ejuſque filio exprobrare potuerunt , quod ſufficientiam non dederint, quò minùs ad finem ſuum ultimum , ad quem

quem creati fuerunt, pervenire potuerint; ſe ipſos tantùm incuſare debebunt. PERDITIO *tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Oſeæ 13. Optem hanc veritatem attentè conſideres, ut ita te ipſum excites ad præſtandum ex parte tua parvum illud, quòd à te requiritur ad operandum ſalutem tuam æternam: aliter enim JEſus tibi in morte, & in Judicio particulari, & in valle Joſaphat in judicio illo univerſali vulnera ſua ſacratiſſima exhibiturus, convincet te illius, quod te ſalvando fecit, tibique oggeret, quòd tu meritum paſſionis ſuæ tibi applicare neglexeris. *Conſummatum eſt* — JEſus pro te natus eſt, prædicavit, paſſus eſt: contemptum, proditionem, mortem toleravit, cæteraque, quæ modò conſiderâſti: *Conſummatum eſt.* Tuum eſt cooperari. Atque hoc modo confer tua ſubinde cum Chriſti geſtis, & dic tibi: quid ſimile ego feci? — quid facio? — quid autem deinceps facturus ſum? — an etiam feci, quod extremæ erat neceſſitatis? &c. Conſidera bene. Subjunge dein orationem ſequentem.

Anima Chriſti ſanctifica me, corpus Chriſti ſalva me, ſanguis Chriſti inebria me: Aqua lateris Chriſti lava me: Paſſio Chriſti conforta me: O bone JEſu exaudi me: Intra tua vulnera abſconde me: nec permittas me ſeparari à te: Ab hoſte maligno defende me: In hora mortis meæ voca me: Et jube me venire ad te: ut cum ſanctis tuis laudem te. In ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIONES JACULATORIÆ.

Adhibendæ, ut dictum pag. 147.

I. Quid dignum poſſumus dare beneficiis tuis O Jeſu. II. Vivam ego jam non ego, vivat verò in me Chriſtus. III. Quæ non rapuiſti, exſolviſti O Jeſu. IV. Propter nimiam Charitatem ſuam tradidit ſe. V. Nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit. VI. Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini

noſtri

nostri JEsu Christi. VII. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis. VIII. Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam, Dei autem virtutem & sapientiam. IX. Regnavit à ligno Deus. X. Filius Dei erat, & cum iniquis deputatus est. XI. JEsus Nazarenus Rex Judæorum. XII. Delevit, quod adversum nos erat chirographum decreti, & ipsum tulit de medio affigens cruci, & exspolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. XIII. Gratiam fidejussoris non obliviscar, posuit enim animam suam pro me.

Finitâ meditatione osculare terram, & dic: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave. Examina successum meditationis. Annota lumina & proposita. Reliquo tempore diei observa additiones proprias tertiæ septimanæ, positas pag. 310.

COMPENDIUM

Meditationis præcedentis.

I. Christus crucem bajulans comparuit quasi odio ab omnibus habitus.

II. Mortem crudelissimam in cruce obiit.

III. Verbo illo *consummatum est*, commonstravit nobis, quantum pro salute nostra fecerit.

Monitum.

SI præter exercitium trium potentiarum volueris uti applicatione sensuum ad mysteria memorata Passionis, poteris sequi modum, quem assignavi in Exercitio VIII. de inferno.



EXER-

EXERCITIUM XXIII.

DE CONVERSIONE BONI LATRONIS, ET DAMNATIONE REPROBI.

Cum metu & tremore vestram salutem operamini. ad Philipp. 2. *Contemplantes, ne quid desit gratiæ Dei.* Ad Hebr. 12. *Unus assumetur & alter relinquetur.* Luc. 7. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiā veritatis iam non relinquetur pro peccatis Hostia: terribilis autem quædam exspectatio judicii, & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.* ad Hebr. 10. *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea.* ad Coloss. 1. *O altitudo divitiarum sapientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus.* ad Rom. 11.

EXERCITIUM

Trium animæ Potentiarum pro MEDITATIONE

De Conversione boni Latronis, & damnatione Reprobi.

ANtequam incipias, imaginare tibi te esse constitutum in monte Calvariæ, teque videre cum Christo binos in Cruce pendentes Latrones, unum à dextris, alterum à sinistris: & audire te, quemadmodum Latro pius JEsum laudet, impius verò, Ipsum blasphemet: Christus verò Latroni pio promittat Paradisum.

Fructus è considerationibus intellectûs ac voluntatis affectibus capiendus erit PROPOSITUM CURANDI diligenter illa, quæ ad Christi honorem spectant; ad hunc à Christo fructum impetrandum, dic breviter: Tuus sim Domine, & in iis, quæ sunt Patris tui. Aliæ præparationes fient, ut dictum parte primâ pag. 32. & 34.

PUNCTUM I.

Hodie mecum eris in Paradiso. Ita JEsus unum è latronibus secum crucifixis allocutus.

S*Uper veritate hâc à memoria proposita, discurre intellectu* O ANIMA MEA! sistendo ad lineolas, *& quære*, *cuinam*

cuinam omnium primo annuntiata sit tam felix relatio nempe de obtinendo FINE, ad quem creatus fuit. & fortè cum admiratione invenies, non Apostolo, non Evangelistæ, non Discipulo. sed Latroni hanc imitationem omnium primo factam esse: ... & quam ob causam? ut mundus intelligeret ab ipso passionem suam in bonum peccatorum ordinatam esse, quantùm est ex parte ipsius, — ideoque, quia miser ille pro viribus suis, ultimis vitæ suæ momentis Passioni Christi cooperatus, Divinæ obedivit inspirationi, applicatum illi fuit pretium sanguinis Dominici, & promissa cœlestis gloria.—Cogita obsecro magnam hanc remunerationem à Christo factam esse illi, qui brevi temporis spatio voluntatem ejus faciendo, ipsi servîerat, — ac dein sequens ad Christum institue Colloquium:

O Redemptor animæ meæ, quos animos non addis peccatori. ut firmam in charitate tua ponat fiduciam, dum ei exhibes latronem, Paradiso remuneratum; quanquam tam parum in obsequio tuo operatus fuerit. — Voluisti hoc facto insinuare, quantum apud te valeat sincera cum doloribus tuis compassio. — propositum item vitam emendandi, novamque ordiendi, ... unde & si me seriò depravatæ vitæ meæ pœnituerit, atque ad emendationem aspiravero, ... etiamsi parum fuerit, quod præstitero, parum illud gratiosè acceptabis, meque ad Paradisum auxilio tuo conduces.

Subsiste hìc, atque utile hoc propositum de nova vita inchoanda, dum ex Exercitiis discesseris, confirma. Singulariter autem intende ad illud corrigendum, quod alicui ex iis, quibuscum quotidie conversaris, est scandalo.

Latronis boni exemplum serviat etiam ad animos tibi faciendos, si fortè ob gravitatem ac frequentiam delictorum tuorum te pusillanimitati alicui obnoxium esse deprehenderis. Ubi tamen te adhortor, ut dum fiduciam boni Latronis imitaris, eundem etiam imiteris in proposito te seriò ad Deum convertendi, dum cor tuum tetigerit. Ita fecit Latro felix: peccavit quidem, sed non per præsumptionem de misericordia Dei, eâdem abutendo, ipsam offendendo fiduciâ remissionis obtinendæ. —— Neque tu frænum laxare debes concupiscentiis tuis, dicendo: in fine vitæ per pœnitentiam ad Deum revertar, —— nequaquam. Audi consilium Spiritûs sancti: Quærite Dominum, dum inveniri

veniri poteſt. *Aliter enim Chriſtus dicet* : Quæretis me, & non invenietis, & in peccato veſtro moriemini. *Meditando invenies veritatem à me dictam eſſe.*

PUNCTUM II.

Eodem tempore pendebat & alter cum JESU Latro, atque ubi unus ſalutem, alter damnationem acquiſivit.

QUis non perhorreſcat O ANIMA MEA! ſi quæ memoria propoſuit, attentè ruminaverit (*uti te precor, ut facias*) intellectu? - Profuit itaque pretioſus Redemptoris Sanguis Latroni Socio, Latroni ſimili, & alteri non profuit,... ita contigiſſe certum, ... verùm quæ fuit ratio? ... Demeritum ipſius & iniquitas, ... non ille perinde bene atque alter, erga JEſum affectus fuit,... licèt cruci affixus jam eſſet moriturus, boni que Latronis exemplum vidiſſet, non tamen commotus fuit ad pœnitentiam. ... Itaque in ipſo impletum eſt Oraculum: *Cor durum malè habebit in noviſſimo.* Cor durum, quod inſpirationibus Dei etiam vehementibus non cedit (*quales illi non defuerunt, dum & inſtantis in crucis patibulo mortis certus, & exempli laudabilis Socii pœnitentis ſpectator erat*) infeliciter cor tale diem ſuum extremum obibit. — Quare ſi quando pœnitentiam diſtuliſti teipſum ludificando ac dicendo, LATRO UNUS ſalvatus eſt, hoc verum eſſe tibi illico reſpondebitur: verùm & dicam tibi: LATRO etiam DAMNATUS EST. — Cur ergo in negotio tanti ponderis, quale eſt negotium ſalutis æternæ, cur potiùs prætendis felicitatem boni, quàm infelicitatem impii? — Sors illa boni fuit ſpecialis, ſors impii regularis, conſueta & ordinaria, — accidit enim ordinariè, quòd, qui pœnitentiam ad mortem differt, illam nunquam faciat, — Imò & talis

talis bonitatem Dei ad indignationem provocat, eò, quòd vitæ ſuæ tempus tamdiu exſpectando malè perdiderit..... *An divitias bonitatis ejus, & potentiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus?* ad Rom. 2. Miſericordiam quidem exhibuit Dominus latroni, ... & exemplum hoc nobis Dominus reliquit, adhibendum non inſtar cibi, ſed ad modum medicinæ, tunc uſurpandum, & cùm Dæmon ad deſperationem nos vocaverit.... Poſtquam veritates haſce ſeriò expenderis, ſequens ad Chriſtum Crucifixum colloquium inſtitue.

In duobus latronibus, uno pœnitente & altero contumace duo agnoſco mi JEſu. Primò gratiam tuam, quæ inaudita cum liberalitate communicatur omni peccatori etiam inveterato. — Quare de ſalute mea non deſpero, quantocunque innumerabilium peccatorum pondere premar. ... Spero ac confido in pretioſiſſimo ſanguine tuo, qui omnia peccata mea valet extinguere, modò de illis ſincerè doleam, cum emendationis propoſito...... Secundò hinc diſco perverſitatem humanæ voluntatis, quæ tam duram ſubinde ac rebellem ſe exhibet, ut emolliri aut expugnari ſe non ſinat ipſo tuo ſacratiſſimo ſanguine..... O quantum mihi latro obſtinatus timorem incutit!... Miſerum me ac infelicem, ſi in fine vitæ meæ (quem modò in decurſu illius nimium imitatus ſum) *illi aſſimilandus eſſem. —— Te quidem pro me crucifixum in lecto meo decumbens (ſiquidem in eo me mori contigerit) oculi objectum eſſem contemplaturus, verùm oculis illis, quibus in Calvariæ monte moriens in cruce latro ad damnationem ſuam majorem te aſpexit, ... & fortaſſe veniam te rogans non eſſem obtenturus cum perfido Antiocho, (quia ex timore ſerviliter, aut purè ſervili forſan Oratio hæc proficiſceretur) quanquam juxta ſpeciem exteriorem Antiochus ille ſincerè compunctus videri poſſet.* Divinâ admonitus plaga per momenta ſingula, doloribus ſuis augmenta capientibus, & cùm nec ipſe fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Juſtum eſt, ſubditum eſſe Deo; & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem ſic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecutu-

rus. 2.Mach. 9. *Rogo te Domine, ut dum adhuc sanus sum, saxeum istud cor meum emollias,.... ut depositâ omni obstinatione, culpâ meâ, non reddatur* (in fine) *infructuosa in me tua sanctissima Passio.*

Examina hìc, quænam sit inveterata ista consuetudo, quàm non nisi in fine vitæ abjicere obstinatus, de die in diem circumfers. Quâ deprehensâ, statue nullas in ea tollenda facere inducias: sive illa fuerit in parte concupiscibili, sive in irascibili, sive contra Deum, sive contra proximum, quæcunque tandem fuerit; noli emendationem illius præsumere, ubi ad extremum vitæ perveneris.

PUNCTUM III.

Aliter se gessit latronum unus & aliter alius: siquidem bonus Latro Christi advocatum egit; dum alter Christo insultavit.

I*Notescit enim ex sacro Evangelio, quòd bonus increpârit socium suum blasphemantem; & pro defensione Christi, quantum quidem facere poterat, in hæc verba erupit:* Neque tu times Deum, qui in damnatione es? & nos quidem justè, nam digna factis recipimus: Hic verò nihil mali gessit. *De impio autem legimus, quòd Christo insultârit sequentibus verbis:* Si tu es Christus, descende de Cruce, salvum fac te ipsum, & nos. Expende intellectu O ANIMA MEA! diversitatem tantam affectuum, & considera, quomodo diversum erga JEsum animum ostenderit. Unus (bonus nempe latro) animum ostendit erga JEsum optimum: alter (latro malus) ostendit pessimum.— Quid ergo miri, si Dominus, qui corda æstimat, salvavit unum & damnavit alterum? — Quare si rem rectè examinare volueris. invenies, quòd latro malus, aut parum aut nihil in JEsum credidit, —inde ortum duxit, quòd blasphemias in eum expuerit, ad eumque locutus sit verba quidem conditionata, verùm plena aut in-

credulitatis, aut ironiæ. *Si tu es Christus....* Porrò purâ concupiscentiâ ductus, vitam petit temporalem, & liberationem à patibulo, eamque miraculosam, per potentiam scilicet extraordinariam tantùm conferibilem: *D scende de Cruce, salvum fac temetipsum, & nos...* Bonus autem Latro firmiter in JEsum credidit; unde ausus est confidenter bona ab ipso æterna exposcere, dum dixit: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum,...* non solicitabat dissolutionem à Cruce, cum omni resignatione in ea perseveravit,... delictis suis eam deberi confessus: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus.* Hos denique actus Christo honorificentissimos coram universo populo, qui ad Christo illudendum confluxerat innumerus, exercuit de omni humano respectu triumphum agens, nec plausum captans, uti nec certè tanto Christi encomiastæ, ac innocentiæ patrocinatori populus applausit.

Circumstantias istas omnes si bene O ANIMA MEA *expenderis, invenies totidem illas esse documenta, quæ te instruant, quomodo debeas te erga JEsum gerere, si eundem tibi veluti bono Latroni volueris esse propitium.* Primum est; ut bonum cor geras erga JEsum. Quod quidem erga ipsum habere, quàm graviter sumus obligati, tam illud habere mihi facile esse videtur. Cor bonum erga JEsum, unicè solicitum est, ut ipsi satisfiat, suamque & à nobis & ab aliis satisfactionem accipiat. Secundò JEsum tibi Advocatum debes procurare, promovendo ipsius honorem per exempla pietatis, per obsequia nosocomiis aliisque locis piis exhibita, ipsius offensam impediendo, non (*ad exemplum Petri ipsum abnegantis*) Christum & militiam ipsius coram mundo erubescendo. Tertiò, perseverandum constanter in cruce, quam tibi in statu tuo sufferendam immittit. Hæc maxima est, quam illi potes præstare, complacentia, si re ipsa dicere possis: *Christo confixus sum Cruci.* Ipse ad liberationem postulandam tentatus, non postulavit. Et tu difficultatis in cru-

ce,

ze, quanquam à CHRISTO impoſita tolerandæ impatiens ptas deſcendere. Quartò, deſiderandus eſt Paradiſus, aunc ſæpe inſtanter pete, dicens: *Domine, memento mei in regno tuo.* Denique, inſpirationibus à Deo pro ſalute animæ tuæ immiſſis pro viribus collaborandum, maximè abſtinendo à rebus pernitioſis animæ tuæ, quales ſunt amici, ſocii, occaſiones &c. *Conſidera ulteriùs propoſita capita, ut videas, quâ ratione illa impleas. Quibus expenſis, ſequens ad JEſum fac Colloquium.*

Non eſt dubium, O JEſu Redemptor mi, quin peſſimus etiam peccator ultimo vitæ ſuæ ſpatio à te optet audire: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, ... proque gratia hac obtinenda in tremendo exitûs ſui procinctu dicet: *Memento mei*, ad appenſam lecto, in quo jam moriturus eſt, crucem, deprecabitur cum bono Latrone, ut in Paradiſum digneris ipſum recipere, ... verùm interim impiam vivendi normam tenere multi volunt, qualem Latro ante converſionem ſervavit... Hæc illorum cæcitas, hæc ipſorum deceptio, ut in venenum ſibi vertant, quod aliis pharmacum præparâſti. — Diſpelle Domine à mente mea caliginem iſtam, — fac, ut frequenter recorder regulæ ordinariæ (*ad quam attendere debeo*) QUALIS VITA, FINIS ITA, mors echo vitæ. — Poſt vitam ſceleratè actam ſanctè mortuus ſit bonus Latro, factum eſt illud ex noto tibi altiſſimo fine: & propter ſingulares illas circumſtantias, in quas converſio illa incidit, undante nempe adhuc ſacratiſſimo ſanguine tuo, cui meritò voluiſti raras haſce tribuere primitias, fructum de ſe quidem immaturum, maturum tamen charitati tuæ & gratiæ extraordinariæ, — ne tamen ob rarum hunc caſum temerè præſumerem, permiſiſti alterius damnationem. — Eſt itaque quod ampliùs formidem ob caſum mali, quàm præſumam ob reſurrectionem boni.

ORA-

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper devotam gerere voluntatem, & majestati tuæ sincero corde servire.

ORATIONES JACULATORIÆ.

Usurpandæ ad modum, qui præscriptus pag. 147. in Medit. de Fundam.

I. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi Orationem meam. II. In te Domine speravi, non confundar in æternum. III. Eripe me Domine de luto, ut non infigar. IV. Animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me. V. Per Crucem & mortem tuam salva me Domine. VI. Dic animæ meæ, hodie eris in Paradiso. VII. Confitebor tibi in toto corde meo in concilio Justorum & congregatione. VIII. Cum operantibus iniquitatem, & cum electis eorum non communicabo. IX. Tuus ego sum, salvum me fac. X. Non obliviscar in æternum justificationes tuas. XI. Loquere Domine, quia audit servus tuus. XII. Sanguis tuus, ô Domine JESU prosit mihi ad vitam æternam.

Post meditationem osculare terram, & dic: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave. Examina successum meditationis, annota lumina & proposita. Reliquo diei observa additiones proprias tertiæ septimanæ, de quibus pag. 310.

COMPENDIUM

Meditationis suprà positæ.

I. Jesus in Cruce dixit ad pium Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso*, & salvatus est.

II. Alter damnatus est.

III. Diverso modo se gesserunt ergà JEsum, dum cum eodem in Cruce pendebant.

* *
*

EXERCITIUM XXIV.

De

GLORIOSA CHRISTI RESURRECTIONE,

Quæ prima est earum, quæ desumptæ sunt ex quarta septimana Exercitiorum S. Ignatii.

Humiliavit semetipsum Dominus noster JEsus Christus factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod Deus exaltavit illum; & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JEsu omne genu flectatur cœlestium terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JEsus Christus in gloria est Dei Patris ad Philip. 3. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ad Rom. 6. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ super terram: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram.* ad Coloss. 3. *E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges, nunc hæc despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* 2, Machab. 7.

EXERCITIUM.

Trium animæ Potentiarum pro Meditatione.

De gloriosa Christi RESURRECTIONE.

Monitum.

AB hac meditatione incipit quarta septimana Exercitiorum, spiritualium S. Ignatii. Finis illius est animam corroborare adversum carnis blandimenta, commonstrando, quod Deus daturus sit præmia majora & voluptates, quàm sint illæ sensuales.

Quantum ad additiones, quas sanctus Ignatius præscribit, pro hac septimana, mutanda est secunda, sexta & decima ex additionibus positis pag. 135.

Quoad ſecundam, ut dum evigilo, meditationem inſti-tuendam illico mihi repræſentem, & excitem me ad gau-dendum ob lætitiam, quâ Dominus cum ſuis fruitur.

Quoad ſextam: cogitanda ſunt illa, quæ gaudium nata ſunt parere, qualis eſt cœleſtis gloria.

Quoad ſeptimam: Eâ fruendum eſt lucis & aëris com-moditate, qualem favet anni tempeſtas: hinc opportuno veris tempore potero delectari virore herbarum, elegan-tiâ florum, & loci cujuſdam aprici amœnitate. Tempo-re hiberno calore opportuno foci aut ſolis, aliiſque con-venientibus corporis & animi delectamentis: quæ ſimul conducant ad gaudiũ in Creatore ac Redemptore noſtro.

Quoad decimam: ut loco pœnitentiarum ſecter tan-tùm temperantiam & moderationem in victu: excepto tempore, quo ex præcepto Eccleſiæ jejunium aut abſti-nentia ſervanda.

Fructus è conſiderationibus Intellectûs & affectibus voluntatis eliciendus erit FIDUCIA FIRMA, *quòd caro noſtra amore* Dei *atque ultimi finis conſequendi mortifi-cata, à Deo ſit præmium receptura, ſicut & humanitati Chriſti* RESUSCITATÆ *redditum eſt ampliſſimum, compenſatumque, quidquid in paſſione ſua deperdidit: Ad fructum hunc à Domino obtinendum dic*: Scio, quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: in hoc ſit repoſita SPES mea.

PUNCTUM I.

Chriſtus Vitam naturalem moriendo perdidit: Deus hanc illi in Reſurrectione ſua magno cum lucro reſtituit.

V*Eritatem à memoria propoſitam ceu talem agnoſces, ubi* (ad lineolas ſiſtendo) *priùs dolores paſſionis, ac poſtea gloriam reſurrectionis intellectu recogitaveris*: ſanctiſſima Chriſti caro nuper turpiſſimè defœdata fuit, verùm poſt reſurrectionem, quàm pulchra comparuit.... ornata fuit dotibus illis, quæ corpori glorioſo conferen-tur,

ur, id eſt ſubtilitate, agilitate, claritate, impaſſibilita-e immortalitate — unde vi *ſubtilitatis* poterat pene-rare omnia, nec ullum poterat reſiſtere obſtaculum: unde ervadere poterat muros quantumcunque craſſos... mon-es Vaſtiſſimos... virtute *agilitatis* intra momentum po-erat aquila omni velocius à polo uno ad alterum à cælo d terram tranſcurrere... *Claritas* illius ſuperabat ſolis ſplendorem... *Impaſſibilitas* omnis illum doloris ac nocu-nenti reddebat incapacem... Immortalitate obtinuit, ut nima à corpore morte non poſſet ſeparari..., O quàm iſſimilis, inquies, hæc caro, quàm diſpar illi, quæ fuit an-e Reſurrectionem ... quàm perfecta caro.., quàm pul-chra quàm jucunda evaſit.

Detine hìc te, contemplando ſpectaculum tam amœ-num, quale præbet corpus tam ſubtile, agile, luminoſum, mpaſſibile, immortale, & dic exinde: nunquid judican-dum, quod Deus dolores illos, quos Chriſtus pertulit amore ipſius, abundanter remuneratus ſit?... quin imò reſpondebis: & ego ſubinfero: ergo & tu carnem tuam amore Dei mortifica... *eſt merces operi* ajebat Propheta..., non anima ſola, ſed & caro mercedem habebit.... morti-fica ergo ſenſus tuos: oculos, aures, odoratum, guſtum, tactum: id eſt: nega illis *primò* conſolationes prohibitas, quas in objectis prohibitis ſubinde quærent: *ſecundò* ne-ga etiam illis ſubinde recreationem permiſſam, *Tertiò* ha-beant ſubinde mortificationem per jejunium, cilicium, diſ-ciplinas.. *Quartò* æquo animo accipe, quas illis ſubinde Deus mortificationes immediatè ſubmittit, *ex. gr.* incom-moditatem loci, calorem æſtivum, frigus hibernum. *Quintò* quæ ab ipſamet carne ortum ducunt, utì laſſitu-do, infirmitas &c. *Sextò* quæ aliunde accidunt, utì ingra-titudo, plagæ, inſectationes &c. Qualia ſi corpus aut fecerit, aut amore Chriſti pertulerit, capiet cum Chriſto mercedem. *Si compatimur, & conglorificabimur*. Dum intellectus tuus de veritate hac fuerit convictus, affectus voluntatis ſequens inſtituat ad Chriſtum colloquium.

Quoad Spiritum traham, O Creator mi, mihi impoſita erit neceſſitas corpus illud meum, quod ceu animæ inſtrumentum mihi tribuiſti, incommoditatibus illis variis, quas memoravi, fatigandi... mihi liberum eſt, idipſum facere ex quocunque libuerit motivo... vel tibi placendi; & ſerviendi, vel tibi diſplicendi & te offendendi... Relinquis mihi libertatem. Equidem, *Etſi nobile iſtud, motivum gratitudinis, quam tibi debeo deficeret*, visâ quàm Chriſtus accepit retributione, clarè perſpicio, quàm mihi ſit fructuoſum propter te affligi.... & quàm miſera ſit retributio, quam aliunde poſſum expectare, ut quæ nec umbram, multò minùs *æqualitatem* promiſſæ à te mercedis aſſequitur..... Dum de tui offensâ agetur, ad laſſitudinem ſceleſtus laborabit pro Dæmone, mundo, carne (*laſſati ſumus, inquiunt in inferno damnati, in via iniquitatis*) amore horum peccator tolerabit plagas, lacerationem, vexationem... infirmitatē... laſſitudinem... conſumetur, morietur... verùm quàm inde mercedem referet? ... *hæreditabit ſerpentes*... & in Reſurrectione univerſali corpus animæ peccatrici reunitum evadet immundum.... ſordidum ...ſpurcum... abominabile per totā æternitatem... E contrario corpus ſervi tui ſimile erit corpori Chriſti Jeſu. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori claritatis ſuæ.* Itaque corpus meum ámori tuo (*etiam ex motivo amoris proprii*) hodie conſecro... laboret... fatigetur... ſudet.. infirmetur, etiam moriatur, verùm pro tuo obſequio & amore tui.. quod ſi fecerit, omnipotens bonitas tua illud mihi cumulatè melius reſtituet. *Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate reſurget in gloria. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* 1. ad Cor. 15.

PUNCTUM II.

Perdidit Chriſtus in paſſione ſua vitam civilem, in quantum jacturam fecit boni nominis, dum mortuus morte

infami: hanc recuperavit, quando triumphans resurrexit, & gloriosus in cælo collocatus ad dextram Patris.

D*Iscurre intellectu* ANIMA MEA *super veritate à memoria proposita, & agnosces JEsum in sua ad cælos ascensione super omnes Angelorum Hierarchias esse exaltatum, & in solio gloriæ collocatum esse à dextra Patris....* fatere modò, nunquid ita in regno beatitudinis exaltatio omnes Christi humiliationes, despectum, abjectionem passionis in monte Calvariæ abundanter compensat? .... quod si rem expenderis, non est de hoc dubitandi locus.... In triumpho hoc glorioso adoratus fuit tanquam filius Dei, & electorum omnium caput ab innumero cælestium spirituum exercitu... agnita fuit suprema illius in cœlos terrasque potestas, quam de seipso testatus dixit: *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra...* Nec hac ipsius exaltatione Pater acquievit... voluit & ipsum inferno dominari...Etenim *in nomine ipsius omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum ... & omnis lingua confiteatur, quia sedet ad dextram Patris....* In extremo denique judicii die incredibili Majestate conspicuus comparebit, rationes exacturus, & justos ad paradisum vocando, reprobos ad infernum relegando perfectissimæ justitiæ actum exercebit... Quantus iste honor! quantum gloria ista priorem ipsius abjectionem excedet.... Postquam ista attentè perpenderis, sequens ad Deum institue colloquium, sacrificando ipsi reputationem tuam dic toto cordis affectui.

Domine grande est obstaculum, quod Dæmon volentibus in servitio tuo proficere injicit, dum timore illos percutit, ne honoris sui jacturam faciant... enormis hæc falsitas..., turpe mendacium, non enim potest actio magis gloriosa ac honorifica concipi, quàm professio servi Dei,.. nihilominus Deceptor ille animos pusillanimes frequenter timore hoc solicitat..., spero in gratia tua, quòd me hoc stratagemate non sis eversurus... jam bene perspexi, quàm liberaliter tu remuneraris omnem *etiam apparentem* læ-

ſionem in materia tam delicata.... quare promptiſſimo animo omnem tibi honorem meum confecto, paratus eundem perdere (uti perdi putant cæci mortales) dum ita ſervitium tuum efflagitaverit... Æſtiment homines de me, quidquid ipſis libuerit, non curabo.... Nullum præceptum tuum propterea negligam, nihil intentatam infamiam pertimeſcam cognomina etiam ridicula è quovis propterea mihi imponenda contemnam,... Jeſus poſt contumeliam crucis glorioſâ in cælum aſcenſione, nominis ſui in terra propagatione exaltatus, mihi perſuadet, quòd extollas quemlibet, qui ſpreto honore mundano, honorem tuum promovet... tua enim bonitas his, qui amore tui gloriam terreſtrem negligunt, ampliſſimam confert in cælo ac in terra; ut in ſanctis tuis, quorum memoriam ad aras facimus, eluceſcit. *Glorificantes te glorificas.*

PUNCTUM III.

Perdidit JEſus in Paſſione ſua vitam amoris in cordibus ſibi maximè dilectorum; alii enim ex Apoſtolis ſcandalizati fuerunt, alii ipſum dereliquerunt, alii fugerunt, Petrus eum negavit, Judas tradidit; verùm æternus Pater vitam amoris illi reſtituit; Deſcendens enim in eos feſto Pentecoſtes Spiritus ſanctus, amore in Jeſum eos accendit.

DE hac veritate à memoria propoſita convincêris, ubi intellectu bene expenderis, quid amore Magiſtri ſui Apoſtoli fecerint, erga quem aliàs tam frigidos ſe exhibuerant: *Primò* O quantum eos tepiditatis ſuæ pœnituit! S. Petrus totas noctes negationem ſuam deplorando tranſegit... *Secundò* ipſe & reliqui in locis publicis illum prædicârunt... tanquam filium Dei confeſſi ſunt... Tyrannorum furori, crudelitati carnificum vitam ſuam expoſuerunt... *Tertiò.* Mundum inter ſe diviſerunt, nec locus fuit tam abſtruſus, quò non pertulerint ſacratiſſimũ ipſius nomen, Evangelium divulgando, cum ardentiſſimo honoris ipſius dilatandi zelo... *In omnem terram exivit ſonus eorum. & in fines orbis terræ verba eorum... Quar-*

tò

tò. Sanguinem ſuum amore illius profundendo. Nec ulla ferè mundi plaga fuit, quæ non fuerit cruore eorum purpurata... Ita fecerunt Apoſtoli: hinc perſpicis, quemadmodum perditum paſſionis ſuæ tempore in cordibus eorum amorem recuperârit... Verùm non illud Deo ſatis fuit... amorem ipſius in omni mundi natione promovit; gentes enim doctrinam ipſius amplectendo, vitamque imitando vitas illi tot millia martyrum conſecrârunt, quot profuſo eam ſanguine prodiderunt... Quot præterea incruenti martyres, qui amore ipſius reliquerunt Patrem ac matrem, hæreditates, libertatem, honores, voluptates, è Virginibus, Confeſſoribus ac Religioſis tam innumeris prodierunt... omnes hi ſervitio ac amori Jeſu ſe conſecrârunt, & ad mundi uſque finem tales ſpectabit orbis.... conſidera iſta, & videbis, quàm liberaliter JEſus in *vitâ amoris* ſit compenſatus.

Tu quia fortè Deum offendiſti, aut timore perdendi amorem humanum ferventiùs illi ſervire neglexiſti, fac illi devotam modò oblationem, per ſequens colloquium.

Amabiliſſime Deus, quis amor tam potens eſſe poterit, ut ab amore tibi debito me valeat ſeparare?.... nullus deinceps tam validus erit.... Interea tamen ſæpius creaturæ alicujus amor apud me prævaluit, cujus jacturam metuens non tibi, ut par fuit, deſervivi, maximè amor N. N. *Hic apud te exprime Perſonam, cujus amorem ſerviendo Deo amittere timuiſti.* Verùm quàm ſtolidus fui! Et cur non attendi ad iniquitatem adversùm te commiſſam, æſtimando pluris amorem creaturæ, quàm tuum?.... Ah doleo modò de errore præterito.... ecce paratum me abdicare amorem rei cujuſvis, quantumcunque mihi charæ, dum amori tui eum præjudicare deprehendero.... Quòd ſi infirmitas naturæ meæ apprehenderit jacturam aliquam (quam tamen lubente animo acceptare nunc ſtatuo) tu ſcies illam compenſare, diſponendo ut pro una amore tui abdicata, mille ac mille creaturas lucrer, quæ *ſi non in terris*, per totam æter-

æternitatem in te & propter te in cælo ſincero mé amore proſequentur.

Oratio.

DEus, qui diligentibus te bona inviſibilia præparâſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, ut te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur.

ORATIONES JACULATORIÆ.

Adhibendæ, ut dictum aliàs pag. 147.

I. In carne mea videbo Deum Salvatorem meum. II. Tu es Domine reſurrectio mea & vita. III. Credo carnis reſurrectionem. IV. Qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen tuum O JEſu centuplum accipiet. V. Nimis honorati ſunt amici tui. VI. Nihil deeſt quærentibus te. VII. Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert. VIII. Dicite juſto, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet. IX. Adoraverunt veſtigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi. X. Gloria & divitiæ in manu tua Domine. XI. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. XII. Reddes ſanctis mercedem laborum ſuorum. XIII. Repoſita eſt mihi in te O JEſu corona juſtitiæ, quam reddes mihi juſtus judex.

Poſt meditationem oſculare devotè terram: dicendo: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Recita Pater & Ave. Examina ſucceſſum meditationis. Reliquo die obſerva additiones proprias quartæ ſeptimanæ, prout pag. 358. hujus exercitii notatum.

COMPENDIUM.

Meditationis Superioris.

I. Deus Chriſto vitam naturalem in paſſione amore ipſius perditam magno cum lucro reſtituit.

II. Vitam item civilem, id eſt honorem.

III. Vitam denique amoris in cordibus hominum.

EXER-

EXERCITIUM XXV.

DE APPLICATIONE SENSUUM AD CHRISTUM RESURGENTEM,

Ut, qui comparens Discipulis, vulnera sua exhibuit, eisque Spiritum Sanctum elargitus est.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, Ipsum AUDITE. Matth. 17. *Volumus Jesum* VIDERE. Joan. 12. In *quem desiderant Angeli prospicere.* 1. Petr. 1. In *odorem unguentorum tuorum curremus.* Cant. 1. GUSTATE, *quoniam suavis est Dominus.* Psal. 33. PALPATE, *quoniam spiritus carnem, & ossa non habet.* Luc. 24. *Quod fuit ab initio, quod* AUDIVIMUS, *quod* VIDIMUS *oculis nostris, & manus nostræ* CONTRECTAVERUNT, *annuntiamus, ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.* 1. Joan. 1. *Aliis quidem* ODOR MORTIS *in mortem: aliis autem* ODOR VITÆ *in vitam.* 2. ad Cor. 2. *Lac concupiscite, ut in eo crescatis ad salutem, si tamen* GUSTATIS, *quoniam dulcis est Dominus,* 1. Petr. 2.

EXERCITIUM

De Applicatione Sensuum ad Christum resurgentem, & manifestatum Discipulis.

DAvid in persona Ecclesiæ prævidens gaudium, quod Discipuli Christi ex Resurrectione ipsius essent percepturi, hæc verba cecinit: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Psal. 83. Significaturque verbis illis, quòd in animo exultaturi essent, id quod insinuavit verbis sequentibus: *Cor meum*; quòd verò etiam secundùm corpus essent gavisuri, indicavit verbis illis:

Caro mea: Et dubio procul secundùm animam lætati sunt discipuli, postquam ex aliorum relatione didicerant, Christum resurrexisse. Magìs autem exultârunt, dum in medio eorum stitit se spectabilem. *Gavisi sunt discipuli; viso Domino.* Etenim specialiter tunc temporis quinque eorum sensus corroborati fuerunt. Auditus quidem, dum eum loquentem audiêrunt: visus, dum eum aspexerunt; tactus, dum palpârunt: gustus, dum cum ipso comederunt; odoratus, dum suavissimo oris sui halitu sanctum eis spiritum insufflavit. Ex quinque hisce accidentibus Exercitans potest sumere modum atque occasionem, resuscitatæ Christi humanitati quinque sensus applicandi. Atque ita cum Davide & primis Apostolis exultare poterit. Sique in præcedente meditatione per tres animæ potentias in Christo resurgente exultavit; in hoc Exercitio, quo quinque illi sensus applicantur, certâ etiam ratione quadam, corpore tenus exultare poterit.

Repræsentet itaque sibi Christum in medio undecim Apostolorum atque aliorum, qui unà congregati erant: positaque hac loci compositione se gerat, uti sequentibus punctis præscribitur. Fructus percipiendus, erit *excitatio desiderii Christo fruendi.* Ad quod obtinendum dicantur verba Apostoli. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Præparationes ceteræ faciendæ, ut notatum in prima parte operis pag. 32. & 34.

PUNCTUM I.

JEsus stans in medio Discipulorum dixit eis: pax vobis, Ego sum, nolite timere. Luc. 24.

APplica his vocibus ANIMA MEA AUDITUM, & (*sistendo ad lineolas*) apprehendere conare dulcedinem, quâ suavissimum os servatoris verba illa protulit.

Prima

Prima vox, quam articulatè enuntiavit: fuit ista: *Pax vobis:*.. Imaginare tibi suavitatem, quâ id prolocutus fuit. ... Secunda fuit: *ego sum*, & hic gratiam loquentis attende. ... Tertia fuit: *nolite timere*... Imaginare tibi hic etiam, quasi auribus percipias ipsam teneritudinem affectûs, atque expressionis, quâ sese explicavit... Puta etiam te audire verba, quæ addiderint Apostoli: ... Parum fortè labiis prolocuti fuerunt; verùm corde magis ipsi benedixerint, ut qui ipsorum recordatus, ipsosque visitare dignatus fuerit... Considera te ipsam anima mea, quem in te effectum productura fuissent verba tam consolatoria, si ea tibi reverà auscultare licuisset, ... O Domine! .. quantum gaudium, audire pacem annuntiantem! ... audire, non hoc esse phantasma, sed ipsum JEsum, quæ consolatio! ... quis denique jubilus, audire Jesum animantem, ad non timendum.

Loquere itaque tibi interiùs per intellectum (ut fructum ex primi hujus sensûs applicatione capias] *si tanto fuerunt perfusi gaudio Discipuli, ... si & mihi tanto futurum fuisset gaudio, Jesum audire pauca verba proferentem, idque in terris... quid erit, dum illum licebit loquentem audire per totam æternitatem in cœlis?* .... atque hac peractâ consideratione, dic toto cordis affectu ad Deum: *Cupio dissolvi & esse cum Christo. O quàm ardenter desidero adesse Christo, eique auscultare loquenti æternùm in cœlis.. verba vitæ habes, O Jesu!*

Detine plusculum te in assignato hoc suavissimo affectu desiderii.

PUNCTUM II.

Exhibuit ipsis manus ac pedes. **inquiens: videte manus meas ac pedes. Luc. 24.**

SPectaculum hoc Manuum Pedumque Discipulis ad videndum exhibitorum, invitet te ANIMA

MEA ad totum interim Jesum contemplandum, ... respice caput. O quàm speciosum!... quàm serena frons! ... quàm lucidi oculi! ... quàm purpurea labra! *totus amabilis, totus desiderabilis, electus ex millibus*, ... quàm speciosi crines radiis Solis formosiores! ... quàm floridæ genæ, horto quovis magìs deliciosæ, —— aspice manus, pectus, pedes, ebore quovis candidiores. — Denique attende quinque, è manibus, pedibus ac latere promicantia vulnera, —— Mi Deus! quæ hæ gemmæ! qui saphiri! quæ stellæ!

Postquam illis sensum applicando, diutius te detinueris, intellectui concede tempus considerandi, eccur in carne sua gloriosa quinque hæc mortis suæ ac passionis signacula retinuerit. —— Inter alias causas, hanc fuisse deprehendes, fecisse hoc ad testandum affectum suum, quo pro gloria Dei & salute tua, illa suscepit, —— eò quidem, ut per totam æternitatem crudelibus hisce plagis ob ambos prædictos fines toleratis, sit gloriaturus. —— Quid ad hæc ANIMA MEA? *quid tu in corpore tuo exhibere potes, ex quo, aut jam in terris, aut postea in cœlis commonstrare possis, quid pro honore Dei & æterna salute tua pertuleris?* —— Considera, & videbis Sanctos hilari animo tot cruciatus sustinuisse, ut haberent, unde Christo similes in Paradiso comparerent. —— Insiste nonnihil huic considerationi, & affectus elice, quales tibi dictabit devotio.

PUNCTUM III.

Invitavit Christus Discipulos, ad palpandum carnem suam, dulcissimè alloquendo; palpate, *Thomæ cæteris duriori facultatem præbuit manum mittendi in latus suum.* Affer manum tuam, & mitte in latus meum.

FAc & tu similiter ANIMA MEA! applicando juxta methodum præmonstratam, sensum tactûs ad sanctissimum

ſimum Jeſu Corpus, maximè ad ſacratiſſima ipſius vulnera, & ſpecialitet ad lateris vulnus. Spirituali huic tactui tuo caro hæc ſanctiſſima apparebit inſtar tenerrimæ ac rorulentæ roſarum punicearum maſſæ,— fortè & occurret caro, ceu charitate, quâ te dilexit, calida, — vel mollis ob eam, quâ gaudet, virginitatem,— virginitate, quâ gaudet, intaminata. — Imaginare tibi te figere digitos in plagas manuum ac pedum, — ac denique manum in vulnus lateris.— Immorare, quoadúſque tibi viſum fuerit, huic imaginationi.

Dum affectum tuum, O anima mea, ſensûs hujus applicatione expleveris; ſpatium da intellectui, ut ad tria reflectat. 1. in manuum vulneribus, ad fortitudinem Chriſti, quâ eadem ſuſtinuit. 2. in vulneribus pedum, ad perſeverantiam ipſius. 3. in vulnere cordis, ad amorem illius. — Te ipſam dein alloquere hoc modo: An & ego cum tali fortitudine procedo? —— O quàm ego ſum languida! —— An cum perſeverantia? —— O quàm facilè fatigor, —— quàm ſubitò deficio, — An cum amore? — O quàm frigida ſum in ſerviendo Deo, & in patiendo pro Chriſto! —— Propone porrò vivere, uti in particularibus vitæ quotidianæ circumſtantiis tibi neceſſarium eſſe videbitur.

PUNCTUM VI.

Manducavit JEſus parum de piſce, & de favo mellis: & ſumens reliquias dedit eis.

O*Ptarem Anima mea, ut & ſenſum guſtûs ſacratiſſimis Jeſu plagis ac ſanguini, quo illæ purpuraſcunt, applicares.* Dic hoc modo: Dulce profectò ori Diſcipulorum mel illud fuit, ac piſcis, quem eis obtulit, eò quòd à manibus ipſius dulciſſimis miniſtrarentur; quàm itaque dulcis ſit, neceſſe eſt, vulnerum ipſius ſanguis! *Imaginare tibi, tanquam ſis anima una ex illis gratioſis ac dilectis, quibus* Jeſus *favorem illum exhibuit, ut in vi-*

sione cœlesti sanctissimis illis vulneribus labia sua applicarent, — quam putas dulcedinem persenserint animæ illæ adeò felices? — conversare & tu familiariter cum JESU, & de flore illo Nazareno nectar exsuge, — ad instar infantis ab uberibus matris hujus adeò amorosæ depende, — sanctâ quâ jam fame panem hunc paradisi mystica, — inebriare insatiabilis vino charitatis, quod in quinque hisce vulneribus, ceu totidem pretiosissimis poculis tibi propinatur.

Ut fructum aliquem trahas ex hac applicatione, intellectus tuus expendat; quòd sanguis Jesu, quia ex infinita charitate ab ipso effusus fuit, omnium Sanctorum, quos pertulerunt, cruciatus mitigaverit.... Et idem tibi præstabit, si suo tempore memor fueris, ut in eâdem intingas occurrentem de die in servitio ipsius acerbitatem: offensas,... incommoditates,... labores,... contradictiones,... contumelias,... derelictiones,... &c.

PUNCTUM V.

JEsus oris sui Divini halitu insufflavit. Joan. 20. *atque hac actione sanctum eis Spiritum communicavit*, & dicit eis: accipite Spiritum Sanctum.

MI Deus! *quàm spiritualis suavefragantia ex sacratissimo Christi ore, unà cum hoc halitu prodivit,... cum hâc aspiratione?... applica hic* ANIMA MEA ODORATUM *tuum spiritualem.... Halitus bene olens signum est sanitatis & interioris bonorum humorum temperamenti:... cùm itaque Jesus & perfectissimi temperamenti, & glorificatus simul fuerit, quam odoris suavitatem ex dulci hoc halitu non percipies?* — In odore hoc percipiendo suaviter quiesce,... æstima ex ore hoc Divino prodire suavissimum compositum omnium aromatum,... pastillorum odoratorum ... florum... *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus:*

dicebat Isaac de filio suo Jacob.... Tam dulciter, ac multò dulciùs fragrantem conveniebat se JEsum exhibere, in actu hoc, quo Discipulis suis Spiritum Sanctum, ac peccata remittendi potestatem tribuit.... Non decebat tantùm esse suavefragantem totum, sed & talem se comprobare conveniebat,... id est plenum omni gratiâ,.., plenum gratiâ ipsâ substantiali, in unione ad verbum consistente... Itaque campum hìc nancisceris, omnis virtutis in gradu summo eminentis odorem tibi repræsentandi,... odorem puritatis,... charitatis,... mansuetudinis,.. cæterarumque omnium.... Modo itaque spirituali in tam multiplici te odore detine.

Per discursum intellectûs loquere ad te ipsam, & dic: Et cur non ego de hoc suavi virtutum odore mihi acquirendo laboro?... utinam hunc possiderem! quantos possem, ad Dei servitium, & ad sanctitatem ipsam perducere? Christi bonus odor sumus, *inquiebat S. Paulus,... quibus verbis voluit insinuare, quòd suavis virtutum odor, bona fama, quam bonis operibus comparaverat, plurimùm faceret ad lucrandas cœlo animas. Examina te, quàm boni odoris hujus causam præbeas, ... cumque inveneris te parvi habere bonum nomen coram hominibus, parvi bonam famam, parvi ædificationem* (idque purè ex acedia, atque neglectu proficiendi in virtutum exercitio) *Elice dolorem & propone emendationem in hac parte, & descende ad casus particulares.*

ORATIONES JACULATORIÆ.

Usurpandæ, ut dictum pag. 147.

I. Beati oculi, qui te vident ô Jesu! II. Speciosus formâ præ filiis hominum. III. Vox tua dulcis, & facies tua decora. IV. Mel & lac sub lingua tua ô Jesu. V. Totus es desiderabilis, totus amabilis ô Jesu. VI. Favus distillans labia tua, ô Jesu! VII. Sicut balsamum aromatizans, sicut myrrha electa dedisti odorem suavitatis. VIII. Odorem noti-

notitiæ tuæO Jesu manifestabo in omni loco IX. Eloquia tua dulciora super mel, & favum. X. Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salvus ero. XI. Quotquot tangebant te O JESU, salvi fiebant. XII. Gustavi, quoniam dulcis es O Domine.

ORATIO.

In nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Amen.

Post hæc osculare terram, & dic: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: Recita Pater & Ave. Examina successum meditationis, annota lumina & proposita, juxta instructionem datam in prima parte hujus operis. Pag. 148.



EXERCITIUM XXVI.

De

GLORIA PARADISI.

Non habemus hic manentem civitatem , sed futuram inquirimus, ad Hebr. 13. *Quæ sursum est Jerusalem , libera est, quæ est mater nostra*. ad Gal. 4. *Suspice cœlum , & numera stellas, si potes*. Gen. 15. *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de Cælo à Deo paratam , sicut sponsam ornatam viro suo; & audivi vocem de throno dicentem, absterget Deus omnem lacrymam, & mors ultrà non erit, neque luctus, neq; clamor, neque dolor erit ultrà. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni*. Apoc. 21. *Omnes quidem in agone currunt, sed unus accipit bravium: Sic currite, ut comprehendatis*. 1. ad Cor. 9. *Ecce merces vestra copiosa est in cœlo*. Matth. 5. *Contendite intrare per angustam portam*. Luc. 13. *Id, quod in præsenti est , leve & momentaneum tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis non contemplantibus , quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna*. 2 ad Cor. 4.

EXERCITIUM
Trium animæ Potentiarum pro Meditatione, DE GLORIA PARADISI.

UNimus hìc fundamentum cum frontispicio ; finem ad quem homo est conditus, primo die Exercitiorum consideratum , cum meditatione de paradiso, pro quo consequendo debemus summopere esse soliciti , pro quo nobis comparando tanta Christus fecit ac passus est.

Ante meditationem lege caput vigesimum primum apocalypsis in quo Paradisus describitur. Ex quo imaginare tibi civitatem in quadro positam , cujus latera exæ-

quent duodecim stadiorum millia, in vertice montis collocatam. Ipsa tota est ex auro, lucéque divinâ ita resplendens, ut sole non indigeat. Habet duodecim portas, quæ ex maximis iisque candidissimis margaritis excisæ sunt: cuivis præsidet unus Angelus, & quælibet ab una è duodecim tribubus nomen trahit. Murus altissimus fundatur in duodecim pretiosis lapidibus, sunt autem. Jaspis, Sapphirus, Chalcedonius, Smaragdus, Sardonyx, Sardus, Chrysolithus, Berillus, Topazius, Chrysoprasus, Hyacinthus, Amethysthus. Platea civitatis aurum mundum: & quot incolæ, totidem Reges. Nullus ibi accessus immunditiæ aut materiali, aut morali; scribitur enim de illa: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens aut mendacium*, & quod maximæ est consolationi, certi sunt civitatis hujusce cives, in beata hac patria purum esse bonum sine admixtione ullius mali.

Fructus è considerationibus Intellectûs, & affectibus voluntatis eliciendus erit voluntas firma nihil admittendi, quod præjudicium minimum circa Paradisi consecutioné inferre possit. Mentem meam explico. In rebus commodum temporale concernentibus omni studio evitamus periculum, unde vel minimum præjudicium aut bono nomini, aut rei familiari, aut jurisdictioni afferri possit: & propterea in ejusmodi materia proceditur cum omni vigilantia, & subtilitate possibili; ad eum modum oporteret nos agere circa ea, quæ concernunt gloriam paradisi: assumendo pro axiomate illud, & sæpius repetendo; *Nolo mihi præjudicare* (hoc est, nolo vel minimum negligere) *in iis, quæ spectant ad paradisum*: & proinde nec volo agere aut omittere quidquam, unde vel minima cælestis gloriæ particula mihi foret detrahenda: hoc pacto commonstrabis, quòd omnibus illam rebus præferas; nec satìs tibi erit peccata gravia vitare; verùm conaberis etiam à venialibus imò ab imperfectionibus abstinere: præterea non eris contentus adimplere ea solùm, quæ sunt obligationis, verùm addes etiam multa opera supererogatoria. Ad hujus-

modi

modi animum à Deo impetrandum dic breviter: *Merces mea copiosa sit in cælis.* Præparationes cæteræ peragendæ, utì dictum in prima parte hujus operis pag. 32. & 34.

PUNCTUM I.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, post mortem recipienda.

I*Ta locutus est Isaias; cujus verba S.Paulus uni epistolarum suarum inseruit; inquiens:* nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. *Quibus verbis Spiritus sanctus voluit insinuare, quod gloria cœlestis bonum sit, longissimo intervallo transcendens omne bonum temporale, quodcunque sub oculum cadit, aut quale unquam auribus perceptum, aut imaginatione ullâ in terris repræsentatum fuit... quàm amplus discursui intellectûs de bonis paradisi campus hic panditur! ut aliquem paradisi conceptum efformes, siste hic ad lineolas.*

An intelligis quid hoc sit dicere, *oculus non vidit*? quòd oculus non vidit rem paradiso similem? hisce verbis significatur; quòd licèt tot milliones hominum, qui à mundo condito extiterunt; inter quos fuerunt Reges & Monarchæ assueti videndis pulcherrimis spectaculis, oculis suis spectârint pulchrarum vestium rerumque aliarum supellectibilem...theatra...esseda... pompas...gemmas... thesauros...palatia..templa..licèt contemplati fuerint Regis Salomonis Majestatem...divitias, amplitudinem ac majestatem auratæ domûs... splendorem palatii... thronum pretiosissimum,... licèt viderint sumptuosos Assueri hortos & regale convivium... magnificentiam Senatûs, magnificentiam Imperatorum, magnificentiam triumphorum Romanorum.,. licèt intuiti fuerint prata amœnissimè ridentia, colles umbrosos, hortos floribus pulcherrimis consitos ...licèt cælum observârint, dum sole in medio illius flammicante rutilat pulcherimè.... & quando idem nocte tranquillâ, lunâ & stellis coronatum resplendet nitidissimè...

mè.... hæc omnia imò & alia longè plura si in unũ colligerentur, ne quidẽ umbra forent gloriæ paradisi. *Nec oculus vidit.* Variis illis, quæ hic relata sunt, ruminandis nonnihil immorare. Dein progredere ad capuũt alter: *nec auris audivit*... id est: Eidem hominum milliones multa audiêrunt narrari mirabilia, aut naturæ opera, aut artificum inventiones tum visa tum scriptis expressa... horum tamen omniũ cumulus (quantumcunque amplis è rebus componatur) sive musica fuerit, sive ludi, sive solennitates aliæ ac festivitates, infinitis parasangis distat à paradiso. *Considera*... *nec in cor hominis ascendit*,... quasi diceret. Phantasia mirabilia sibi novit imaginari, cujusmodi sunt ingeniosi illi Poëtarum enthusiasmi. ... Intellectus phantasiâ præstantior mundos potest plurimos concipere incredibili plenos elegantiâ... divitiis... voluptatibus... voluntas desideriis suis omni etiam phantasmate superior, omnem vincens intellectum ad bonum amplissimum appetendum se potest extendere... Fiat itaque istud. Finge tibi boni ideam, qualemcunque libuerit, & ad placitum tuum.... parum est... omnes homines, quotquot sunt, fuerunt, acerunt, per innumera illa phantasmata, cognitiones ac volitiones in unam quintam essentiam distillent omne pulchrum & bonum. Hæc quidem nunquam dabitur. Verùm admittatur, & quantum illud tibi bonum videbitur? ... nihilominus non efficient Paradisum Creatore dignum, non gloriam, expressam verbis illis: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*... cujus ratio est, quia, cùm ista omnia à creatura sint conceptibilia, non sunt gloria Paradisi digna Creatore: *quæ* PRÆPARAVIT DEUS *iis qui diligunt se*. Si tamen superiùs enarrata tibi in præmium cedenda forent, nunquid te abundanter O ANIMA MEA remuneratam existimares.... Ita certè: considera hæc bene.

PUNCTUM II.

Bonum illud superius, quod oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, positum est in con-

contemplando Deum de facie, ad faciem, per totam æternitatem, cum omnibus sanctis in cœlo : videbimus eum sicuti est in sæcula sæculorum. Hæc est gloria omnibus sanctis ejus.

ROGAS ANIMA MEA, quâ ratione Deus de facie ad faciem sit videndus? & respondeo : hoc futurum : cognoscendo eum & infinitas ipsius perfectiones in se ipsis, per intellectum lumine gloriæ adjutum ... summa Intellectûs voluptas est cognoscere ... & quantò res cognita est præcellentior ... & quò clariùs ampliusque rem illam præcellentem cognoscit, hoc gaudet simul ampliùs. Unde & viri docti rei illius, cui student, perceptione tantopere delectantur ... & artifices objecto suo, architectus nobili fabricâ, gemmarius gemmâ inspectâ recreatur ... & quare ? ... quoniam intellectu suo rei sibi charæ perfectiones penetrant ... O quantum tibi ANIMA MEA intellectus gratulabitur, dum eodem cognoveris (*cognitione non obscurâ sed clarâ, quæ nomen visionis mereatur*) Deum, atque illius magnificentiam... quæ nova semper per totam æternitatem recurret... Hæc cognitio efficiet, ut voluntas tua in boni illius tam ampli cogniti amorem sit rapienda... ita cognoscendo & amando, Deum possidebis : & dum dulcissimè eum duobus quasi brachiis amplecteris, nullus te timor de illo perdendo solicitabit ... & ita in ipso eris beata, tam contenta tam tranquilla, tam saturata, ut nihil porrò sis desideratura ... atque enascens hinc voluptas in ipsum se corpus transfundet, posteaquam illud in supremo Judicii die reassumpseris, & hac ratione simul per totam æternitatem erit beatissimum... Et sic videbis in te verum id, quod Abrahamo promisit Deus, EGO ERO MERCES TUA MAGNA NIMIS... equidem merces major, quam sit Deus possessus, beatificâ visione & amore, dari non potest ... hæc considera.

Ad bonum tantum accedet præterea, O anima mea, quod sis futura in cælo, hoc est, in loco pulcherrimo; cujus cælum illud, quod spectamus oculis, non est nisi pavimentum

tum... in societate innumerabilium beatorum, hoc est personarum contentissimarum & elegantissimarum, quarum omnium beatitudine & pulchritudine singuli gaudebunt... omnes enim se mutuò diligent... inter hosce beatos erunt omnes Angeli... Jesus & Maria, quorum speciosissima corpora peculiari præ cæteris prærogativâ, effulgebunt sole lucidius.... simili splendore radiabit corpus tuum, & corpora omnium sanctorum... idque in æternum.

Considera illa, ac proinde dic mihi ô anima num non meritò te exhortatus sim, ut studiosè caveres, ne in minimo tibi contra tam amplum commodum tuum præjudicares? Reflecte & videbis, quod nimium quantum tibi hucusque præjudicâris... commisisti modò hunc, modò alium defectum... omisisti modò hoc, modò illud pium opus... hæc omnia malo tibi sunt præjudicio in causa Paradisi, de quo dolebis per totam *æternitatem*: Assuesce sæpe cælum respicere die ac vesperi, cum maximè est serenum, ad exemplum S. Ignatii, qui isto animatus spectaculo exclamare solitus: quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio.

PUNCTUM III.

Ampla hæc felicitas, quæ possessores suos æternùm reddit beatos, à te est obtinibilis.

EXulta & jubila anima mea ad talem nuntium! poterat te Dæmon ad ejusmet odium exstimulare fraudulenter tibi oggerendo, quod quidem Paradisus sit bonum bonorũ omnium maximum, verùm quòd nulla illius consequendi tibi sit spes... Tot filios Adæ illud obtinuisse certum est.... atque inter hos fuisse plurimos, qui semel mortaliter peccârunt sed resipuerunt..., itaque & tu illud potes consequi .., quòd si interrogas, quid ad finem hunc tibi factu sit necessarium 2. respondeo rem esse facillimam, quâ obtinetur, nempe amore Dei. Sunt enim in præmium illic bona, *quæ præparavit Deus diligentibus se* — O medium facile — amare Deum tam amabilem. *Atque ut videas, quod bonum illud à te sit obtinibile; confirmo tibi, quod Deus sit paratus ad auxilium tibi præbendum. Etenim Primò* ad hunc finem

finem te creavit, ideoque tanquam creaturæ suæ necessaria paratus est præbere auxilia. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* *Secundò* quia propter hunc ipsum finem factus est homo, & mortuus est. *Tertiò* per Baptismum te in Ecclesiæ suæ gremium vocavit. *Quartò* sanctissima sacramenta sua tibi ministrat. *Sextò.* Te instruit, quòd ex parte sua omnes illud consequi velit. *Vult omnes homines salvos fieri.* *Septimò* suggessit tibi, Exercitiorum commoditatem, ut in iis te disponeres, ejusque obtinendi te capacem redderes... Quæ si ita sunt, ne pigeat te omnem adhibere industriam, ut illuc pertingas... ne permittas à quoquam illum tibi tolli... sciens, quòd, ut Christus dixit, *regnum Dei intra vos est*: volens insinuare, quòd adversarii quidem tui moliri possint, ut illo te spolient, minimè autē possint te cogere, ut illud perdas.... In summa enim, si volueris, *adjuvante Dei gratiâ* ad cœlum potes pervenire.... Hic itaque sit desideriorum tuorum apex, ac summa *resolutionis immutabilis. Volo obtinere finem*, propter quem Deus me creavit, *Volo cælum consequi*, & curare, ut *ad locum altiorem* perveniam.... institue dein sequens colloquium,

Amantissime & colendissime Deus! tu meliùs nôsti, quàm ego, quod discrimen illud grave perdendi cæli, in quo versor, mihi nascatur à creaturis, quibus utor.... quævis suam mihi offert beatitudinem — id est bona illa, quæ præsentare potest, meque invitando ad eadem prensenda pollicetur mihi, quod iis sim satiandus. — suam mihi mundus offert magnificentiam, dicitque quod illa futurus sim beatus (tantum mihi tribuendo, ut plus non sim desideraturus) — offert mihi Dæmon suas divitias — caro voluptates suas, cum eadem promissione, quod sim futurus beatus... His ego promissis seductus, & maximè quosdam videns (qui malorum suorum ignari se quâpiam rerum harum contentos ostentant) sæpius vacillo.... & quanquam non semper cadam, me tamen hoc modo in proliminio præcipitii constitutum deprehendo, proxi-

proximum nempe perdendis veris cœli . pro falsis terræ bonis... O Domine conserva in me veritatum æternarum lucem, ne me excæcari sinam... Renova in me sæpiùs sensum hunc, quod nemo nisi tu omni me felicitate in æternum cumulare possit,.. id quod alii mihi possunt offerre) (& rariùs dare) exiguum & parum est,... mille miseriis plenum...& transitorium & caducum.,. O quàm felix essem, si ab omnibus me creaturis nôssem abstrahere , quia procul earum fallaciis positus, periculo deceptionis ereptus forem... verùm quia cum illis versari, earumque commodis in supplendis vitæ necessitatibus uti debeo, rogo te , assiste mihi, ut iisdem intra præscriptos à sacrâ lege tuâ terminos tantummodo utar : ut ita iis utendo, *sic transeam per bona temporalia, ut non amittam æterna.* Neque unquam in illam incidam insaniam, ut aut eligam cælum omnino perdere, aut etiam amore terrestrium, minimum mihi in ordine ad illud præjudicium afferre præsumam.

Oratio.

Deus qui fidelium mentes unius efficis voluntatis , da populis tuis, id amare, quod præcipis, id desiderare, quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.

Martinus Lutherus ob scelerum suorum enormitatem de salute sua desperans, cælum noctu contemplari solebat & dicere: heu qualem patriam perdidisti Martine! Ex *dicto impii fructum tibi cape. Quod si peccato mortali obnoxius esses discessurus , sors eadem te maneret.*

ORATIONES JACULATORIÆ.

Adhibendæ ut dictum pag. 147. de fundamento.

I. Magister bone quid faciendo vitam æternam possidebo? II. Unam petii à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. III. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. IV. Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. V. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, ut corruptibilem gloriam accipiant, nos autem incorruptam. VI. Filii sanctorum sumus , & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

Serva additiones positas in Exercit. XXV.

Compendium meditationis ipse collige.

EXER-

EXERCITIUM XXVII.

DE AMORE DEI.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Matth 22. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, & cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnẽ scientiam & si habuero omnẽ fidem, ità ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum facultates meas, & si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatẽ autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Nunc manẽt Fides, Spes, Charitas tria hæc: Major autem est Charitas.* 1. ad Cor. 13. *Deus Charitas est, qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Joan. 2. *Quis separabit nos à Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu?* ad Rom 8. *Filioli, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.* 1. Jo 3.

EXERCITIUM.

Trium animæ Potentiarum pro MEDITATIONE. DE AMORE DEI.

DEus hominem creavit, ut ipsum in terris amet (*atque ex hoc amore ipsi serviat, & ipsum laudet, uti in Meditatione de* FUNDAMENTO *propositum est*) ipsoque postea æternum gaudeat in cœlis. Quale istud sit gaudium, visum est in meditatione de Paradiso: in hac meditatione proponentur motiva, quæ nos possint permovere ad Deum amandum, & ità ad Paradiso potiundum nos reddere idoneos.

Antequam incipias meditationem, attende ad verba, quæ per os Isaiæ cap, 46. Deus Israëlitis locutus fuit: *Audite me domus Jacob, qui portamini ab utero meo: usque ad senectam ... ego ipse, usque ad canos ego ipse portabo: ego feci: ego feram: ego portabo, & salvabo:* similia dixit Deuteron. 1. *Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum.* Ex his verbis sume occasionem tibi imaginandi, tanquam si fores in sinu Domini, non aliter ac si foret mater tua, & inter ipsius brachia degeres, ac si amantissimus tuus Pater existeret.

Fructus è considerationibus intellectûs, & affectibus voluntatis eliciendus erit; pro regula perpetua sibi statuere illud: FACERE bonum & declinare malum amore Dei & ipsi placendi studio. Ad fructum hunc à Deo obtinendum dic breviter: Diligam te Domine. Præparationes cæteræ obeundæ, ut dictum pag. 32. & 34. in prima parte operis.

Sunt qui finem Exercitiis imponant, per meditationem de Paradiso: alii per hanc de amore Dei.... Quamcunque partem eligere volueris, consulo, ut ultimo Exercitiorum die illa perlegas, quæ post meditationem hanc subjunguntur sub titulo: Praxis pro ultimo die Exercitiorum.

PUNCTUM I.

DEUS meretur amari super omnia.

VEritas hæc à memoria proposita est manifestissima, poterisque illam O ANIMA MEA expendere, sistendo ad lineoleas modo sequenti. Amor versatur circa bonum, vide itaq; an Deus sit bonus.... Tam est bonus, ut in comparatione illius nihil bonum sit. *Nemo bonus, nisi solus Deus* dicit Christus,.... neque solùm bonus, sed & ipsa bonitas est,... id est, cumulus omnis boni,... bonum infinitè perfectum, sine admixtione ullius imperfectionis & malitiæ, — quare percurre omnia perfectionis genera ac species, omniaque cum summa excellentia in Deo reperies, ... si amatur, qui pulcher est, Deus est ipsa pulchritudo,... si amatur qui est sapiens, Deus est ipsa sapientia, si ama-

ſi amatur, qui potens eſt, Deus eſt ipſa potentia,... ſi qui eſt liberalis, Deus ipſa eſt liberalitas,... ſi,qui eſt beneficus, Deus ipſa beneficentia,... ſi, qui eſt juſtus, Deus ipſa juſtitia,... ſi, qui eſt ſanctus, Deus ipſa ſanctitas, ... ſi,qui amabilis, Deus ipſa amabilitas.... Nunc dic mihi, ANIMA MEA! amasne rem aliquam in mundo? utique illi vis bene, illi placere optas, voluntatem tuam, verba,actiones conformas voluntati ipſius. Propriis libenter te commodis privas, ut illi ſatisfacias. Credo equidem ita eſſe. Præterea amas amicos tuos,amas tuos benefactores,amas corpus tuum, amas te ipſam; ſique te interrogem, ex quo motivo illos ames, reſpondes, quia bonitatem in illis deprehendis, quæ à te amari meretur, ... quod ſi hæc vera ſunt, dic in favorem DEI tui hoc modo: ſi quam creaturam ego diligo, quia bonitatem aliquam in ea comperio, quantò ampliùs amandus mihi eſt Creator ipſe, in quo omnis conceptibilis bonitas in gradu perfectiſſimo continetur!... quòd ſi illum amare debeo, debeo etiam quærere illius beneplacitum, debeo voluntati illius me in omnibus conformare, ut ita illi per omnia placeam,... omnia etiam faciam,... licèt cùm mei mortificatione, ad ipſi placendum,... etiam vitam pro ipſo profundendo.— Poſtquam de veritate hac convictus fueris, ſequens ad Deum inſtitue colloquium.

Amabiliſſime Deus! reſpice me creaturam tuam ad pedes tuos proſtratam,ſed vel intellectu excæcatam, vel voluntate obſtinatam, nimiùm quantùm mihi conſcius ſum, quod te non amaverim (*quod tibi parum placere ſtuduerim juxta voluntatem tuam vivendo*) imò & adversùm te peccando,... quare fateri cogor,me aut ſtolidum, amentem, & excordem fuiſſe (*dum non reflexi, quod tu omni amore dignus ſis*) aut refractariæ & obſtinatæ fuiſſe voluntatis, quæ te agnitum omni amore digniſſimum, qui ipſa es amabilitas, amáre noluerit. — Dum tu talis es, ah quomodo potui te non amare? — amo creaturas,

amicos,socios,divitias,honores, bonaque illa omnia, quorum tamen imperfectionem agnosco,... meipsum amo, quantumcunque me imperfectum noverim, ... & te non amo,qui omni cares imperfectione , qui in omni genere perfectionis es perfectissimus;... O me insipientem , qui infinitum amoris meritum in te non consideravi,..O durum cor meum & contumax , quod te ceu talem etiam agnitum non amavit! ... pœnitet me in utroque defecisse, ... statuo deinceps meditari perfectiones tuas,ut te amem, ut me conformando voluntati tuæ,in vita mea tibi placeã.

PUNCTUM II.

Deus nos amat. Verba pauca sed verissima , ac teneri sensûs multáque consideratione dignissima. Fac tu aliquam ANIMA MEA , & te ipsam compello per discursum Intellectûs.

DEus me amat?.. quid sibi verba hæc volunt?... significant,quòd Deus bene mihi velit, .. quòd mihi quærat placere,... mihi bene facere studeat,.. Favor hic tantus est,ut haud esset credibilis, nisi sacræ de hoc paginæ testarentur,... Deus ipse testatur , atque ut videam me amari amore soli Deo possibili, declarat,quòd me ab æterno amaverit,antequam extiterim,dicendo: *in charitate perpetua dilexi te*,... vides itaque ANIMA MEA! quòd à Deo ameris,.. dDic modò, an etiam agnoscis, quantum Deus honorem præstet homini etiam sanctissimo,eum amando? .. affirmo tibi,quod honor ille sit maximus,ideoq; Job obstupefactus Divinum hunc amatorem alloquendo exclamat: *quid est homo,quia magnificas eum, aut quid apponis circa eum cor tuum* ?nunquid te (*specialiter*) ob peccata tua indignam , quæ ab eo ameris, agnoscis ?.. Quod si agnoscis duas hasce veritates: *Deus me amat*, quæ est prima,& hanc: *Deus à me graviter est offensus*, quæ est altera, dulce hoc colloquium quamprimùm institue.

Stupore defixus hæreo,O Deus Creator meus,dum intelligo, quod tu me ames,— tu me amas mi Deus, — agnosco interim,quis tu sis,& quis ego—tu abyssus omnis perfectionis,

nis, & ego abyssus omnis miseriæ,— quòd si dixero, amari à te impressam mihi in creatione tui imaginem, — hoc quidem verum est Domine, — sed & verissimum quòd eandem extremè defœdaverim, — unde illa culpâ suâ *conspurcata, te ad nauseandum, non ad amandum me provocat,— quòd si hoc non obstante amare tamen me continuas (optando mihi verum illud bonum in hoc positum, ut in te æternum gaudeam, & disponendo cor meum, ut tollat peccatum, & virtutes implantet) ad hæc Domine mi, quid mihi agendum restat? — pro hoc amore tuo gratias tibi agere cogor,* & ecce nunc toto cordis affectu gratias tibi persolvo, — *confundi debeo* (& verò confundor) *quòd te hucusque non amaverim... Proponere debeo* (& propono) *amare te, quantùm novi, & quantùm possum, tibi placere studendo — & perfectè in omnibus tuam voluntatem exequendo.*

PUNCTUM III.

Deus beneficiis nos cumulavit, & in singulas horas cumulat.

DE *veritate à memoria proposita, qui potes dubitare? nō-nihil tamen eandem pondera* O ANIMA MEA! *& invenies, quòd Dei in te amor non fuerit sterilis, — fuit ille fœcundus, — activus, — liberalis.* — Repeto PRIMO omnia, quæ tempore exercitiorum meditata fuisti, & responde.

I. Nunquid creavit te Deus ob finem præstantissimum, ut Deo servias, Deum ames hìc in terris, ut eo gaudeas æternum in cœlis? II. Nunquid tot Angelorum millia ob unicum mortale peccatum pluresq; alios, qui longè pauciora commiserunt quàm tu, in infernum deturbavit... in te tamen hucusque usus est misericordia... III. Nunquid occasionem peccata confitendi tibi obtulit, & te hucusque conservando, spatium tibi pœnitentiæ indulsit? — IV. Quòd occasionem nactus fueris meditandi de horrore mortis, de judicii tum particularis, tum universalis terrore, de pœnis inferni; est favor specialis tibi concessus præ multis aliis tibi æqualibus. — V. Te filium prodigum mediante confessione, in gratiam, ut potes sperare, recepit. — VI. Ostendit tibi, quàm tibi fructuosum sit sub vexillo Christi, neg ectis Diaboli stipendiis militare, mani-

nifestans primò: se exiguos labores tuos cælesti æternitate remuneraturum: secundò, ob momentaneam voluptatem æternas in inferno pœnas à te repetiturum. VII. Exhibuit tibi vitam, doctrinam & Passionem Christi,... VIII. Dignatus est tibi præmonstrare in meditatione de gloriosa sua resurrectione, quâ mercede corpus tuum per gloriosas dotes sit afficiendum (*si quidem amore ipsius passum fuerit*) & in altera de gloria Paradisi, ob oculos tibi posuit præmium illud, quod animabus simul ac corporibus eorum, qui ipsi servièrint, in cælis retribuet. —ANIMA MEA si æquâ lance rem ponderaveris, beneficium hoc ad cæteras debes referre gratias, quas in sui erga te amoris signum, divina in te bonitas contulit, quòd tibi concesserit temporis spatium, & occasionem intrandi in te ipsam, & animæ tuæ negotia discutiendi, eò quòd similem gratiam pauci habeant.

Porrò certum est, quantùm ad ordinem naturæ, Deus te creavit,... te conservavit,... multis te periculis liberavit,... multis te præsidiis stabilivit, quæ non tantùm vitam tibi tolerabilem, sed & suavem juxta conditionem tuam reddiderunt,... quidquid in cælo, in terra, aqua, aëre producitur, commodo tuo laborat. Pro te Sol, Luna, cæteræque Stellæ influxus suos præstant... Pro te campi, sylvæ, horti, frumenta, ligna & flores proferunt &c. pisces, volucres, armenta tuis serviunt usibus.... Similiter metalla,... liquores... cæteraq; omnia in victum, vestitum, & habitationem pro te sunt adaptata, &c.

Quantum ad ordinem gratiæ, in Matris Ecclesiæ Catholicæ gremio te collocavit,.. in ea te particem facit meritorum & sanguinis Christi,.. Sacramentorum & imprimis Ss. Eucharistiæ,... & indulgentiarum,...multos tibi libros spirituales suppeditavit,.. Confessarios, Prædicatores, bona consilia & exempla, sanctas inspirationes, cum mediis aliis innumeris, quibus ad cœlum obtinendum uti valeas, copiosè suggessit,.., unde vides ANIMA MEA! quàm ampla collata à Deo tibi beneficia evadant,... quanta consequenter sint motiva eum amandi. His itaque suppositis tanquam certis, prosterne te ad pedes Domini, & dic ad eũ.

Etiamnum hoc ultimum amoris incentivum desumptum ab utilitate mea, placuit tibi adhibere, ut me ad amorem tui accenderes? an non sufficiens mihi motivum amandi te erat ESSENTIA tua perfectissima, AMOR, quo me prosecutus es, idq; ab æterno?.. imò verò abunde sufficiebat,— non suffecit tamen amantissimo cordi tuo,...ut me ex omni parte captivares, circumdedisti me innumeris beneficiis corporis,... animæ,... naturæ,... gratiæ, addendo his omnibus arrham futuræ meæ in cœlo Beatitudinis.,. O infinitum, quem erga me exhibuisti amorem!... tantæ charitatis, tantæ beneficentiæ sublimitatem, nec mens mea potest capere, multò minùs lingua eloqui,... non superest, nisi ut inexhausto hujus aut illius pelago me demergam, & ad honorem tuum dicam: *minor sum omnibus miserationibus tuis*,... quocunque enim me vertam, in mille linguas incido, quæ mihi acclamant: *Ama Deum, quia meretur; ama Deum, quia amat te, ama Deum, quia cumulavit te, & adhuc cumulat beneficiis....* Pro conclusione itaque Exercitiorum meorum uno omnia concludo proposito te Deum meum AMANDI,... & in signum amoris tui paratus sum observare mandata tua, & si ita desideras, etiam consilia tua.,. uti & omnia agere ex motivo amoris erga te, & omni possibili modo adjuvante gratiâ tuâ tibi placere.

ORATIO.

Deus qui nos ad imaginem tuam sacramentis renovas, & præceptis perfice gressus nostros in semitis tuis, ut charitatis donum, quod fecisti à nobis sperari, per merita Jesu Christi, & opera bona facias veraciter apprehendi.

ORATIONES JACULATORIÆ.

I. Hæc est charitas tua ò Deus, ut mandata tua custodiamus, quæ gravia non sunt. II. Dilectus meus mihi, & ego illi. III. Diligam te, qui prior dilexisti me. IV. Non solùm alligari, sed & mori paratus sum pro te. V. Tu es Deus meus, non æstimabitur alius adversùs te. VI. O quàm bonus & suavis est Spirit. tuus Domine in omnibus! VII. Misericordias Dom. in æternum cantabo. VIII. Omne optimum & omne donum tuum perfectū desursum est descendens

à te O Pater luminum. IX. Quid habeo, quod à te non acceperim? X. Sit nomen Domini benedictum in sæcula. XI. Fiat voluntas tua in me, sicut in cœlo & in terra. XII. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

COMPENDIUM.

Meditationis præcedentis, quâ peractâ facienda ordinaria.

I. Deus ex se ipso meretur amari. II. Ipse nos amat. III. Nos beneficiis cumulavit & etiamnum cumulat.

MOMITUM PRIMUM.

Finitis omnibus recita TE DEUM LAUDAMUS in gratiarum actionem pro exhibito tibi amore. Deinde Canticum: BENEDICITE OMNIA OPERA DOMINI DOMINO, cum intentione gratias illi agendi pro concessis tibi creaturis, ut te adjuvent in ordine ad obtinendum finem, propter quem te creavit. Osculare terram dicendo: Peccavi Domine, miserere mei, subjunge psalmum MISERERE, ad impetrandam veniam defectuum in Exercitiis commissorum. Alia plura suggeret propria pietas, eaque quæ continentur in PRAXI pro ultimo die Exercitiorum. Unicè te adhortor, ut quidquid laudabile conscientia tua, aliive faciendum, aut quidquid mali omittendum tibi suggesserint, amore Dei, *modò intra vires tuas contineatur*, præstandum, ad illud omne è motivo tam nobili præstandum sis paratus, ad placendum illi, qui tantopere illud meretur.

MONITUM SECUNDUM.

S. Ignat. prætendit in Exercitiis homines perducere ad S. Dei amorem, in quo perfectio Christiana consistit. Hujus Sancti intentioni me cooperaturum existimo, si centum Dei ter opt. max. perfectiones attexuero. Pro majori commoditate in 10. decades divisi easdem. Quæ vel tantummodo lectæ Dei manifestabunt amplitudinem, ideoque quantopere ipse præ omni re, quæ Deus non est, sit dignus amari, convincent: magis autem si bene illæ perpensæ fuerint, plurimùm valebunt ad eum, qui Exercitia peragit, per sanctum amorem Deo conformandum. Ita autem easdem explicavi, ut in ordine ad praxim possint prodesse.

EXER-

CENTUM PERFECTIONES DIVINÆ

Aptæ ad propoſitum, Deum nunquam offendendi, ſed ſemper amandi, & toto corde ei ſerviendi, ſtabiliendum.

DECAS I.

ESSENTIA DEI.

EGo *ſum qui ſum, ſic dices filiis Iſraël: qui eſt, miſit me ad vos*, Exod. 3. Quibus verbis neceſſitas Dei ad exiſtendum, ut non poſſit non eſſe, inſinuatur. O quantùm hanc ob perfectionem tuam, mi Deus, te amare cogor! ego & omnes creaturæ ex nobis nihil ſumus. Nunquam ergo eveniat, ut creaturam ullam creatori anteponam.

II. SPIRITUALITAS DEI.

Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Joan. 4. Eſſe igitur Divinum eſt ſpirituale, & non corporeum: tam præſtans, quàm ſpiritus præſtat omnibus corporibus. Ob naturam itaque, quâ polles, ſpiritualem, amare te debeo mi Deus. Nunquam itaque corpus meum, aut ullam creaturam corpoream, amem ampliùs quàm te.

III. SIMPLICITAS DEI.

Eſt in illa Spiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex. Sap. 7. id eſt: Deus non eſt compoſitus ex partibus, uti nos, qui animâ conſtamus & corpore: unde nihil in Deo exiſtit, quod minùs aut magis præſtans ſit: quidquid in ipſo exiſtit, eſt præſtantiſſimum; O quantus te amandi ſtimulus eſt hæc tua admirabilis ſimplicitas mi Deus! ſtudebo in actionibus meis habere intentionem puram, quâ non aliud quæram, quàm ſolum beneplaci-

tum tuum, *cum simplicibus sermocinatio ejus.* Hi placent tibi, qui Divinæ simplicitatis tuæ per intentionem purissimam, sunt imitatores.

IV.
IMMORTALITAS DEI.

Solus habet immortalitatem, & lucem inhabilitat inaccessibilem. 1. Timoth. 6. id est: Deus non est obnoxius morti. O mi Deus! sciens itaque te nunquam deficere posse, ferventiùs te amabo. Non fiet, ut ullam creaturam plus appretiem, aut amem, quàm te.

V.
PERFECTIO completa Dei.

Estote ergo Perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Matth. 5. quæ verba significant omnem excellentiam in excellentissimo gradu. in Deo reperiri. O Deus! quantùm te amare debeo, sciens, quod te amans amem eum, qui est excellentissimus in omni excellentiæ genere! In signum amoris hujus in te mei conabor mihi comparare omnes virtutes, conformiter illi, in quo me collocâsti, statui, in gradu, quàm potero adjuvante Divinâ tuâ gratiâ, maximè perfecto.

VI.
INFINITAS DEI.

Et magnitudinis ejus non est finis. Psal. 144. id est; omnis Divina perfectio est infinities perfecta, absque ulla limitatione. Quomodo itaque fieri potest, mi Deus, ut te non amem qui es infinities perfectus, infinitis ornatus perfectionibus! studebo tibi placere absque fine, studium hoc meum ad nihil restringendo; quia tu mereris, ut omni tempore, in omni occasione commonstrem, quantùm te amem, nullâ re amorem meum limitando.

VII.
IMMENSITAS DEI.

Nunquidnon cælum & terram impleo, dicit Dominus? Jerem. 23. id est: non est; nec concipi potest locus, quo

quo non sit Deus. Est ubique per essentiam, per potentiam, per præsentiam ; etiam in medio mei. O quantùm te amare debeo mi Deus, dum certus sum , quòd ubique objectum tam amabile inveniam ? propono sæpe recordari, quòd ubique me aspicias.

VIII.
IMMUTABILITAS DEI.

Ego Dominus & non mutor. Malach. 3. id est ; nulla Dei perfectio est obnoxia mutationi. Unde Deus & est, & erit semper perfectissimus ille Deus , qui semper immensus, semper infinitus, semper immutabilis ; semper Sanctus &c. Novus hinc mihi stimulus additur, ad te amandum, Deus immutabilis ! conabor esse immutabilis, seu constans in bene cœptis.

IX.
ÆTERNITAS DEI.

A sæculo & usque in sæculum tu es Deus. Psal. 89. id est, semper Deus fuit absque principio, & semper erit absque fine. Mi Deus, quantùm amare debeo Dominum, cui propria est æternitas in essendo & durando ! statuo aspernari res temporales & transitorias, nec harum amore, Deum æternum unquam ad iram provocare.

X.
UNITAS DEI.

Audi Israël, Deus tuus, Deus unus est. Deut. 6. id est Deus est unicus, neque Deus alter aut est, aut esse potest. Atque hæc est una è maximis Dei perfectissimi perfectionibus. Amabo te itaque mi Deus, quia Deus unus es, nec similis tibi esse potest, qui trinus es in Personis. Statuo non dividere amorem Dei in creaturas, quæ numero multæ sunt, sed tibi unico Deo illum tribuere propono, qui es unicus præ omnibus creaturis amore dignissimus.

DECAS II.

INVISIBILITAS DEI.

R*Egi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria.* 1. Tim. 1. id est, Quemadmodum sol ob lucis suæ abundantiam obtutu nostro non potest penetrari; pari, & multò potiori ratione non potest Deus à nobis videri ob perfectissimam naturam suam. O mi Deus, confirmor hinc in amore tuo: ex hac enim impotentia mea crescit conceptus infinitæ tuæ excellentiæ. Statuo, nunquam tibi præponere amorem rerum visibilium.

II. INCOMPREHENSIBILITAS DEI.

Magnus es consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Jerem. 32. Id est nulla Creatura potest comprehendere excellentiam Dei, & consiliorum ipsius. Atque hinc O mi Deus, sumam argumentum te amandi, eò quod nec ego, nec creatura ulla te possumus comprehendere. Propono dispositiones tuæ providentiæ revereri, licèt eas non capiam, imò vel ideo eas revereri statuo, quia non capio.

III. INEFFABILITAS DEI.

Quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus, si nôsti? Prov. 30. id est: quemadmodum intellectu creato est incomprehensibilis, sic & linguâ pariter est ineffabilis. Mi Deus! Meus in te amor hinc debet incrementum sumere, quia ex hoc, quod ineffabilis es, te omnino excellentem esse convincor. Propono cum reverentia te compellare iis nominibus, quibus te à nobis enuntiari, nostræ infirmitati te accommodans boni consulis.

IV. VERITAS DEI.

Dominus autem Deus verus est Jerem. 30. Id est, Deus hic

hic tam perfectus, non est falsus Deus (quales sunt, qui adorantur ab idololatris) verùm Deus verus est, & realiter talis. Quantæ hoc mihi consolationi! te amando, verum Deum amo. Non patiar à mundi vanitatibus ad amorem sui abstrahi, quas per os Prophetæ appellâsti *vanitates & insanias falsas*, imò ipsam falsitatem.

V.

VERACITAS DEI.

Deus verax, omnis autem homo mendax. Roman.3. Id est: in ore Dei nullum mendacium, sed pura veritas. O Deus: vel ideo etiam te amare debeo, quia me nunquam es decepturus. Et ego semper conabor veritatem in ore, & sinceritatem in actionibus, procul habitis fraudibus & mendaciis, præferre.

VI.

FIDELITAS DEI.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Psal. 144. id est, Deus stat verbis suis. Ob pulchrum hoc fidelitatis cimelium te cogor amare mi Deus. Propono in te fiduciam ponere, & imitari fidelitatem tuam servando proposita, factaque proximo de rebus licitis promissa.

VII.

BONITAS DEI.

Ego ostendam omne bonum tibi. Exod 33. id est, Deus pollet bonitate, quæ est illicium amoris: dumque in ipso reperitur omnis bonitas tam naturalis quàm supernaturalis, dignus est amari ab omnibus & super omnia. O Domine! si creaturas propter bonitatem à te in illas transfusam amo, quantò ampliùs te amare debeo, qui omnis bonitatis cumulum in te concludis! statuo hinc assurgere in amorem tui super omnes creaturas; dicamque sæpe: O quantò & quàm infinities melior est Deus ille; qui tam bonas creaturas effecit.

VIII.
PULCHRITUDO DEI.

Confessionem & decorem induisti, Psal. 103. id est: Deus indubitatè est objectum per excellentiam omnium pulcherrimum. Quare quantam non injuriam tibi inferrem, si pulchritudinis creatæ amorem, amori tuæ increatæ pulchritudinis anteponerem? statuo deinceps non amare creatam pulchritudinem præ tua, imò & eam detestari propono, siquidem me inductura esset, ut tibi O pulchritudo increata! displicerem.

IX.
ADMIRABILITAS DEI.

Mirabilis in altis Dominus. Ps. 92. id est, Deus in se & in operibus suis ob excellentissimas perfectiones suas se reddit admirabilem. Amabo te Domine etiam ideo, quia dum es admirabilis, probas quoque hoc titulo te esse incomparabiliter excellentem. Quæram tibi magis placere, quàm rebus vilibus, ideoque despicabilibus, nec admiratione dignis, cujusmodi sunt illa, per quæ soleo peccare.

X.
VITA DEI.

Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Ps. 83. Deus autem non solùm vivit, sed & in se vivit, estque fons vitæ aliorum. O Domine! te hinc amare debeo, quia tam excellenter vivis, ut sis ipsa vita per te ipsum, vitam omnibus viventibus elargiens. Conabor ita vitam instituere ut illa voluntati Dei, ob quam eam mihi donavit, non repugnet.

DECAS III.

I.
SAPIENTIA DEI.

O *Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* ad Rom. 11. id est, Deus omnia scit, omnia perspicit, & quid-

quidquid agit, cum infinita facit ſapientia. O Domine! quod novum amoris incentivum infinita tua ſapientia præbet, & ſcientia! Propono omnibus à te revelatis fidem adhibere, quoniam ſapientia tua non eſt obnoxia errori. Statuo etiam te non offendere, quanquam ſolus & in abſcondito delituero; nec verò etiam cogitatione; quia ſcio, quod nôris omnia.

II.

Deus rerum omnium ARTIFEX.

Omnium artifex docuit me ſapientia. Sap. 7. id eſt; Deus ab æterno ſapientiſſimâ mente ſuâ concepit, & produxit quidquid in mundo eſt, aut erit: O Domine! & me mente tuâ Divinâ fabricatus fuiſti: & de me producendo cogitare dignatus fuiſti; atque ideo te amare, meritò debeo. Propono ita vivere, ut in actionibus meis talis ego evadam, qualem me eſſe deſiderâſti, dum Divinâ mente tuâ me architectatus fuiſti.

III.

Deus noſter CONSILIARIUS.

Nunquid conſiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor? Micheæ 4. Verba innuunt, quod Deus creaturis ſuis, ratione præditis, utilia ad finem creationis ſuæ conſequendum conſilia ſuggerat. Mi Deus! quis te non amet, dum recogitat, quòd eò te dimittas, ut ad ſalutem noſtram fidelis nobis conſiliarius eſſe digneris! propono etiam conſilia illa ſequi, quæ quotidie mihi inſpiras: uti & ad te recurrere, ad capienda in dubiis meis conſilia.

IV.

Deus LUX NOSTRA.

Deus eſt lux, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. 1. Joan. Uti enim lux rerum omnium tum pulchritudinem, tum difformitatem detegit, ita & Deus, per conſiliorum ſuorum

rum lumen facit nos bonum & malum in rebus discernere, ut bona amplectamur, & mala fugiamus. Et ob hoc ipsum te amabo mi Deus! statuoque bonum illud ac malum studiosè examinare, in quod adducere me valent objecta mihi repræsentata, ut illa aut amplecti aut fugere nôrim.

V.

Deus ILLUMINATOR nôster.

Pauper & creditor obviaverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus. Prov. 25. Verba innuunt præter præcedentia, quòd Deus officium consiliarii indifferenter ad omnes exerceat; ut unus perinde atque alter bene pergat & statui suo conformiter agat. Amabilissime Deus, quoniam lucem tuam communicas omnibus: propono utiliter eâdem uti? ita ut dum pauper angustias passus fuero, non desperem: & dum dives abundavero, non insolescam, nec superbiam.

VI.

Deus REVELATOR arcanorum.

Ipse revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta. Dan. 12. id est Deus, tam bona, quàm mala opera discooperit, partim sæpe in hoc orbe, partim certè in mundi fine. O Domine! dignus es propterea amore meo: etenim si te amavero, revelabis ad gloriam meam, quidquid amore tui boni fecero, unde amplus mihi proveniet honor. Revelabis autem & mala: verùm quia omnia ex sanctissimo fine à te fiunt; propono Sanctis me actionibus occupare, malas autem devitare, quia unum atque alterum revelabis.

VII.

Deus AMATOR Creaturarum.

Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti; Sap. 11. Verba sonant, quòd Deus amet suas creaturas, quòd sint illi charæ. O quàm validum est telum illud, ut me

me feriat, & intenso erga Deum amore vulneret. Deus amat suas creaturas, ergo & me; verùm amore ordinato, quo eas ad amorem sui trahat, ideo, quia amor ille est verum earum bonum: propono, me & omnes creaturas amare; verùm eo solùm amore, qui me, omnesque mihi dilectos ad te amandum, ad tibi placendum, nunquam ad te offendendum adducat.

VIII.

Deus ZELATOR.

Dominus zelotes nomen ejus, Deus æmulator. Exod. 34. Amor Divinus zelum habet: est equidem studiosus, ut mala omnia à dilectis sibi creaturis propulset. O quantùm hinc exaggerantur mi Deus, motiva te amandi. Et quæ illa mala sunt, quæ à me averti maximè cupis, nisi duo; malum culpæ, quod malorum maximum, in hac vita; & malum pœnæ in altera. Quidquid Deus facit, facit ad bina hæc mala à nobis arcenda. Omni studio incumbam ad bina hæc mala à me atque aliis avertenda.

IX.

DE PACE DEI.

Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos. Sap. 12. Zelus Dei non est furiosus, nec importunus, qualis sæpe est zelus noster: est tranquillus, pacificus, sedatus. Unde nos reverenter, & ut ita loquar, cum respectu tractat. O Deus! ob hoc ipsum amabilissime, quod bonum & salutem nostram procuras cum tranquillitate & sine perturbatione: propono cum proximo reverenter agere, in me autem internam pacem & tranquillitatem; procurare etiam tunc, quando pro honore tuo zelabo.

X.

AMATOR PACIS.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. 1. ad Cor. 14.

Dissensiones & discordiam procul esse vult à suis ; pacis autem vinculo omnes conjunctos esse optat, O Deus! qui amore meo dignus es, ob tuum hunc pacis amorem, dissensionis autem odium, studebo solicitè in pace cum aliis vivere, omnesque simultates devitare.

DECAS IV.

I. DEUS LONGAMINIS.

Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini. 2. Pet. 3. Cum multa nempe patientia peccatorem exspectat, donec se emendet. O Deus! amare te debeo, eò, quòd iterata mea delicta te non provocârint ad impatientiam, meque sustinueris, donec ad te redirem. Propono non abuti hâc tuâ longanimitate: atque eam etiam proximo exhibere statuo.

II. DEUS MISERICORS.

Miserator & misericors Dominus: patiens & multùm misericors. Psal. 144. Deus licèt sit ab omni miseria immunis, cor tamen omnino compatiens miseris, manusque paratas ad eos sublevandos habet. O Domine! agnosco, quòd propter exhibitas mihi à te miserationes te amare obligor; teque gratus amabo. Misericordiam etiam tam corporalem, quàm spiritualem præstabo, cuicunque potero.

III. DEUS CONSOLATOR.

Benedictus Deus, & Pater Domini nostri JESU Christi, Pater misericordiarum, & Deus TOTIUS CONSOLATIONIS, *qui consolatur nos in tribulatione.* 2. ad Cor. 1 Consolatur ipse afflictos, tristes, melancholicos, aufferendo ea, quæ affligunt, substituendo ea, quæ recreant. Qui fieri potest, ut te non amem, sciens, quòd desolatos conso-

laris

laris: ad te confugiam afflictus, ut à te consolationem potiùs, quàm à creaturis recipiam.

IV.

Deus PROTECTOR noster.

Protector est omnibus exquirentibus se in veritate. Eccl.2. Ne Dæmon prævaleat, ne calamitatibus obruamur, ne fraudibus aliisque malis evertamur, nos Deus protegit ac tuetur. O magne Protector meus! te amabo; gnarus, quanto opere à prima nativitatis horâ me hucusque protexeris. Statuo in dies singulos, tuæ me totum protectioni committere, animam, corpus, divitias, amicos, parentes, vitam, mortem, tempus & æternitatem.

V.

DEUS JUSTUS.

Justus Dominus, & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Psal. 108 Cuique suum tribuit, & pro meritis, aut præmium aut pœnam; tam in hoc, quàm in altero orbe, absque respectu personarum. Quia justus es, es amore dignissimus; imitabor justitiam tuam, debitam tibi gloriam mihi contemptum ac ignominiam, tribuendo proximo amorem, noxis odium, peccatis pœnitentiam, animæ curam primam, corpori secundam; potissimam diei partem rebus spiritualibus, sacrificio Missæ, orationi, lectioni: benefactoribus gratitudinem, inimicis veniam.

VI.

AUTHOR JUSTITIÆ DEUS.

Ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta. Is. 45. Deus nempe omnes docet justitiam, dum suum cuique vult tribui, idque tum per inspirationes, tum per Patres spirituales & Prædicatores, aut per orationem & lectionem librorum piorum. O Domine amabo te, quia amorem mereris docendo facere, quod justum ac rectum est. Idem túm verbo tum exemplo præstare statuo, quo ad potero.

VII.

VII.

Deus RECTUS.

Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Ps. 91. Non potest Deus velle aliud, quàm quod rectum, justum, honestum, ac rationi conveniens est. O Domine rectissime! ob singularem hanc rectitudinem tuam debeo te amare. Statuo hanc pro viribus imitari, cum recta intentione, & juxta dictamina rationis æternæ, non vero juxta passiones meas unquam operando.

VIII.

Deus JUDEX noster.

Annuntiabunt cæli justitiam ejus, quoniam Deus Judex noster. Ps. 49. Fert nempe sententiam tum in judicio particulari immediatè post mortem nostram, tum in universali, omnibus in Valle Josaphat congregatis. In quo judicio apparebit omnibus, quòd mundum universum cum infinita justitia gubernârit. O Domine dignus es amari, titulo Judicis, quo in munere te probas sapientissimum in cognoscendo, æquissimum sine passione in volendo, constantem & immutabilem in judicando. Statuo sæpe memoriam renovare judicii tui tum particularis, tum universalis.

IX.

Deus VINDEX.

Fortis ultor Dominus, reddens retribuet. Jerem. 51. Exercet id, quod proprium est justitiæ vindicativæ, malum pro malo reddendo, malum pœnæ pro malo culpæ. Idque absque omni imperfectione, illius enim actus justitiæ sunt proprii: ità, ut nec gravis ulla, nec levis culpa à supplicio sit immunis. O Deus amabilissime ob hanc pœnæ retributionem, per quam manifestas, quantopere à culpa abhorreas, statuo cum omni studio, adjuvante Divinâ gratiâ tuâ, ab omni peccato abstinere.

X.

X.

TERRIBILIS Deus.

Magnus & terribilis super omnes. Pſ. 85. quia conſideratis ſuppliciis illis tum temporalibus, tum æternis, quibus in peccatores animadvertit, valde timeri debet. Sed quomodo mi Deus terrores hi tui amabilem te reddent? imò: cogito, quod, dum terribilem adeò te oſtendis, plurima mala impedis: Ex hac tua terribilitate fructum hunc capere ſtatuo, ut te non offendam.

DECAS V.

I.

PIETAS DEI.

Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum, quia ſolus pius es? Apoc. 15. Verborum ſenſus eſt, quòd Deus ſit pius erga nos, & ratione hujus ſuæ pietatis, nos tractet & amet ut Pater. Mi Deus, quomodo poſſum te non amare, dum agnoſco & confiteor plusquàm paternam pietatem tuam. Propono omnem operam impendere, ut me erga te exhibeam, ſicuti filium decet.

II.

BENEFICENTIA DEI.

Non ſine teſtimonio ſe ipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias &c. Act. 14. Id eſt, Deus ubique beneficia (tanquam ſui in nos amoris teſtimonia) ſpargit. O Domine! quis ignoret, quis neget beneficia tua, quorum ubique relinquis veſtigia? Agnoſco, quòd ob plurima, quæ in me contuliſti, diligere te debeam. Statuo nunquam iis uti, ad tui offenſam, nec in animæ meæ damnum, aut in proximi læſionem, tibique ſæpe gratias agere propono.

III.

AFFABILITAS DEI.

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Sap. 8. Deus gaudet, nobiſcum familiariter agere, non aliter, ac ſi foret unus è nobis, id, quod apparuit, quando Dei Filius in carne cum hominibus eſt converſatus; & nunc idem manifeſtè facit,

cit, dum se nobis sub speciebus Eucharisticis in cibum exhibet. O mi Amabilissime, ob hanc tuam affabilitatem satagam me reddere proximo meo astabilem, & libenter conversari tecum, & dirigendo preces meas ad te, & te in Divino Sacramento sæpius visitando.

IV.
LIBERALITAS DEI.

Dat omnibus affluenter, & non improperat. Jacob. 1. Non enim necessaria tantùm ad vitam, verùm & multa affluentia ad commoditatem & delicias nobis elargitur: & quod plus est, nullum beneficium oggerit, nihil improperat. O Domine agnosco, quòd liberalis in me fueris, ampliùs, quàm sim promeritus; ideoque ad te amandum obligor. Propono ego etiam pro servitio tuo plura facere, quàm quæ tantùm sunt obligationis, cumque aliis benefecero, beneficia eisdem non exprobrare statuo.

V.
FORTITUDO DEI.

Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Job. 9. Disco hinc, quòd Deo vires sint robustissimæ ad profligandos inimicos suos, qui benignitate ipsius abutentes, vitam nolunt emendare. Et te propterea amabo mi Deus! cùm enim tam fortis sis, certus sum, quòd non solùm non sis toleraturus hos, qui in malo obstinati; & in te injuriosi sunt, verùm etiam eos qui proximis suis molesti sunt & damnosi. Propono peccata mea emendare, ne fortitudinem tuam irritem.

VI.
MAGNIFICENTIA DEI.

Admirabilis magnificentia ejus. Eccl. 14. Ampla & magnifica producendo, tum quantùm attinet ad ordinem naturæ, utì cœlum, stellas, solem, maria, terras, tum quantùm ad ordinem gratiæ, quâ Viros sanctissimos efficit: tum quantùm ad cælestem gloriam, quâ gloriosus in cælis magnificentiam suam æternùm manifestabit. Mi Deus,

vel

vel sola recordatio triplicis hujus magnificentiæ tuæ me ad amorem tui excitat: quare amabo te, & studebo pro viribus eniti ad magnam Sanctitatem, in vitæ meæ statu, adjuvante sanctissimâ gratiâ tuâ.

VII.

PATIENTIA DEI.

Patiens est Deus, Eccl.18. Dum malos tolerat ad ipsorum emendationem, nec statim fulmina jacit, aut pœnas dictat, quoties peccatis hominum irritatur: sed patienter eos suffert, ut ad pœnitentiam reducat: teneor amare te vel maximè ob patientiam mecum habitam. O mi Deus, erga me tam patiens! Propono hæc emendare, quæ in me tam patienter tolerâsti, utì & patientiam erga hos exercere, qui mihi molestiam afferunt.

VIII.

BENIGNITAS DEI.

Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam adducit, ad Rom. 2. Peccatorem enim revertentem non repellit, sed amanter suscipit: utì & mànifestum fit in Maria Magdalena, ac in filio prodigo. Domine amare te cogor, eò, quòd tam benignè me susceperis, quoties de peccatis meis contritus & confessus fui. Propono etiam in proximum esse benignus.

IX.

CLEMENTIA DEI.

Scio, quia tu Deus clemens es. Jonæ 4. Etenim dum ex officio Judicis punire debet, in pœnis utitur moderatione, nec infert tam grandem, qualem concitatus ipsius furor justè inferre posset; ita ut & in inferno damnatos meritis eorum mitiùs puniat. O Domine! diligam te ob hanc clementiam tuam: statuo clementiam etiam exercere erga proximum meum, studio te imitandi.

X. MAN-

X.
MANSUETUDO DEI.

Ne confundas me, sed fac nobiscum secundùm mansuetudinem tuam, Dan. 13. Id est, Deus etiam beneficus erga hos, qui ipsum offenderunt, vincendo in bono malum ab ipsis patratum. O Domine! quanta mihi bona præstitisti! etiam tum temporis, dum malum ego committebam adversùm te. Ob hoc ipsum amabo te, & propono etiam mansuetus esse erga eos, qui mihi injuriam inferunt.

DECAS VI.

I.
SUAVITAS DEI.

Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, Ps. 144. Id est: suaviter sua implet consilia; quâ eadem cum suavitate præceptorum suorum observantiam obtinet, nosque in iis adimplendis juvat: *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* O Domine! statuo amare te ob hanc suavissimam tuam efficaciam, suavitatem etiam tuam imitari propono erga illos, quibuscum mihi erit agendum.

II.
DULCEDO DEI.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Ps. 31. Erga eum nempe, qui cum Deo agit ceu bonus filius, idem Deus dulcis est, comis, gratiosus, mellis instar palato dulcis & sapidi. O Domine! quis te non amet, si tam dulcis es, gustare te volentibus! propono in corde recto & bono tecum agere, meque etiam dulcem, sine tui tamen offensa, exhibere proximo.

III.
SANCTITAS DEI.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, Isa. 6. id est: Deus est fons inexhaustus Virtutum illarum, unde vocantur Sancti, sive ab affectu rerum terrenarum segregati, hi, quos Sanctos nuncupamus. Sunt autem Virtutes hæ

hæ omnes in ipſo modo ineffabili & perfectiſſimo, abſque admixtione ullius imperfectionis. O Deus amabiliſſime, quia ſanctiſſimus, convenit hinc, ut te amem, propono etiam intendere virtutibus acquirendis in gradu heroïco, ut te adjuvante ſanctus evadam, procurabo etiam, ut ad ſanctitatem enitantur alii.

IV. PURITAS DEI.

Mundi ſunt oculi tui, ut videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Habacuc 1. Splendorem ſanctitatis Divinæ puritas ſua, modo altiſſimo illuſtrat, ut quæ ſanctitatem ipſius (eſſentialem, non ex privilegio, ſed ex natura ipſius talem) intaminatam à minimæ imperfectionis nævo conſtituit, à quo nemo, quoad vivit, exemptus manet: & quanquam ab omni labe immunis fuerit BB. Virgo in terris, & Sancti ſimiliter tales ſint in cœlis, habent tamen illud ex Divino favore ac beneficio. O Domine, quis ſanctitatem tam puram non amabit, quæ nec admittit, nec admittere poteſt vel leviſſimum defectum? Statuo continere me omni cum diligentia ab omni defectu deliberatè committendo.

V. DEUS CREATOR NOSTER.

Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul. Eccl. 18. Deus enim omnia educendo è nihilo, rebus omnibus ſive viſibilibus, ſive inviſibilibus eſſe ſuum tribuit. O Domine! amari à me mereris, quia magna hæc mundi machina à te conſtituta fuit, ut omnibus quidem hominibus, tum mihi etiam ſpeciatim deſerviret. Propono ita, uti creaturis, ut in uſu illarum te non provocem ad iracundiam.

VI. DEUS CONSERVATOR NOSTER.

Portans omnia verbo virtutis ſuæ. ad Hebr. 3. In nihilum rediret orbis, niſi Deus illum ſuſtineret, id, quod præſtat operâ conſervationis, quæ habet ſpeciem novæ alicujus creationis. O Deus ob mundi conſervationem amabiliſſime; hâc enim commonſtras, quàm ſolicitus

ſis, ut in commodum noſtrum perduret. Gratias tibi ago, quòd & illum mei causâ conſervaveris : propono adhibere omnem diligentiam, ut conſervem tuam gratiam, propter tuam gloriam.

VII.
PROVIDENTIA DEI.

Tuâ autem, Pater, Providentiâ gubernas. Sap. 14. Etenim non ſinit res mundi cæco modo agi; verùm dirigit omnia per media convenientia, licèt nobis incognita, ad gloriam ſuam, ad bonum univerſi, ipſiuſque mundi. O Domine dignus es propterea amari, quia omnibus nobis provides. Altiſſimam hanc tuam providentiam reverebor, in iis etiam eventibus, quos non capio, quia tu eos aut vis, aut ſaltem permittis.

VIII.
Deus GUBERNATOR noſter.

Deus noſter in ſæculum ſæculi, ipſe reget nos in ſæcula. Pſ. 47. Ipſe nullius indigus mundum hunc totum gubernat. *Quem enim conſtituiſti alium ſuper terram, aut quem poſuiſti ſuper orbem, quem fabricatus es?* Job. 34. O quantùm te amare debeo, quia dignaris eſſe noſter Gubernator! propono te ceu talem, etiam agnoſcere in creaturis illis, quæ quamvis videantur me gubernare, à te re ipsâ gubernantur : itaque per illas & me, & mea moderaris.

X.
Deus CUSTOS noſter.

Cuſtodiens parvulos Dominus, humiliatus ſum & liberavit me. Pſal. 114. Homines Deus à malis protegit. Etenim quæcunque ſive mala pœnæ ordinet, ſive mala culpæ permittat, ita tamen nos cuſtodit, ut prævalere adversùm nos illa non valeant ampliùs, quàm cum gratia ipſius valeamus portare. *Quid faciam tibi ô Cuſtos hominum?* Job. 7. Amare te debeo; quare, dum miſeriis corporalibus, aut etiam ſpiritualibus, ſpeciatim in tentatione oppreſſus mihi videbor, propono tum non lamentari. Tu Cuſtos meus es.

X.

Deus DOMINUS.

Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita. Esth. 13. Significatur, res omnes Divino Dominio esse subjectas. Unde, quemadmodum nullum sine motore Deo folium in arboribus movetur, ita & supponere debemus, quòd res nulla adversùm nos quidquam efficere valeat, nisi Deus permittat. Submittere nos itaque debemus dominio Dei. *Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.* Ps. 23. O magne Deus! te amo & amabo, quia meus es Dominus. Te talem agnoscere, talem revereri statuo, in eo honorem meum positum æstimaturus, ut tibi serviam, id est, tuam in omnibus voluntatem adimpleam.

DECAS VII.

I.

DEUS DOMINUS EXERCITUUM.

Nisi Dominus Exercituum reliquisset nobis semen, uasi Sodoma fuissemus. Is. 1. Quibus verbis innuitur, nunerum creaturarum, quibus Deus providet, quas custodit, & gubernat, esse propè sine numero. Huc pertinent cœlestium spirituum exercitus, stellæ cæli, atomi aëris, aquæ naris, arenæ terræ, & infinitæ aliæ totius universi creaturæ, psi etiam spiritus infernales. O Deus Exercituum, te mo & amabo, ob amorem illum, quo tot creaturas in bonum meum ordinâsti. Propono ô Deus Exercituum! ne gerere erga te, ut decet fidelem militem erga suum Ducem, ordinando omnia ad hunc finem, ut rationabiles reaturæ perveniant ad cælum, fruituræ bonis ipsius, & pso bono bonorum omnium.

II. DEUS POSSESSOR CÆLI.

Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli. Gen. 14. Cælum possidere modo speciali dicitur, quia speciali ipsum affectu amat, utpote ad quod ceu finem ultimum cum omnium ejusdem bonorum participatione à creaturis rationalibus possidendum, ordinat omnia; id quod est bonum bonorum omnium. O Domine te amo, semperque magis ac magis, amabo; ad specialem hanc tuam cæli possessionem reflectens. Vitam tam perfectam instituere statuo, ut te auxiliante, ad cœlum possidendum pertingere, & à te in cælo possideri merear.

III. DEUS REX NOSTER.

Rex meus & Deus meus. Psal. 5. Possessio Dei, ac dominium est Monarchicum, ab omnibus independens. Interea tamen in subditorum suorum salutem ordinatum, a nullo modo tyrannicum. O Rex, Rex Regum, Rex supreme, agnosco; quantùm tibi ceu Regi meo amabilissimo, amorem debeam. Propono subditum agere erga te devotum, reverentem, fidelem.

IV. MAGNITUDO DEI.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Psal. 94. Primò. Deus incomparabiliter major est omnibus, quotquot dignitatis alicujus nomine præfulgent, est omnibus præstantior, nobilior, potentior: Secundò, Magnus est in omnibus perfectionibus suis, magnus sapientiâ, magnus misericordiâ &c. O Domine quis non ob hanc tam propriam tibi magnitudinem te amet! Propono nullius rei amorem tibi anteponere, quia nemo tecum mi Deus conferri potest, nec enim à quoquam aut voluptates, aut divitiæ, aut dignitates, aut honores &c. vel promitti etiam mihi possunt quæ cum iis in comparationem valeant venire, quæ à te proveniunt.

V. SUBLIMITAS DEI.

Hæc dicit excelſus & ſublimis habitans æternitatem. Iſa. 57. Ipſius enim pedibus omnia, maximè terrena ſunt ſuppoſita: *Terra ſcabellum pedum tuorum*, Iſa. 66. Unde cùm terra, res tam grandis à nobis credita, ſcabellum ſit pedum ipſius, ſublimitas Dei facilè colligitur. O Domine! quâ ratione te non amabo, cùm tantopere te humili hoc elemento noſtro ſuperiorem eſſe cognoſcam? Propono cor non apponere erga terram, nec ſinam me reculis illius ad te offendendum abduci.

VI. ALTITUDO DEI.

Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Pſal. 137. Ipſi ſubjiciuntur omnes res ſenſibiles, inſenſibiles, ſpirituales & cæleſtes. Subditi ipſi Chori Spirituum cæleſtium, ac infernorum. Omnes hoſce infinities tranſcendit potentiâ, ſapientiâ, dignitate &c. O Domine, quantum ideo meritò es amabilis! Propono me non abjicere in affectibus meis atque actionibus; nullam rem anteponere beneplacito tuo, nunquam voluntatem meam tuæ præferre ſtatuo.

VII. AMABILITAS DEI.

Patribus ſuis conglutinatus eſt Dominus, & amavit eos. Deut. 10. Id eſt, Deus non obſtante tantâ ſuâ celſitudine, dignatus eſt ſe nobis communicare, converſando cum hominibus, uti cum Patribus in veteri Teſtamento, in novo verò Teſtamento modo ſpeciali poſt Incarnationem Eccleſiæ ſuæ adhærendo. Nec qualemcunque tantùm amorem exhibuiſſe contentus fuit, ſed tenerè amavit, & deliciæ illius fuerunt eſſe cum filiis hominum. Quantæ hæ flammæ mi Deus ad accendendum amorem! Conabor omni modo me amabilem etiam tibi reddere, qui tam amabilem te mihi præbuiſti.

VIII.

Deus DESIDERABILIS.

Totus desiderabilis. Cant. 5. Id eſt, licèt, dum in terra degimus, Deum per gloriam non poſſideamus, eſt tamen ejuſmodi, ut ſit deſiderabilis: unde noſtra erga ſe deſideria Deus hic amabilis excitat, animando, ut cùm ipſo in cœlo uniri, ipſum de facie ad faciem videre, ipſo æternum gaudere exoptemus. O amabiliſſime mi Deus, quia deſiderabiliſſimus; propono animare deſiderium illud, quo flagro, poſſidendi te in cœlo, ſæpius dicendo: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Pſal. 41.

IX.

LAUDABILIS DEUS.

Magnus Dominus & laudabilis nimis. Pſal. 95. Ob excellentias nempè ſuas dignus eſt, qui laudetur, hoc eſt, de quo ſemper bene & laudabiliter loquamur, nunquam contumeliosè, quidquid enim continet, bonum eſt, dignum, quod manifeſtetur, in cujus manifeſtatione laus conſiſtit. Omne autem bonum adeò in ipſo redundat, ut Beati per totam æternitatem illud enarrando, non poſſint pro dignitate idem exprimere. Mi Deus! quomodo poſſim ab amore tui ceſſare, quandoquidem infinitum laudis meritum in te agnoſco. Propono, dum laudes tuas recito, ſpeciali cum affectu te laudare ac celebrare, laudeſque tuas ab aliis aut recitandas, aut decantandas libenter audire.

X.

INCOMPARABILIS Deus.

Quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in

in filiis Dei. Pſal. 88. In nullo trium horum, quæ creaturæ à Deo participant, in potentia inquam, ſapientâ ac bonitate nemo poteſt Deo æquiparari. O Domine! quis te non omnibus rebus præferat, ſciens, quòd omnia nec in minimo tibi comparari poſſint? propono, nulli plus credere, quàm tibi, nihil timere ſupra te: nihil etiam ſupra te amare.

DECAS VIII.

I.

DIVES DEUS.

IDem Dominus omnium, dives in eos, qui invocant illũ. ad Rom. 10. Deus nullius indigus, ſibi ſufficientiſſimus eſt; habet & abundanter, quod tribuat ſublevandis aliorum neceſſitatibus, plurima etiam ad eorum recreationem. O quantùm propter inexhauſtos hoſce theſauros tuos es amabilis! O nunquam Te offendam lucri alicujus aut divitiarum amore, à quo præſtantiores, quàm à quoquam alio divitiæ mihi obtingere poſſunt.

II.

LEGISLATOR DEUS.

Ecce Deus excelſus in fortitudine, & nullus ei ſimilis in legislatoribus. Job. 36. Deus ad ſapienter moderandum hoc univerſum, rei cuique leges ſuas præfixit. Leges ſtatuit cœlo, terræ, mari, animantibus, elementis, planetis &c. uti & hominibus; omniaque lege temperat rectiſſimâ ac ſuaviſſimâ. Mi benigniſſime Legislator, propter legem ſanctam à te mihi obſervandam propoſitam, volo ac debeo te amare. Propono eam obſervare cum omni diligentia, ſtudio, ac amore.

III.

OMNIPOTENS DEUS.

Non est alius Deus omnipotens præter eum. Tob. 13. Non enim par existit potentia, quæ possit ad libitum res omnes producere, productas destruere, & destructis meliores substituere: idque sine omni labore, incommodo, auxilio aliunde adoptato; solo nutu voluntatis suæ. *Vocat ea, quæ sunt, tanquam ea, quæ non sunt. Omnia, quæ voluit, fecit.* O Domine, ob omnipotentiam tuam amari dignissime! omnia cùm possis peccare non potes. Potentiam tuam in non peccando imitari statuo, quantumvis ex infirmitate nimis quàm frequenter cadam, sæpius etiam ex malitia mea peccare elegerim.

IV.

BEATITUDO DEI.

Beatus & solus potens Regum. 1. Tim. 2. Nulla miseria cadit in Deum (ecce primam Beatitudinis ipsius originem) nec cadere potest (ecce secundam. Præterea continet cumulum infinitarum rerum omnium, quæ ipsum reddere possunt contentum, & propterea beatum, & hæc omnia habet à seipso, eoque est beatus: O Deus omnium amore propter hanc tibi essentialem felicitatem & beatitudinem digne! propono nulla in re, nisi in te conquiescere, omnem felicitatem meam in te collocando.

V.

DEUS SALVATOR NOSTER.

Salvator non est præter me. Oseæ 13. ipse enim solus nos ob Adæ peccatum perditos, vult salvos esse: imò & post prævisum ab æterno peccatum Adæ salvare nos decrevit. O quantum tibi amorem peccator omnis debet; ex eo etiam capite, quòd, dum Angelos prævaricato-

res,

res, quantumcunque humanâ naturâ præstantiores, salvare minimè decrevisti, ipsum tamen salvare volueris. Propono eam vivendi rationem tenere, ut paratum mihi te Salvatore salutis æternæ beneficium capere merear.

VI.

Deus MERCES nostra.

Ego protector tuus, & merces magna nimis. Genes. 15. Deus operibus nostris mercedem creatam reponere non acquiescit, verùm ipse vult esse merces nostra. O Domine! quis hæc audiens tenerrimè erga te non afficiatur? propono etiam non aliam, quàm te ipsum, mercedem pro laboribus meis quærere.

VII.

Deus GLORIFICATOR.

Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum. 1. Reg. 2. Consolatur etiam Deus appetitum illum nostrum naturalem gloriæ tantopere concupitæ summam tribuendo gloriam, honorem summum. Profectò nullius in terris gloria eò evasit, quò pertingit gloria Sanctorum. Mi Deus, quî fieri potest, ut quis te non amet, dum ad tantum famulos tuos honorem extollis! propono semper operari ad majorem tuam gloriam, eum qui ab hominibus promittitur, ac subinde etiam tribuitur, honorem nihili æstimando.

VIII.

Deus RESUSCITATOR noster.

Ut non simus fidentes in nobis, sed in eo, qui suscitat mortuos. 2. ad Cor. 1. Cura Dei se extendit ad justorum etiam corpora, quæ in die novissimo resuscitabit, gloriaque cælesti ornabit. Mi Deus! quantum me ad te amandum obligas, dum corpus etiam meum tantopere à me amatum, diligis! Propono ita meo uti corpore, ut dotibus gloriosis ornatum, à te resuscitari mereatur.

IX.

Deus PRIMUS & NOVISSIMUS.

Ego Dominus primus & novissimus sum. Isa. 41. Locus hic insinuat, quod fidelis noster defensor est Deus, auxiliis suis, à fronte non minùs atque à tergo, nos circumdans; ne vel sub principio assultûs, vel sub fine tentationum inimici nostri vincant. Quantùm hinc te mi Deus amare debeo! in te confidere, & in necessitatibus meis sæpe ad te recurrere propono.

X. Deus ULTIMUS FINIS NOSTER.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Prov. 16. Id est, Deus est summum illud bonum, ad quem omnia, quæ agimus referre debemus, ad quod bonum acquirendum tum in mundo collocati, tum etiam tot naturæ gratiæque præsidiis instructi sumus. O amabilissime Domine, quantum obligor ad tibi benevolendum, eo quòd sis ultimus finis meus & quòd pro tali nullum creatum bonum mihi proposueris. Statuo vitam talem ducere, ut finem hunc assequar.

DECAS IX.

I.

TRINITAS DEI.

D*Ocete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Matth. 28. Deus unus in essentia, Trinus est in Personis. Quod quantò magis captum omnem naturalem excedit, tantò magis obligat ad Deum hunc amandum, qui tantopere major est omni eo, quod intellectu potest percipi: obligor etiam ad eum amandum, quia lumine sanctæ fidei ad se cognoscendum, & credendum me dignatus est perducere. Conabor impendere curam specialem animæ meæ, in qua SS. Trinitas imaginem suam describere dignata fuit; tres ejus poten-

tias

tias studiosè excolam, memoriam quidem sæpe Dei Patris reminiscendo, intellectum sæpe cogitando de filio, voluntatem, exercendo frequentes actus amoris erga Spiritum Sanctum.

II.
DEUS PATER.

Ut honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri JEsu Christi. ad Rom. 15. proprietas hæc est altissima Dei, quod Pater sit generando filium sibi consubstantialem, totque alios filios adoptando quot dantur electi. Quantus hic ad te amandum stimulus? Is qui Pater est filii Dei, miseros etiam homines nomine filiorum dignatur: propono omnem operam adhibere, ut mores filio, quamquam adoptivo, dignos exhibeam.

III.
Pater Deus INGENITUS.

Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Isa. 43. id est, Deus Pater ex altero Patre non est genitus. Quemadmodum inter homines contingit, ut omnis Pater sit alterius Patris filius. Atque titulo, quod alius eum Pater, cui suam debeat substantiam, non præcedat, dignissimus est amore. Statuo sæpius circa mysterium tam altum à Deo mihi revelatum actum fidei elicere.

IV.
Deus FONS OMNIS PATERNITATIS.

Flecto genua mea apud Patrem Domini nostri JEsu Christi, à quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Ephes. 3. Deus creaturas omnes amore paterno producendo, Pater est cujuslibet. Omni quoque generanti certum affectum paternum communicat, ut cum affectu generet. O amabilissime Deus! amare te hoc titulo cogor, quòd ex omni creatura affectum aliquem paternum in te deprehendo. Propono creaturis omnibus ita uti, ut tu in iis tanquam Pater universalis honoreris.

V.

V.

Deus FILIUS.

Hæc dicit Filius Dei. Apoc. 2. Deus ille qui eſt Pater, filium habet ſibi æqualem, ita tamen ut unicus exiſtat Deus. O Domine quia filium habes, qui non minùs eſt Deus, quam tu; quanta hæc tenerrimè te amandi ratio! Patrem filiumque tam præſtantem revereri propono.

VI.

Deus VERBUM.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Joan. 1. Modus hic, quo Pater æternus, Pater conſtituitur longè eſt excellentior eo, quo inter homines unus Pater, & alter filius dicitur. Per intellectum enim quia Pater æternus generat, filius dicitur verbum. O Deus, quomodo non amabo eum qui Pater eſt paternitate tam nobili & admirabili, uti & eum, qui modo tam admirabili eſt filius. Propono ſæpius reverenter hæc verba recitare. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, in honorem tanti Patris, tantique filii.

VII.

Deus noſter IMAGO.

Eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ. ad Coloſſ. 1. Filius Dei, ſecunda in Trinitate Perſona eſt imago Patris, verùm ſubſtantialis, in qua infinitæ illius perfectiones repræſentantur. O Domine, accreſcunt ſemper novæ te amandi cauſæ, inter quas numero dignationem tuam, quâ me in cognitionem excellentiæ filii tui adducere dignatus es. Imitari hunc ſtatuo, quantum mea fert infirmitas: talem in me per gratiam tuam imaginem perficiendo, in quâ mediante virtute appareat aliqua tui ſimilitudo.

VIII.

Deus SPIRITUS SANCTUS.

Accipite Spiritum Sanctum. Joan. 20. Spiritus ſanctus tertia in Trinitate Perſona, non minùs Deus, quàm prima & ſe-

& ſecunda; eſt unam inter & alteram vinculum amoroſum, eſt Spiritus, & ſanctus, à prima Perſona recipiens omnipotentiam, à ſecunda ſapientiam. O Domine! diligo te, propter datam mihi Tertiæ hujus Perſonæ agnitionem. Statuo vivere vitam ſpiritualem, & in actionibus meis operari ex Spiritu, ex motivo ſanctitatis.

IX. Deus AMOR.

Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo eſt. Joan. 4. Spiritus ſanctus tertia Perſona, ſimul eſt amor productus à Patre & Filio, qui invicem infinities ſe amant, amârunt, ac ſemper amabunt. O Domine! ſilice forem durior, ſi divinum hunc amorem non amarem. Propono ſæpe elicere actus amoris tui.

X. Deus DONUM.

Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei exiſtimâſti pecuniâ poſſideri. Act. 8. Cùm Spiritus ſanctus amor ſit, eſt aptus communicari, quibus enim bene volumus, in hos amorem effundimus. O amabiliſſime Deus! te donum eſſe oſtendis, quia jubes me ſperare amoris tui receptionem, ſi me eo non reddam indignum. Propono, ad receptionem magni hujus doni per bonorum operum exercitium me diſponere.

DECAS X.

I.

De beneficio PRÆDESTINATIONIS.

Elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati. ad Epheſ. 1. id eſt, Deus dignatus eſt ante mundi creationẽ ſeriem quandam beneficiorum ordinare, & in eo vitæ ſtatu quemque collocare, ut ſi in eo ſe geſſerit, uti vult Deus, ad ſalutem ſit perventurus. Mi Deus, me prorſus latet, utrum ſalvandus ſim an reprobandus; quia ex altiſſimis cauſis voluiſti, ut in hac incertitudine viverem: ſcio interim, quòd ex æterno amore talem

talem mihi vitæ ordinem designaveris, ut si voluero adjuvante gratiâ tuâ, re ipsâ salutem æternam possim consequi. Amabo te semper ob hunc tuum amorem: curabo omni studio illud opere implere, quod à me postulas, ut ad finem illum pertingam, ad quem misericorditer me ordinâsti.

II.
De beneficio CREATIONIS.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu. Job. 10. Quidquid sum, quidquid in mundo possideo; à Domino, dono accepi: sunt autem ea plurima. Quàm mihi es amabilis mi Deus, à quo totum esse meum habeo, pariter delectationem in tot creaturis, cælo, sole, luna, stellis, terra &c. Propono eo modo vivere, ut pro viribus tanto beneficio gratus evadam.

III.
De beneficio CONSERVATIONIS.

Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum esset, non conservaretur? Sap. 11. Beneficium creationis continuat Deus per conservationem. Et quanquam aliquando mihi moriendum sit, in universali tamen Resurrectione vitam recuperabo; per totam æternitatem quoad corpus & animam conservandus. Amandus mihi es Domine ob tam grande beneficium: per quod ex gratia ero in æternum, utì tu in æternum eris ex natura.

IV.
Beneficium REDEMPTIONIS.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit, non pereat sed habeat vitam æternam. Joan. 3. Peccavit homo, & propterea inferni reus factus est: perditum quæsivit Deus, eumque redemit assumendo carnem nostram ad patiendum ac moriendum. Quantum mihi hinc O bone Deus! te amandi debitum imponitur? Cùm præterquam, quod me à peccati originalis labe expurgaveris, toties præterea peccata mihi actua-

actualia remiſeris, atque hoc pacto me quaſi totidem vicibus redemeris. Propono ſæpe recurrere ad ſacræ Pœnitentiæ balneum, ut purior ſemper evadam, ampliuſque redemptionis beneficium participem.

V.

Beneficium VOCATIONIS ad veram fidem.

Obſecro vos, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, ad Epheſ. 4. Deus adlegit me ex ſpeciali affectu in numerum Chriſtianorum. O amor ſpecialis! quòd per Baptiſmum in album fidelium ſim relatus, quantum amori amorem debeo. Propono etiam vitam Chriſtiano homine dignam ducere.

VI.

De Beneficio JUSTIFICATIONIS.

Juſtificati per gratiam ipſius, per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto JEſu. Rom. 3 Exterminato in me peccato, contulit Deus mihi gratiam in Baptiſmo, eandemque toties, quoties peccata per pœnitentiam expiavi, benignè renovavit. O Deus ob datam mihi à te gratiam amabiliſſimus! eidem huic gratiæ omni ſtudio cooperari conabor.

VII.

De beneficio STATUS RELIGIOSI.

Ordinavit Deus in mundo ſtatum Religioſum, in quo qui voluerit vivere, dummodo ad eum vocatus ſit, ſpeciali modo ſpectat ad populum Dei, in quo alitur & nutritur immunis à curis ſæcularibus. Mi Deus! & amare te hinc debeo, quia hanc à mundo ſecedendi, è fluctibus ſæculi in portum religionis enavigandi commoditatem mihi præbuiſti. Propono Religioſis reverentiam exhibere.

VIII.

DE BENEFICIIS PARTICULARIBUS.

Et ſi pauca ſunt iſta, adjiciam multò majora. 2. Reg. 12. Præter beneficia omnibus communia, impertitus eſt

Dominus

Dominus singulis favores proprios, qui cum specialiter adamentur, beneficiis universalibus majores esse videntur. O Domine! cumulatus sum à te beneficiis tum naturæ, tum gratiæ: teque peculiari propterea amore complecti debeo. Propono omni tibi die propterea gratias agere, proque beneficiis totius anni decursu mihi præstitis, sub finem illius statuo tibi hymnum recitare: *Te Deum laudamus.* Amicos quoque meos in fine vitæ rogabo, ut in gratiarum actionem, pro omnibus peculiaribus in annos singulos mihi exhibitis beneficiis eundem hymnum cantent.

IX. De beneficio PERSEVERANTIÆ.

Tenuisti manum dextram meam: & in voluntate tua deduxisti me. Psal. 72. Multis malorum occasionibus Deus me eripuit, multisque instruxit auxiliis, ut in bono perseverarem. O Domine hinc videó, quantùm te amare tenear. Propono specialem operam impendere, ut dignum, quantum possum, me reddam, cui concedas finalis perseverantiæ donum.

X. De beneficio JUSTIFICATIONIS.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5. Parata est in cœlo cælestis gloria illis in præmium, qui in vita Deum amârunt. Mi Deus, quomodo est possibile, ut te non amem, quandoquidem in præmium amoris mei, paratus es mihi dare bonorum omnium per totam æternitatem possessionem in Paradiso? Propono ita vivere, ut illuc admitti merear, idque magis ex desiderio ut ità augeatur illorum numerus, qui te æternum amaturi ac laudaturi sunt, quàm proprii commodi studio.

Monitum.

Cui placuerit, legat P. Jacobum Alvarez Soc. JEsu, in Meditationibus suis, è quo magna ex parte hæc sunt desumpta.

EXER-

EXERCITIUM XXVIII.

Ad confirmationem propositorum, quæ sunt facta tempore Exercitiorum & ad media illa in opus redigendi, stabilienda accommodatum.

Omnis servus, qui cognoverit voluntatem Domini sui, & non fecerit eam, vapulabit multis. Lucæ 12. *Si in Tyro, & in Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent.* Lucæ 10. *Impossibile esse eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri,* ad Hebr. 6.

PRAXIS.

Pro ultimo Exercitiorum die.

PEractâ Meditatione primâ pomeridianâ ultimi diei Exercitiorum, optem, ut aut tabellinio assidens, aut in loco Orationis consueto in manus hanc chartam sumas, atque ea, quæ hìc insinuantur, attentè percurrendo singula capita præstes.

Justificationem, quam cœpi, non deseram. Ita inquiebat S. Job, cùm adversarii ipsius tam visibiles, quàm invisibi-

visibiles, ad prævaricandum eum conabantur inducere, Hæc eadem tibi verba suggero ANIMA MEA, ut postremo hoc Exercitiorum die altè cordi tuo illa insculpas. Fundamentum emendationis posuisti, culpas tuas plangendo, sacrum tribunal adeundo; sacram Synaxin frequentando, propositaque in salutem tuam invigilandi faciendo. Verùm omnia illa hucusque præstita non sunt, nisi principium. Nunc ut principia stabiliantur, ut super fundamento jacto ædificetur, intendendum: eumque in finem sequentes suggero industrias.

Primò: Supplica Domino, ut te in propositis, diebus præcedentibus, factis confirmet; & dic ad Deum: Perfice gressus meos, *ora, ut habituales tuas actiones ipse faciat quoad substantiam semper esse perfectas, & auxilium præbeat, ut non exerrent gressus tui, id est, ut gratiam det Dominus parva opera devotionis non intermittendi, ideoque subjunges:* Ne moveantur vestigia mea. *Similiter ora, ut veritates intellectæ semper animo tuo impressæ maneant:* Spiritum sanctum tuum, Spiritum veritatis ne auferas à me. *Precare denique, ut arceat à te omnes, qui perseverantiæ tuæ obstaculum injicere possent:* Avertantur statim erubescentes, qui quærunt animam meam, qui volunt mihi mala. *Statue mediante ipsius auxilio mori potiùs, quàm peccare. Malo mori, quàm fœdari.*

Secundò: Examina fontes, unde profluere possit neglectus propositorum factorum. An ex inconstantia tua, an ex sociis, occupationibus, indomitis passionibus, respectu humano, an aliunde, & cogita seriò de mediis, quæ adhibere velis, conferendo etiam cum Patre spirituali, & in libellum proposita tua referendo.

Tertiò: Revoca in memoriam unam è regulis illis Christi, de quibus in singulos meditationis & considerationis dies aliquæ propositæ sunt, de modo Christianè vivendi. Una harum solidè observata potest esse principium salutis.

Quartò: Statue aliquod diebus singulis tempus tribuere auscultationi de profectu tuo, deque animæ tuæ negotiis. Ecce regulam pulchram & facilem: Mediam quotidie horam, si amplius non licet, tribue consideration

punct

puncti alicujus salutaris. Quadrantem unum ut primùm è lecto consurgis, poteris huic Exercitio impendere. Alterum quadrantem, dum Missæ interes, aut saltem dum Ecclesiam frequentas. Poteris etiam, dum aut negotiorum, aut liberioris aëris hauriendi gratiâ civitatem obambulas, recollectione aliquâ internâ, ac veritatis cujusdam æternæ consideratione tempus utiliter lucrari. Modò volueris, industriæ non deerunt: stude etiam post prandium, aut sub vesperam quadrantem lectioni libri spiritualis impendere. Omnibus diebus festis tempus matutinum totum consecretur profectui animæ tuæ, insumatur hora meditando, sive in Ecclesia, sive domi, sive alibi: impendatur tempus aliud libro spirituali, aliud Missæ & Communioni, cum facultate Patris spiritualis; frequentationi sodalitatis, auscultationi Prædicationis, visitationi piarum Ecclesiarum, aut nosocomiorum, atque aliis ejusmodi operibus devotionis. Mense quolibet in die minùs occupato (qualis posset esse dies festivus) *discute vitam & statum animæ tuæ. Idem præsta omni anno, in octiduanis, aut decendialibus Exercitiis, eâ methodo, quâ fieri posse facillimè in libello hoc est demonstratum.*

Quintò: Propone sæpe confiteri & communicare: sique Pater tuus spiritualis probaverit, omni octiduo illud facito. Quòd si culpâ tuâ in peccatum aliquod mortale prolapsus fuisses, noli sine Confessione ad lectum concedere.

Sextò: Habe tibi commendatum examen quotidianum conscientiæ, antequam eas cubitum: postque illud animam tuam semper verbis illis Christi: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. *Deo commendare statue, ne quando moriens, improvisò discedas.*

Septimò: Sunt, qui omni anno sub finem illius, Confessione generali, admissas per decursum illius culpas expiant, ut ita rationes præteritas cum Deo componant, novumque cum vita meliore auspicentur: similiter ob beneficia de anno recepta cum speciali pietate gratias agunt: hunc morem solennem habet Bononia, dum ultimo die in templo S. Luciæ publicæ Deo gratiæ aguntur; quò tota ferè civitas, populus ac nobilitas confluit: proque beneficiis tam omnibus in genere, quàm cuique in specie collatis decantatur hymnus: Te Deum laudamus; *spectaculum hoc potens est ad movenda corda. Qui mos laudabilis, utinam ubique introduceretur.*

Octavò : Propone tibi, devotionem aliquam certam constanter exercere. Qualis esse potest : quotidie recitare Officium B. Virginis : die Veneris Officium S. Crucis : septem Psalmos Pœnitentiales ante Confessionem : Officium S. Spiritûs ante Communionem : Jejunium die Sabbathino : recitare Rosarium : albo sodalium nomen suum adjicere : vacare pietati erga animas in flammis piacularibus detentas : in transitu per cœmeterium recitare De Profundis : *deducere Venerabile Sacramentum, dum defertur ad moribundos.*

Nonò : Propositum non conversandi cum sociis depravatæ vitæ, aut suspectæ famæ ; & evitandi loca Divinis offensis obnoxia, maximè obscœna theatra.

Decimò : Memineris etiam propositi specialem reverentiam exhibendi templis , non negandi etiam honorem imaginibus in platea expositis. Amuletum etiam aliquod sacrum assuesce è collo gestare. Alii quidem gestant Reliquiarium, alii imaginem Virginis Scapularem, alii Rosarium, alii Crucifixum, alii in protestationem fidei conscriptum propriâ manu Symbolum apostolorum. Comprimis frequenter visita SS. Eucharistiam, ad quam venerandam prima via manè, ultima vespere tendat. Inter visitandas Ecclesias selige præ reliquis præcipuas civitatis, uti Cathedralem ac similes.

Undecimò : Incidente morbo, ne differas Confessionem : neque pudore ac metu absterrearis à postulando tempestivè Viatico & extremâ Unctione : hæc enim Sacramenta non modò nullum inferunt corpori nocumentum , sed & sæpe dispositiones sunt, ut intuitu illarum Deus concedat sanitatem.

Duodecimò : Committe viro bono ac prudenti, ut de defectibus tuis candidè te admoneat : quibus quanquam omnes abundemus, horremus tamen proh dolor ! ad emendationem etiam nostram, de iis admoneri.

Atque hæc sunt , quæ ad conservationem spiritûs deserviunt ; neque ad particularia plura descendo , tum quia nunquam finis foret, tum quia multa in decursu meditationem , plura etiam ipse in propositis tuis annotaveris. Hoc solùm te monendum existimo , ut sæpe Dei recorderis, sæpe de die, etiam noctu, dum evigilas, per Orationes jaculatorias mentem ad Deum eleves.

Postridie Exercitiorum, peractâ meditatione consueta, confer te ad audiendam Missam, & ad adeundam sacram Synaxin: recita dein Psalmum *Miserere*, ad impetrandam veniam, de admissa negligentia tempore Exercitiorum. Confer tecum chartam, in qua annotasti lumina & proposita: & factâ post Communionem gratiarum actione, offer ea Divinæ Majestati, eaque renova & confirma. Adde Hymnum *Veni Creator Spiritus*, cum Oratione de S. Spiritu, & Oratione ad BB. Virginem *Sub tuum præsidium*, ad obtinendam bene cœpta & proposita perficiendi gratiam. Subjunge dein Orationem sequentem, in qua summatim pro commodo tuo collectæ sunt observationes tibi recommendatæ: proque majori devotione tua, poteris eam manu propriâ describere:

Creator & Redemptor animæ meæ! ecce creaturam tuam ingratissimam, quanquam tibi obligatissimam, quæ humillimè prostrata ad pedes tuos, devotissimas tibi reddit gratias, quòd ei exiguum tempus concedere dignatus sis; quo consideraret maximi momenti negotium, negotium salutis æternæ: favor hic talis est, quali non es dignatus tot, & tam multos, etiam me longè meliores. Interea admissi in diebus hisce tam pretiosis defectus varios; veniam te enixè rogo; propono autem maximè peccatum omne mortale (tanquam maximum malum) omni studio devitare: Propono & sequentia, & frequenter juxta consilium Patris mei spiritualis confiteri & communicare; occasiones peccandi fugere, specialiter illas, quas mala societas, & librorum obscœnorum lectio posset ministrare; detestor illos in præsenti, & igni, quos habeo, addicam. Propono adhæc singulariter esse devotus erga Passionem Christi, erga Venerabile Sacramentum, Cælorum Reginam, Angelum Custodem, animasque in Purgatorio. Propono esse misericors erga pauperes, & iis, qui me offenderunt, injurias omnes remittere, omni etiam die temporis aliquid Veritati alicui æternæ meditandæ impendere, anno etiam sequenti, octo dies, dum licuerit, dare Exercitiis. JESU bone, assiste huic voluntati meæ. Adsis mihi specialiter,

ut datis occasionibus non erubescam, videri Discipulus tuus. Confer mihi auxilium tuum speciale, ne sinam in me prædominari passiones meas. De reliquo abscondo hic animam meam intra sacratissima tua Vulnera, optoque in iis vivere ac mori. JESUS esto mihi JESUS, id est, Salvator, hoc enim sonat sacratissimum Nomen tuum, nunc & in hora mortis meæ. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Custodi in æternum hanc voluntatem; & semper, in venerationem tui, mens ista permaneat. 2. *Paralip. cap.* 29. Vivat JESUS, vivat MARIA.

ORATIO.

DEus Virtutum, cujus est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis RELIGIONIS augmentum: ut, quæ sunt bona, nutrias, ac PIETATIS studio, quæ sunt nutrita, custodias. Per Christum Dominum nostrum.

Conclude denique dicendo: Agimus tibi gratias omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Si habueris opportunitatem, visita de die templum aliquod ob devotionem celebre, & reliquum diei, si commodum fuerit, expende in opera devotionis.

MONITUM.

Subtexam hic aliam methodum devotionem conservandi; in quem finem subministro faciles aliquas pietates, quæ in singulos septimanæ dies adhiberi possunt.

Pro die Dominica.

Honora specialiter hâc die SS. Trinitatem; recitando Hymnum

Hymnum *Te Deum laudamus*, & Symbolum Apoſtolorum addendo ter : *Gloria Patri*. Hac die cogita de Gloria Paradiſi : Deo autem ſpecialiter commenda Principes ſeculares & Eccleſiaſticos , tuæ item civitatis Magiſtratum.

Die Lunæ.

Venerare SS. Angelos, maximè Tutelarem tuum. Dic novies *Angele Dei*, & invoca novem Angelorum Choros. Commenda illis domeſticos, Patrem , Matrem, fratres, ſorores, cognatos, neceſſitates familiæ tuæ, tum ſpirituales, tum temporales.

Die Martis.

Invoca omnes Sanctos, maximè Patronos tuos, eumque, cujus nomen geris. Dic ſepties : *Omnes Sancti , & Sancta Dei intercedite pro me*. Commenda eorum ſuffragio omnes Chriſtianos, maximè populares tuos. Cogita de extremo Judicii die.

Die Mercurii.

Ora pro animabus in purgatorio, maximè iis, quæ deſ relictæ ſunt. Ora pro iis Officium Defunctorum : commenda earum precibus omnes mundi infideles ac peccatores, maximè populares tuos. Meditare aliquid de Purgatorio.

Die Jovis.

Reverere Venerabile Sacramentum. Adora illud , aut in Eccleſia aliqua, aut verò domi ; faciem vertendo verſus Parochiam, atque illic iſtud honorando. Dic in honorem ejuſdem Hymnum : *Pange lingua glorioſi*. Commenda omnes infirmos, ne diſcedent abſque Viatico ; eandemque tibi etiam gratiam implora. Cogita aliquid de Pœnis inferni.

Die Veneris.

Honora Passionem Dominicam. Recita Officium S. Crucis, aut in honorem quinque Vulnerum totidem Pater & Ave. Commenda Crucifixo inimicos tuos, orans pro iis remissionem peccatorum, felicitatemque pro hac atque altera vita. Cogita aliquid de Passione Domini.

Die Sabbathi.

Honora BB. Virginem, recolendo duodecim ipsius privilegia, per totidem Ave Maria; qualia sunt: I. Maternitas Dei. II. Immaculata Conceptio. III. Illibata ipsius Virginitas. IV. Esse Reginam Angelorum. V. Reginam Patriarcharum. VI. Prophetarum. VII. Apostolorum. VIII. Martyrum. IX. Confessorum. X. Doctorum. XI. Virginum. XII. Reginam cæli ac terræ: commenda in sinum ipsius corpus & animam pro vita, morte ac æternitate. Considera hodie Æternitatem.



INDEX RERUM,
QUÆ CONTINENTUR HOC
Libro, sive parte primâ & secundâ

OMNIBUS UTILISSIMUS,
Maximè serviens Directori Exercitiorum Spiritualium: hinc enim facilè discet, quem ordinem servare possit in distribuendis paginis meditationum quæ separatim possunt dari, his qui Exercitia obeunt.

PARS PRIMA.

Continet exactam Informationem de natura & proprietatibus exercitiorum spiritualium: utilissimam item & facillimam instructionem super omnibus, in quibus Exercitantes occupari possunt. Esset utile, Directorem unà antè, quàm Exercitia tradat. septimanâ dare hanc instructionem Exercitanti, sic enim uterque faciliùs pergeret, neque ipso Exercitiorum tempore multâ de singulis instructione opus foret, verùm prout necessitas requireret, assignaret solummodo quæ legenda forent. ex.gr. dum confessio generalis peragenda, jam ante Exercitans ad eam se utcunque posset disponere; & in Exercitiis non aliud necesse foret, quàm ut inquirat solummodo hac de materia paginam. Idem dicendum de aliis occupationibus.

PARS SECUNDA.

Continet sequentia, quæ ne sit necesse sæpius repetere, digeruntur sub varia divisione, pro commoditate partim Directoris; partim illius, qui talem habere nequit.

Nota, quod post assignatam & explicatam meditationem faciendam, assignanda etiam materia pro hora considerationis, & pro tempore lectionis spiritualis. Ita ut tribus diversis vicibus (nisi prudentiæ Directoris aliud videretur) Exercitans tria de manu Directoris habeat recipienda: Meditationem, lectionem spiritualem, & considerationem. In hunc finem distribuet Director paginas triplices hoc libro contentas, quæ complectuntur memoratas tres materias, meditationem, lectionem spiritualem & considerationem.

Monitum primum.

In distributione horarum invenietur divisio temporis meditandi in quatuor tempora, dum manè duo, & à prandio duo assignantur. Et semel utrobique per mediam horam. Potest autem omni tempore integra hora insumi; potest etiam semel integra hora, & alias media tantùm hora impendi, uti noto pag. 61. §. XXXII. usus autem sum nomine generali TEMPORIS, *ut præscinderem ab hora integra & ab hora media meditationis. Determinatio enim hujus tota pendet à Directore, qui ad vires Exercitantis debet reflectere. Inferiùs autem in distributione invenietur, quodnam Exercitium, sive meditatio pro duabus vicibus serviat.*

Monitum secundum.

Admoneo hic, quod pro Diversitate meditationum mutandæ etiam sunt additiones quibusque propriæ. Recordare itaque hujusce moniti. Et antequam ordiaris primum Exercitium positum pag. 141. lege additiones, aut verò procura ut legantur additiones, quas invenies pag. 134.

Meditationes, & lectiones sunt communes Personis sæcularibus, Religiosis, Ecclesiasticis. Considerationes autem propriæ assignantur cuivis ex dictis classibus.

DISTRIBUTIO PRIMA.

Quæ servari potest à Directore in distributione meditationum facienda illi, qui per decem dies obit Exercitia.

Pro prima die manè Exercitium I. pag. 141. servit pro duabus vicibus.

Pro tempore pomeridiano Exercitium II. pag. 149. servit pro duabus vicibus.

Monitum.

Præter lectionem spiritualem huic diei assignatam potest dari legendus Catalogus de passionibus magis ordinariis positus pag. 157. Quod hic noto, ut Exercitans per decursum Exercitiorum possit deliberare de remediis easdē edomandi; in hunc finem dirigendo meditationes, aliaque pia opera.

Secundus dies.

Pro matutino tempore Exercitium III. pag. 165. Servit pro duabus vicibus.

Pro tempore pomeridiano Exercit. IV. pag. 173. servit pro duabus vicibus.

Tertius dies.

Pro matutino tempore Exercit. V. pag. 181. servit pro primo tempore meditationis. Et Exercit. VI. pag. 189. servit pro secundo tempore.

Pro tempore pomeridiano Exercit. VII. pag. 197. servit pro primo tempore Meditationis & Exercit. VIII. pag. 205. servit pro secundo tempore.

Quartus dies.

Pro matutino tempore quarti diei Exercit. IX. pag. 213. Servit pro primo tempore meditationis & Exercit. X. pag. 221. servit pro secundo tempore.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XI. pag. 229. servit pro primo tempore meditandi & Exercit. XII. pag. 237. servit pro secundo tempore.

Quintus dies.

Pro matutino tempore quinti diei Exercit. XIII. pag. 245. servit pro duabus vicibus.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XIV. pag. 235. servit pro duabus vicibus.

Præter

Præter lectionem spiritualem huic diei assignatam potest etiam dari legendus catalogus virtutum aliquot Christianarum &c. Quæ notatæ pag. 261.

Sextus dies.

Pro matutino tempore diei sextæ Exercit. XV. pag. 269. servit pro duabus vicibus.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XVI. pag. 285. servit pro duabus vicibus.

Hoc tempore Director poterit clienti suo legendam dare instructionem super bona electione. De qua pag. 277.

Septimus dies.

Pro matutino tempore Exercit. XVII pag. 293. servit pro primo tempore meditationis. Et Exercit. XVIII. pag. 301. servit pro secundo tempore.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XIX. pag. 309. servit pro duabus vicibus.

Octavus dies.

Pro matutino tempore Exercit. XX. pag. 325. servit pro duabus vicibus.

Pro tempore pomeridiano Exercit XXI. pag. 333. servit pro primo tempore meditationis ; & Exercit. XXII. pag. 341. servit pro secundo tempore.

Nonus dies.

Pro matutino tempore Exercit. XXIII. pag. 349. servit pro duabus vicibus.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XXIV. pag. 357. servit pro duabus vicibus.

Præter ea, quæ propria sunt hujus pomeridiani temporis, præter considerationem ordinariam, potest Exercitanti dari Exercit. XXVIII. pag. 433. de stabiliendis propositis factis.

Decimus dies.

Pro matutino tempore Exercit. XXV. pag. 365. servit pro duabus vicibus.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XXVI. pag. 373. ser-

ſervit pro primo tempore meditationis & Exercit. XXVII. pag. 381. ſervit pro ſecundo tempore.

Pag. 389. invenies centum perfectiones Dei: poterunt hæ ſervire tum pro meditatione, tum pro lectione, tum pro conſideratione pro matutino tempore poſt expletum tempus Exercitiorum: aut etiam pro occupatione in totum diem, nulli ſe horæ affigendo.

DISTRIBUTIO SECUNDA.

Poterit hac uti Director pro aſſignandis Exercitiis meditationum his, qui per octo tantùm dies Exercitiis ſpiritualibus ſunt vacaturi.

Primus dies.

Pro matutino tempore primum Exercitium ſervit pro duobus temporibus meditandi.

Pro tempore pomeridiano Exercit. II. ſervit pro duobus temporibus; poterit etiam hoc die legi Catalogus Paſſionum.

Secundus dies.

Pro matutino tempore ſecundi diei Exercit. III. ſervit pro duobus temporibus meditandi.

Pro tempore pomeridiano Exercit. IV. ſervit pro primo tempore meditandi. & Exercit. V. pro ſecundo.

Tertius dies.

Pro matutino tempore Exercit. VI. ſed pro duobus temporibus meditandi.

Pro tempore pomeridiano Exercit. VII. ſervit pro primo tempore meditandi. & Exercit. VIII. pro ſecundo tempore.

Quartus dies.

Pro matutino tempore Exercit. IX. ſervit pro primo tempore meditandi & Exercit. X pro ſecundo tempore.

Pro tempore pomeridiano Exerc. XI. ſervit pro primo tempore meditandi. & Exercit. XII. pro ſecundo tempore.

Quintus dies.

Pro matutino tempore Exercit. XIII ſervit pro primo tempore meditandi. Exercit. XIV. pro ſecundo tempore.

Hoc

Hoc die potest extradi legendus Catalogus virtutum aliquot Christianarum positus pag. 261.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XV. servit pro primo tempore meditandi, & Exercit. XVI. pro secundo tempore.

Monitum.

Hoc tempore dantur legendæ Instructiones pro facienda bona electione pag. 277.

Sextus dies.

Pro matutino tempore Exercit. XVII. servit pro primo tempore meditandi. Et Exercit. XVIII. servit pro secundo tempore.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XIX. servit pro primo tempore meditandi. & Exercit. XX. pro secundo tempore.

Septimus dies.

Pro matutino tempore Exercit. XXI. servit pro primo tempore meditationis, Exercit. XXII. pro secundo tempore.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XXIII. servit pro utroque tempore.

Octavus dies.

Pro matutino tempore Exercit. XXIV. servit pro primo tempore meditationis. Et Exercit. XXV. pro secundo tempore.

Detur hoc tempore legendum Exerc. XXVIII. positum pag. 433.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XXVI. pro primo tempore meditandi. & Exercit. XXVII. pro secundo tempore.

Monitum primum.

Pag. 389. ponuntur centum Perfectiones Dei, servituræ pro Meditatione, lectione, consideratione matutina diei post absoluta Exercitia. Item pro suavi occupatione, nulli se horæ affigendo.

Monitum secundum.

Considerationes & Lectiones spirituales ponuntur Tomulo secundo. Videatur isthic earundem praxis.

DISTRI-

DISTRIBUTIO TERTIA.

Quæ ſervire poterit pro aſſignandis Exercitiis meditationum iis, qui tantùm per triduum vacant Exercitiis.

Primus dies.

Pro matutino tempore primi diei Exercitium I. pro primo tempore meditandi. Et Exercit. II. pro ſecundo.

Pro tempore pomeridiano Exercit. III. Pro primo tempore meditandi: & Exercit. IV. pro ſecundo.

Secundus dies.

Pro matutino tempore Exercit. V. pro primo tempore meditandi, & Exercit. VI. pro ſecundo tempore.

Pro tempore pomeridiano Exercit. VII. pro primo tempore meditandi, & Exerc. VIII. pro ſecundo tempore.

Tertius dies.

Pro matutino tempore Exercit. XV. pro primo tempore meditandi. & Exercit. XVI. pro ſecundo tempore.

Pro tempore pomeridiano Exercit. XIX. pro primo tempore meditandi. Exercit. XXI. & XXII. pro ſecundo tempore.

Monitum primum.

Quod ſi quis vellet obire exercitia per quatuor, quinque, ſex, vel ſeptem dies, poterit Director ad ſimilitudinem harum Diſtributionum aptare alias juxta prudens dictamen ſuum.

Monitum ſecundum.

Paginæ pro lectionibus Spiritualibus ac conſiderationibus ſervituræ reperientur in ſecundo Tomulo, conformes diverſitati Perſonarum tum ſæcularium, tum Regularium tum Eccleſiaſticarum. Director eas excerpat, quas judicaverit expedire.



PARS TERTIA
SOLITUDINIS SACRÆ,

Quâ continetur Materia expendenda pro Hora

CONSIDERATIONIS

ACCOMMODATA SEORSIM

Secularibus, Ecclesiasticis, & Regularibus.

AUTHORE R.P.

CAMILLO HECTOREUS,
Soc. Jesu.

NUNC

POST SEPTIMAM EDITIONEM ITALICAM TRANSLATA IN LATINUM

A

R. P. HENRICO HEINSBERG
EX EADEM SOCIETATE JESU.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus WILHELMI METTERNICH, Bibliop.
Sub Signo Gryphi. Anno M. D. CC. XXVII.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

PARS III.

SOLITUDINIS SACRÆ,

Quâ continetur materia expendenda pro
HORA CONSIDERATIONIS.

Pro triplici hominum classe,

Id est, pro

SECULARIBUS, ECCLESIASTICIS, REGULARIBUS.

Considera, quòd proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum: & è contrario mortem, & malum: ut diligas Dominum Deum tuum, & AMBULES in viis ejus; & custodias MANDATA ejus, & CÆREMONIAS, atque judicia, & vivas. Deut. 30. *Consideravit SEMITAS domûs suæ.* Proverb. 31. *Omnes SEMITAS meas observâsti, & vestigia pedum meorum CONSIDERASTI.* Job. 14. *Redi ad cor tuum, & diligenter discute teipsum.* 1. *Unde vivis.* 2. *Quò tendis.* 3. *QUOMODO vivis.* 4. *Quid AGIS.* 5. *Quid AMITTIS?* 6. *Quantùm quotidie PROFICIS?* 7. *Quantùm DEFICIS?* 8. *Quibus COGITATIONIBUS magis incursaris?* 9. *Quibus AFFECTIBUS frequentiùs tangeris?* 10. *Quibus TENTATIONUM machinis à maligno spiritu acriùs impugnaris?* Bernardus de domo interior. cap. 14. *Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra Regem.* 2. Paralip. 14.

DISTRIBUTIO PRIMA PUNCTORUM,

QUÆ

Expendenda tempore Exercitiorum proponuntur Personis illis

SÆCULARIBUS,

Quæ optant ducere vitam boni Christiani, pro hora

CONSIDERATIONIS

Pro quolibet die prædictorum Exercitiorum, juxta ea, quæ docuimus in prima Parte eorundem, & in distributione Horarum.

MONITUM.

IS, qui tempore spiritualium Exercitiorum paginis hisce utetur, legat per vices solummodo id, quod cuilibet diei est proprium: sic enim paulatim progrediendo, cum majori applicatione quiete ac profectu consideratio succedet; quod non eveniret, si alio stylo esset procedendum. Quapropter hìc IV. puncta proponuntur, ut in materia Considerationis detur varietas, ut cuilibet puncto quadrans possit impendi, atque hoc modo tædium evitetur.

PRO DIE PRIMA.

I. Considera, utrum verum animam tuam salvandi desiderium habeas: Dico *verum*: quale ad minimum habere soles in aliis negotiis; quanquam alterum tibi præ omnibus maximè cordi esse deberet. *Non accepit in vano animam suam.* Ita de Justo dicitur Psalmo 23. *Anima mea in manibus meis semper.* Ita de se cecinit Psaltes Regius. Psal. 118.

II. An

II. An adhibeas media necessaria ad salvandam animam; quiam non sufficit esse Christianum: observanda sunt mandata Dei. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19.

III. Utrum industriam ad mandatorum observationem requisitam adhibeas. Quales industriæ inter cæteras sunt hæ: *Primò.* Ad Deum per Orationem recurrere. Attende autem, cujusmodi Orationem facias; maximè tempore tentationis. *Secundò.* Usus Sacramentorum. Examina te, quoties & quantâ ante & post usum eorum, pietate illa frequentes. *Tertiò.* Conferre cum Patre spirituali, ad accipiendam, in perplexitatibus conscientiæ, & in tentationibus directionem. Attende, quoties cum eodem conferas. *Quartò.* Fuga occasionum peccandi: vide, an tales fugias, an verò potiùs secteris. *Quintò.* Resistentia adversus tentationes: vide, an iis cedas, consentiendo. *Sextò.* Mortificatio Passionum, vide an illis te opponas, aut verò iis indulgeas; vel ipsas, quod Deus avertat, foveas atque corrobores. *Septimò.* Considera seriò verba illa: *Ponam consilia in anima mea.* Psal. 12. Attende; quoties de die, de septimana, de mense, omni item anno, de animæ tuæ rationibus ac profectu consultes; & quanta cum animi applicatione hanc consultationem instituas.

IV. *Considera, an, quando culpâ tuâ, in peccatum grave incidisti, Dei offensa graviter animum tuum angat; an verò eandem, tanquam rem levis momenti transmittas, ac parvi pendas: nihili inhonestatem aliquam aut impudicitiam, nihili vindictam, nihili detractionem, nihili scandalum faciendo:* Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata malum. *Prov.* 30. Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas, lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. *Prov.* 2. Cùm præterea mihi videatur necessarium, ut quasdam vitæ, Christiano modo peragendæ regulas, hoc tempore tibi efformes, quibus extra tempus Exerci-

Exercitiorum valeas uti,earum aliquas collige utiles futuras in ſingulos dies. Tu Deo te commenda, & plures Evangelicæ doctrinæ conformes, vitæque tuæ ſtatui aptas tibi ſuggeret. Hodie quatuor ſequentes pertracta,ac ſemper ſervare ſtatue.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Deum magni æſtimare,primò per intellectum.* Sentite de Domino in bonitate *Sapientiæ* 1. *Id eſt, æſtima ceu bonum abundans & infinitum. Senti de Deo optimè.*

II. *Quoad voluntatem, magnum ſtudium adhibere ad ipſi placendum.* Deo per omnia placentes. *ad Coloſſ.* 1. *& ad mandata ipſius implenda.* Mandata ejus obſerva. *Eccleſ.* 12.

III. *Pro maxima felicitate reputare ſanctum ipſius timorem,& ſecundùm leges illius vitam inſtituere*; Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. *Pſ.*127. *Quodque principium ac ſignum hominis verè ſapientis ſit timere Deum*; Initium ſapientiæ timor Domini. *Hunc ipſum etiam pro ſigno bonæ indolis æſtimare.* Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Pſalm.* 100.

IV. Pro maximo malo habere peccatum mortale, & ad illius fugam ſemper eſſe animatum. *Quaſi à facie colubri fuge peccata. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Eccleſ. 21.

PRO DIE SECUNDA.

I. Conſidera,quæ ſit communis tua vivendi ratio ſingulis diebus,ut poſtquam dies, ſeptimanas,menſes,& conſurgentes ex iis annos perluſtraveris, judicare poſſis, an maximam vitæ tuæ partem in ira & in offenſa Dei tranſegeris, atque hinc meritò timeas, ne ſis facturus æternam Dei jacturam. *Ducunt in bonis dies ſuos,& in momento ad inferna deſcendunt.* Job. 21. An verò ſanctam Prophetæ Zachariæ hortationem ſis ſecutus; *Serviamus illi in ſanctitate & juſtitia coram ipſo omnibus diebus vitæ noſtræ.* Luc. 2.

II. At

II. Attende, quos actus pietatis, religionis, ac devotionis præstes: *Pietas ad omnia utilis.* 1. ad Tim. 4. An ex. gr. manè, è electo consurgens, Deo te commendes: diem illi hunc consecres cum firmo proposito ipsum honorandi, non offendendi; an sacrum Missæ Sacrificium frequentes; an concionem auscultes; an B. Virgini devotus existas; pius in animas purgatorii, misericors in pauperes &c.

III. In quibus peccatis, sive cogitationum, sive operum, sive verborum frequentiùs soleas delinquere: & maximè reflecte, an ad eadem facilè redeas, ut primùm etiam per Confessionem illa expiâsti. Sicut canis revertitur ad vomitum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. Prov. 26. Hujus verò inquire in causas & originem.

IV. Utrum temerariè admittas peccata venialia, & absq; ullo remorsu; procul habens, quòd illa sint dispositiones ad mortalia. *Qui spernit modica, paulatim decidet* Eccl. 19.

Hodie stude tum studium tum odium quatuor horum punctorum cordi tuo insculpere.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Secundùm Deum nihil tibi carius esse debet tuâ animâ.* Agonizare pro anima tua *Ecclesiastici* 4. *Minimum etiam illius incommodum solicitè fugiendum*: Quam commutationem dabit homo pro anima sua? *Matth.* 16.

II. *Supera nimium pudorem, per quem Dæmon à peccatis confitendis retrahit, & æternum perdendæ animæ periculum creat.* Pro anima tua ne confundaris dicere verum. *Eccl.* 4.

III. *Nunquam peccatum ullum admitte ex præsumptione obtinendæ post peccatum pœnitentiæ: stolida enim fiducia illa te destituet.* Spes impiorum peribit. *Prov.* 10.

IV. *Omnia dictamina ista, quæ pugnant contra Deum & animam, pro magna stoliditate reputa:* Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, Diabolica. *Jacob.* 3.

PRO DIE TERTIA.

I. Conſidera, quo cultu diſtinguas dies feſtivos à profanis diebus. Feſtivi ſpecialiter Deo ſunt conſecrati, & tales honori ſuo deputari poſtulat. *Requies Sabbathi* (idem intelige de diebus feſtis) *ſanctificata* (id eſt reſervata) *Domino* ad honorem ipſius. *Exod.* 16. *Sabbathizes Sabbatbum Domino*. Levit. 25. *Dies ſeptimus, quia Sabbathi requies eſt, vocabitur Sanctus*. Levit. 25. Vide, an ita obſerves.

II. Vide an domi tuæ Feſtum celebrare ſit tantundem, ac tractare ludos, jocos, ineptias. Audi, quid de hujuſmodi Feſtorum celebratione dicturus ſit Dominus; *Solennitates veſtras odivit anima mea*. Iſai. 1. Vindicat Deus talia. *Diſpergam ſuper vultum veſtrū ſtercus ſolennitatum veſtrarum*. Malach. 2.

III. Quam exhibes reverentiam, reſpectumque Dei templis? an debitum? *Terribilis eſt locus, non eſt aliud, niſi domus Dei, & Porta cœli*. Geneſ. 28. Vide, quomodo te illic geras: an præbeas ſcandalum: an nugis Sacerdotem celebrantem turbes: an fabulis Concionatorem impedias. An expoſito Venerabili obvertas tergum: an mores ſæculares præte feras, an tractes negotia mundana. &c *Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum*. Lucæ 19.

IV. Quomodo te geras erga Perſonas Deo conſecratas, Sacerdotes, Religioſos &c. An ſacras eorum Cerimonias habeas ludibrio; an Verbum Dei ab ipſis prædicatum riſui exponas: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Pſalm. 14.

Circa hæc quatuor his diebus bene ordinanda eſto ſollicitus.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Noli præstare aliis, quæ tibi præstari nolles : & vice versa.* Prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Lucæ 6.

II. *Noli esse vindictæ cupidus.* Ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros. Benefacite illis, qui oderunt vos. Matth. 5. *Indiges veniâ à Deo, ut ergo veniam merearis, tribue veniam offendentibus te.* Dimittite & dimittemini.

III. *Quod in aliis tibi displicet, in te ipso cave.* In quo judicas alterum, te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas ad Rom. 2.

IV. *Stude esse gratus benefactori: exemplo tibi sit Tobias, qui Angelum interpretatus esse hominem, gratitudinem testatus fuit hisce verbis*: Quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Tobiæ 12.

PRO DIE QUARTA.

I. CONsidera quali exemplo præluceas proximo tuo, non solùm in factis, sed & in verbis & consiliis. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Matth. 5. Est punctum hoc palmare ac substantiale, diligenterque maximè à nobilioribus, à Patribus familias, à sacerdotibus, à Parochis & similibus attendendũ: *qui scandalizaverit*; (aut exemplis aut verbis) *unum ex pusillis, expedit ut suspendatur è collo ejus mola asinaria & demergatur in profundum.* Matth. 18.

III. Quomodo obligationes statûs tui adimpleas, quomodo officium Patrisfamilias, Filii, Magistri, Discipuli, &c. *Declinantes in obligationes* (deficientes in officio suo) *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Psal. 124. Illa quæ sunt obligationis, ne quidem per libera opera supererogatoria aliave impediri debent.

III. Quam adversus respectus humanos in operibus pietatis, animi generositatem exhibeas. Miser fueris, si coram malignis, Christi & doctrinæ ipsius discipulus, in actionibus tuis apparere erubueris. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate sua, & Patris & Sanctorum Angelorum.* Lucæ 9. Dic potuis: *confundantur, qui me persequuntur, & non confundar ego, paveant illi, & non paveam ego.* Jerem. 17. Causâ justorum semper honesta, non talis impiorum est: potest justus meritò dicere. *Non erubesco Evangelium.* ad Rom. 1.

IV. Quem respectum viris probis ostendas. An verò sis illi similis, de quo S. Lucas scribit Cap. 18. *Qui Deum non timebat, nec hominem reverebatur.* Talis pro libitu suo operatur quidvis cum incredibili temeritate, nil curans, an impingat, scandalumve creet, nec ne: an loquatur apta, nec ne. Miserum te, si ejusmodi fueris.

Hoc quarto die cura sequentes Regulas imprimere.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Noli cum perversis sociis habere commercium.* Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Eccl.* 13.

Quare si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis: si dixerint, sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum: fili mi ne ambules cum eis: pedes enim illorum currunt ad malum. *Proverb.* 11. Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. *Eccl.* 21.

II. *Noli media illicita adhibere ad finem, quanquam bonus esse appareat.* Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Neque Deus mediis ejusmodi benedictionem addit.* Non semines mala in filiis injustitiæ, & non metes ea in septuplum. Ecclesiastici 7. Infatua consilium Achi-

Achitophel. David rogavit Deum, & obtinuit. *Neque enim effectum desideratum Achitophel sortitus fuit, sed se ipsum suspendit.* Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis loqueretur Deum, & sic erat omne consilium Architophel, 2. Reg. 16. Porrò Architophel videns, quòd non esset factum consilium suum, abiît in civitatem suam, & dispositâ domo suâ, suspendio interiit. 2. *Reg. cap.* 18. *Ecce finem mediorum malorum.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate: totâ die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum: propterea Deus destruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium, videbunt justi, & super eum ridebunt. *Psalmo* 51. Nil proderunt thesauri impietatis. *Proverb.* 10.

III. *Æstima pro lucro & gloria, dum Deus aliquid pro honore suo tibi sufferendum submittit; contemptum aliquem ob pietatem; convitium propter impedita mala, persecutionem aliquam ortam, eò quòd bene feceris.* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui persequuntur vos. *Lucæ* 12. Si exprobramini in nomine Christi beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus, super vos requiescit. Nemo autem patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. 1. *Petri* 4.

IV. *Non fias mancipium ob id, quid dicent homines?* Cunctis sermonibus, qui audiuntur, ne accommodes aurem. *Ecclesiastici* 7. Tantundem dicent aliqui, si bene feceris, & tantundem alii, si malè feceris. *An quæro hominibus placere? si hominibus placerem, Christi servus non essem.* ad Galatas 1.

PRO

PRO QUINTO DIE.

I. CONsidera, quæ sint Intellectûs tui dictamina. *Adhuc & vos sine intellectu estis?* Matth. 15. Dixit JEsus ad discipulos suos, qui licèt eum tanquam Magistrum suum agnoscerent, non tamen ipsius dictamina & axiomata observabant. Vide itaque an tua sint Christiana, an non: an spectent tantùm, tui in hoc mundo exaltationem, dum interim de verè altioribus nihil cogitas; an tantùm satisfactionem corporis, parùm autem salutem animæ? attende qualis sit intellectus tuus.

II. Considera an ductum veræ rationis, an verò passiones tuas iram, amorem, timorem, aliasque hujusmodi sequaris. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Psalm. 4. Estque hoc lumen rationis. *Si cæcus cæco ducatum præbeat, nónne ambo in foveam cadunt?* Lucæ 6. estque cæcus hic, ductus passionis. *Recta judicate filii hominum.* Psalmo 57. O quot exorbitantes passus facit, qui ductum hunc sequitur.

III. Considera, quænam passio in te magis dominetur, quæ non mortificata, toties te inducit ad Dei offensam; ut tandem in fine sis damnaturus animam tuam: nemo est, qui non unam prædominantem habeat, hoc est, qui non aliquo impetu appetitûs inferioris feratur. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus: deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Jacobi 1. Passionem hanc cùm deprehenderis, statue eam mortificare: id est oppone te illi, suggestiones illius reprime, noli sequi stimulum illius, quantumcunque à principio protestetur, se esse rationi conformem.

IV. Considera, utrùm agas cum sinceritate & candore, qui cadit in virum honestum; aut verò è contrario; an ab ore ac corde tuo sinceritas sit proscripta. *Sit sermo vester,* EST EST: NON NON. Jacobi 5. *Qui ambulat simpliciter, ambulat*

ambulat confidenter: qui depravat vias suas, manifestabitur. Prov. 10.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Supponere tanquam certum, quod omnia seriùs aut citiùs in lucem sint eruptura.* Nihil opertum est, quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur. Matth. 10. *Crede Christo; ac proinde non sinas te ad malum abduci fallaciâ illâ, quòd scelus tuum sit occultandum. Mille habet Deus media, occulta revelandi, nec illis adstringitur, quæ nobis unica esse videntur: sunt ipsi viæ, à bonis minimè cogitatæ: sæpe nobis ipsis, etiam in hac vita ad nos manifestandos.*

II. *Serva fidem, aut illam non obliga; nec sis è numero eorum, qui* dicunt & non faciunt Matth. 23. Nubes & ventus (*promissa*) & pluviæ non sequentes (*carentia effectu*) vir gloriosus, & promissa non complens. Proverb 26.

III. *Amplecti in hac vita bonum æquè ac malum; seu adversa; & non velle purum bonum, quod hic non datur.* Risus dolore miscebitur. *Proverb.* 14. Tempus flendi, tempus ridendi. *Ecclesiastici* 3. Scio abundare, & penuriam pati. *ad Phil.* 4. *O quàm fores tranquillus & contentus, si ita procederes: amares amicum, etiamsi defectus habeat. Hoc pacto charus tibi erit vitæ status, in quo te Deus posuit cum parvulis miseriis, quæ eum comitantur.*

IV. Bono etiam alterius delectâre, nec solus illo frui velis. Non solus in mundo superes, qui meritum habeas: sunt & alii, qui ausint dicere: *Ergone vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia? est mihi & cor, sicut vobis, nec inferior vestri sum.* Job. 12.

PRO DIE SEXTO.

I. COnsidera, quomodo Divinis inspirationibus, maximè iis, à quibus forsan æterna salus dependet, correspondeas. ex. gr. Ut si Deus ad hunc præ alio statum te vo-

vocaret: aut ad culpam aliquam inveteratam deferendam vel per remorſum conſcientiæ, vel per ſubmiſſam infirmitatem, aut infortunium aliquod, vel aliorum ſupplicia tibi ob oculos ponendo exſtimularet : occaſione Jubilæi vel auditione concionis &c. Ad confitendum te incitâſſet &c. *Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis Spiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Quia vocavi & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* EGO *quoque in* INTERITU VESTRO *ridebo vos, & ſubſannabo vos, cum vobis id, quod timebatis, obvenerit; cùm irruerit repentina calamitas, &* INTERITUS *quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia.* Proverb. I.

II. An nimiùm innitaris brachio carnali, nimiùm confidendo in hominibus, magisque ab illis & à prudentia humana felicem negotiorum tuorum ſucceſſum affectes, quàm à Deo; unde te vilem apud homines reddas adulando, vel connivendo, vel connivendo eorum defectibus &c. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem* (inſtabiles fluidoſque homines) *brachium ſuum* (ceu fulcrum ſolidum ac fundamentum ſtabile) *& à Domino recedit cor ejus.* Jerem. 17. *Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi.* I. ad Corinth. I.

III. Quem profectum ex ſubmiſſa à Deo tum proſperitate tum adverſitate in via virtutis elicueris. Punctum iſtud dignum eſt conſideratione Deus adhibuit proſperitatis uſum tanquam medium, ut te inſtrueret, quod illa, quæ hanc felicitatem tibi impertita eſt, bonitas ſua honorari mereatur. Et quem tu uſum illius feciſti? Ad quem in via virtutis progreſſum ſerviit tibi copioſa anni meſſis, & ad quid pro hoc fine profuit felix negotiorum tuorum ſucceſſus, con-

conſervatio ſanitatis, collatio dignitatis, fortuna familiæ tuæ? Utinam non eſſes ſimilis populo Hebraico, qui à Deo omni benedictione cumulatus, verùm planè ingratus fuit. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, ut comederet fructus agrorum, ut ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo: butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici; & ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum.* O quàm latè Deus hunc populum habuit! O benignum ac liberalem Deum! Verùm quomodo ſe viciſſim erga Deum geſſit? *Incraſſatus eſt* DILECTUS, & RECALCITRAVIT: *incraſſatus & impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Deuteron. 32. ADVERSITATE Deus uſus eſt, ad cor tuum à rerum terrenarum amore abſtrahendum, ad juſtitiæ ſuæ timorem tibi incutiendum. Et quâ ratione tu eâ uſus fuiſti? Quomodo in fructum tuum convertiſti jacturam in divitiis, in familia, in perſona propria tibi illatam? Populus idem Hebræus cùm ex immiſſis à Deo calamitatibus nihil proficeret, cauſa fuit, ut Deus, quaſi de illius emendatione deſperans, in verba hæc maximè emphatica eruperit: *Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem?* (innuens quod ex omni parte eos percuſſerit, tanquam locus ictui non ſuperſit) *omne caput languidum & omne cor mœrens* (quibus verbis caſtigatio ipſorum repræſentatur in corpore omni ex parte infirmo ac proſtrato) *à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamini, nec fata oleo.* Exinde digrediens à caſtigatione hominum, procedit ad damnum illatum aut inferendum civitatibus ac prædiis. *Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni devorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili: & derelinquetur*

quetur filia Sion, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario & sicut civitas, quæ vastatur. Cùm tamen nec propterea resipisceret, quid fecit Deus? Audi & time: populum, ceu infirmum desperatum deseruit. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Jeremiæ 51.

Hoc dic propone observare sequentes Regulas.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Gaudium noli facere inimicis tuis sequendo prava tua desideria, passiones & affectus inordinatos.* Si præstes animæ concupiscentias ejus, facies te in gaudium inimicis tuis. *Ecclesiast.* 18.

II. *Finem semper spectet actionum tuarum principium. Attende; an scopus earum sit vindicta, an injustitia, an inhonestas, an fallacia*: gens est absque CONSILIO & PRUDENTIA; utinam saperent, & intelligerent, & NOVISSIMA providerent. *Deuteron.* 32. Quorum FINIS interitus. *Ad Philip.* 1.

III. *Deus mundum gubernat, ipse Dominus omnium: proinde solicitè tibi curandum, ut bono apud eum loco sis, etiam spectando felicitatem temporalem.* Domini est orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo. Psalmo. 33. *Quare*, si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8.

IV. Noli ita conversari in communitate, ut in te ceu hominem libertatis amantem, vitiosum ac dissolutum digiti aliorum intendantur: ne ex. gr. inter juniores, tanquam in loquendo, & agendo audacior, inter nobiles maximè amans vindictæ; inter mercatores maximè avarus, inter ingeniosos maximè lascivus in calamo, inter domesticos maximè MOLESTUS declameris. *Peccatum suum, quasi Sodoma prædicaverunt.* Isai. 3. *Exultant in rebus pessimis*, Proverb. 1. *Gloria eorum in confusione.* Ad Philip. 1.

PRO

PRO DIE SEPTIMO.

I. COnſidera, an hoc aliquando errore imbutus fueris, quòd ſatis tibi ſit, modò ad cælum pervenias; nulla habitâ curâ ad altiorem gloriam pertingendi. O quantus error, de tanto bono parum velle participare! *Beatus vir, cujus auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Pſal. 83. Verba hæc enuntiavit homo ſæcularis, Perſona Regia, ſacro majoris in cœlo gloriæ deſiderio flagrans. Lege totum hunc Pſalmum pulcherrimum. Et quod ſi commodi proprii ſtudio ad bonum tam grande expetendum non pertraharis, major Dei gloria, quæ ſimul hìc vertitur, te inducat. Et cur parvâ velis Deum gloriâ dignari, cum magnâ ipſum in cælis poſſis afficere.

II. Conſidera, utrum ſeriò cogites, Deum non jocari, nec obiter res tractare. Unquamne, ſi hæc penſares, illum ad iram auderes provocare? *Propter quid irritavit impius, Deum. Dixit in corde ſuo, non requiret.* Pſalmo 8. *Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis, qui dicunt in cordibus ſuis, non faciet bene Dominus, nec faciet malè.* Sophoniæ 1.

III. An res mundanas, divitias, voluptates, honores juſto pluris & ſupra meritum ipſorum in animo æſtimes. Quod ſi illa pluris facias quàm veram vanitatem atque afflictionem ſpiritûs, quæ animum labefactat, nimio æſtimas, (*Vidi univerſa, quæ fiunt ſub ſole*) & verò dicuntur illa fieri ab hominibus, & eſſe inventio coſmophilorum, qui amore eorum præeligunt hanc vitam; nihil reflectendo ad vitam alterius ſæculi, utpote quæ nimium extollunt; his nomen nobilitatis, illis divitiarum, aliis honoris ac præeminentiæ nomen attribuendo. *Et ecce univerſa vanitas & afflictio Spiritûs.* Eccleſiaſtæ 1.

IV. An ex eorum ſis numero, qui in rebus conſcientiæ gaudent ſe ipſos decipere, & ab aliis decipi. *Decepiſtis ani-*

animas vestras, inquit Jeremias cap. 24. loquens his, qui laxæ sunt conscientiæ. Hi autem, qui imponebant aliis, qui ficto animo veritatem indagabant, qui eandem apertè non audebant revelare, exprimuntur ab eodem. Thren. 1. *Vocavi amicos meos & ipsi me deceperunt*. Thren. 1. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, nec aperiebant iniquitatem tuam ut te provocarent ad pœnitentiam: viderunt autem tibi assumptiones falsas & ejectiones.* Miserum te, si inquisivisti Confessarios casuistas opinionum laxarum, & probabiliter erronearum.

Die hoc opportunè statues sequentes quatuor vivendi Regulas tibi præfigere.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Noli excusare errores à te commissos.* Non vos ipsos defendentes, scribit in alia materia S. Paulus ad Rom. c. 12 *aliàs te involves ampliùs, & in novas iniquitates prolabêris.* Non declines cor meum in verba MALITIÆ, ad excusandas excusationes in peccatis. ps. 148.

II. *Noli libertatem tibi adimere, te obligando*: Exemplum habes in Herode, qui ob dictam obligationem, ob malè datam fidem, S. Joanni Baptistæ caput abstulit, cùm introîsset filia Herodiadis, & saltâsset, & placuisset Herodi, Rex ait puellæ: pete à me & dabo tibi, & juravit, quia quidquid petiêris, dabo tibi: at illa dixit: volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ, & contristatus est Rex: sed propter jusjurandum, & propter discumbentes, noluit eam contristare. Marci 6. Habet hujusmodi ad malum obligatio, quòd pandat amplam ad damnationem januam.

III. *Meliorem æstima buccellam sicci panis perceptam in gratia Dei & in sancta pace, quàm basilicum epulum cum odio ipsius & discordia.* Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis, cum jurgio. Prov. 17. Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. *Tobiæ* 4.

IV

IV. *Nunquam ad hominum vitiosorum exempla sequenda, visâ eorundem subinde fortunâ, seducaris; quia in fine denique ad nihilum redigentur.* Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & tanquam olera herbarum citò decident. Noli æmulari in eo qui PROSPERATUR in via sua, in homine faciente INJUSTITIAS. Desine ab ira, & derelinque furorem, noli æmulari, ut maligneris: quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram. Et adhuc pusillum, & non erit peccator, & quæres locum ejus, & non invenies: mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Ps.* 36.

PRO DIE OCTAVA.

I. CONsidera, utrum sis è numero eorum, qui fragili vitâ suâ nituntur, & fiduciâ vanâ præfisi disponunt de secuturis temporibus, tanquam si in potestate hominis foret dierum suorum numerus. *Non est vestrum nôsse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. *Ecce nunc qui dicunt:* HODIE *aut* IN CRASTINO *ibimus in illam civitatem, & faciemus quidem ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui* IGNORATIS *quid erit in crastino. Quid enim est vita nostra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Jacob. 9.

II. An miseris illis te associes, qui postquam peccatum unum admiserunt, secundum addunt; dein tertium, & sic deinceps, dicentes: quid refert peccatum unum addere? Cùm unum sit confitendum, eâdem operâ confitebor simul omnia. *Ne adjicias peccatum super peccatum, & ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim, & ira ab illo citò proximant.* Ecclesiastici 5.

III. Considera an existimes licitum medium promovendi res tuas esse; imponere proximo mentiendo, fingendo, simulando. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos,* Proverb. 10. Non diu latent fraudes & mendacia.

IV. Considera quomodo peccata præterita pertractes animo. An dum ea confessus fuisti, subitò memoriam illorum deponas. Hoc pessimum foret. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Ecclesiastici 5. Peccata tua sæpe recordare. *Peccatum meum contra me est semper* dicebat David psal. 50. & iterum *laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis.*

Insculpe hodie cordi tuo sequentes Regulas.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Misericordiam exhibe pauperibus*: quodcunque uni ex minimis istis feceritis, mihi fecistis, dicebat Christus. *Nunquid & ad sortem aliorum devenire potes, casus enim hujusmodi sunt frequentes.* Eâdem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur & vobis. Lucæ 7. *Idem dictum volo de charitate erga animas in purgatorio.*

II. *Amore Dei libenter servi proximo, & indigentiæ illius de tuo succurre.* Date & dabitur vobis. *Ars ditescendi nobilissima est* DARE, *nam Deus faciet, ut & tibi detur.*

III. *Nunquam in malo alterius exultare velis, verùm potiùs compatere.* Misereor super turbam, *dicebat JEsus Commendans exemplo suo viscera misericordiæ erga proximum in afflictone constitutum.*

IV. *Ne facta aliorum crimineris.* Abominatio hominum detractor. Prov. 24. *Abominabilius zizania spargere discordiarum.* Non appelleris susurro *Ecclesiastici* 4. Susurro & bilinguis (*is qui partes intricat modò ad unam hoc, modo ad alteram aliud deferendo*) maledictus. Multos enim turbabit pacem habentes. *Ecclesiastici* 28. Denotatio pessima per os bilingue. Susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. *Eccles. 5. Idem dic de homine duplici.* Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti duabus viis. *Ecclesitici* 2.

PRO DIE NONA.

I. Considera quam Deo gratitudinem ob beneficia tibi præstita exhibeas. David solicitus de eadem exhibenda excla-

clama-

clamabat. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Psal.12. & tu quid præstas?

II. An, ut voluntatem Dei facias, eam studiosè indagas; sive in electione statûs, si quidem eum nondum elegeris; aut verò in iis, quæ pertinent ad statum jam electum. Quàm utiliter sæpius cum Paulo diceres? *Domine quid me vis facere?* Act. 9. Animo voluntatem Divinam implendi.

III. Quomodo fruaris Thesauris Ecclesiæ, Indulgentiis, Quem fructum coneris capere ex confraternitatibus, Prædicationibus, locis piis. *Viæ Sion lugent, eò quod non sit, qui veniat ad solennitatem.* Thren. 1. Quis pudor te ab Ecclesiæ solennitatibus abesse, & malo exemplo tuo eas esse quasi desolatas.

IV. Quâ ratione in conversatione, honestè an inhonestè, tam in verbis quàm in moribus te geras. An jocos ineptos misceas; an immodestus sis, an nimios sumptus profundas in recreationes, in bellaria, in pompam, unde aut familia patiatur, aut desis solvendo: an familiariter utaris hominibus vitiosis. Verbo, in quid desinant conversationes tuæ, sive in publico, sive in occulto, sive foris sive domi. *Conversationem bonam inter gentes habentes.* 1. Petri 2.

Stude hodie animo imprimere Regulas sequentes.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Nunquam extollere se super alterum, eo quod illo major quis sit.* Justificat pusillum & magnum similiter. Ecclesiastici 5.

II. Reputa maximo tibi honori esse, quòd Divinæ te conformes voluntati, juxta exemplum Christi. *Gloria magna est, sequi Dominum.* Ecclesiastici. 23.

III. *Observa Dei mandata: & sic pacem habebis.* Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Psalmo 118.

IV. *Si benefeceris, fructus tuus erit; si malè, damno tuo fiet. Bonum tuum nemo à te tollet, & malum tuum*

nemo sublevabit. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, tu solus onus portabis. Prov. 9. *Quid ad nos, tu videris.* Ita Judæi ad Judam proditorem, cui manus haud adstrinxerunt, cùm seipsum suspensum iret.

PRO DIE DECIMA.

I. Considera, quales sint amicitiæ tuæ, an tales, ut sperare ausis amorem hunc amicorum tuorum æternùm, in cœlo perstiturum; aut verò potiùs habeas, quod timeas, ne in odium æternum in inferno, sit amor ille convertendus. Quod si tales sunt amicitiæ tuæ, applicari tibi poterit illud Spiritûs sancti. *Inimici hominis domestici ejus.* Michéæ 7.

II. Considera, quem fructum ex operibus tuis tam malis, quàm bonis retuleris; & videbis, quod his & illis peractis optaturus sis prima vitâsse, & secunda peregisse. *Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum: gloria autem honor, & pax omni operanti bonum.* Ad Roman. 2.

III. An unquam specialem fuisse pœnam apprehenderis, quòd Deus te in peccatum maximè carnale labi permiserit, & ut iniquitates tuæ prosperum haberent successum, indulserit? Noveris hoc atrocissimum esse supplicii genus, quod Deus tibi infligere potuit. Quantùm ad primum punctum, audi tremenda à S. Paulo verba enuntiata de Philosophis (qui tanquam sancti tum temporis respiciebantur, habentes Dei cognitionem) *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, obscuratum est insipiens cor eorum &c. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis & in passiones ignominiæ.* ad Rom. 1. Quoad secundum vide, quid dicatur 2. Machab. cap. 6. *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim* ULTIONES *adhibere, magni beneficii est indicium.*

IV. Vide, quomodo virtutibus Christianis sis instru-

ctus;

ctus; ad quem gradum in te ascenderint virtutes Theologicæ fides, spes, charitas: ad quem virtutes Cardinales prudentia, justitia, temperantia, fortitudo: in quo gradu ceteræ apud te sint virtutes oppositæ peccatis capitalibus: humilitas, largitas, castitas, benignitas, sobrietas, patientia, ac diligentia spiritualis: quomodo exerceas septem opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia. Ibunt de virtute in virtutem. Psal. 83.

IV. Quomodo invigiles profectui spirituali subditorum tuorum, aut quorum curam assumpsisti, aut qui à te dependent? utì filii, servi, sæculares &c. *Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. ad Timoth. 5.

Hoc ultimo die regulas sequentes observatu dignissimas bene capere studebis.

REGULÆ CHRISTIANÆ.

I. *Si ad cælestem gloriam aspiras, debent in te mores Christo conformes, juxta rationem status tui elucere.* Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. ad Rom. 8.

II. *Quare se ipsum & concupiscentias suas abnegare, crucem, suam adversitates & opprobria ferre decet!* Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Matth. 16. *Pro lucro debes computare rerum omnium contemptum, imò & jacturam, ut cum Christo regnes.* Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. ad Philip. 3.

III. *Et quia Deo simul & Diabolo non potes placere* (siquidem nemo duobus Dominis servire, nemo duorum adversariorũ partibus adhærere potest) *è re tua esse judica, ut adhæreas Deo. Et quid gaudii in hac vita habet impius? Profectò plura patiuntur impii, etiam in terris, quàm pii & probi: citò transit gaudium impiorum.* Laus impiorum brevis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Job. 20. *Et quale interim gaudium justorum?* Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt,

bunt, fugiet dolor & gemitus. *Isai.* 51. Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Joan.* 6. *Mercedem autem doloris quod attinet, audi, quantùm ad justos*: in paucis vexati in multis bene disponentur. *Sapient.* 1. *Peccatores econtra suos etiam mundanos labores ac dolores deplorant.* Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: ambulavimus vias difficiles. *Sap.* 5.

IV. Pro certo habe, è regno cælorum te excludendum; si ex eorum numero fueris, de quibus loquitur Apostolus 1. *ad Cor.* 6. Iniqui regnum Dei non possidebunt: nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. *Quare corpori tuo, quod in Baptismo pars mystici corporis Christi factum est, reverentiam habe.* Nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi. *O pulchrum effatum!* tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit. Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus: qui autem fornicatur in corpus suum peccat. An nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri, empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. 1. *ad Cor.* 6. *Hæc considerans nec jactu impudico oculi, nec verbo lascivo peccabis. Itaque SALVA ANIMAM TUAM.* Gen. 19. *Hæc finalis sit conclusio. Lege denique famosam illam, atque inferiùs pluribus deductam Christi sententiam. Quid prodest homini, si mundum universum lucretur.*

MONITUM.

Poteris manè si ita libuerit duo puncta, & totidem Regulas vitæ Christianæ discutere, & totidem pro tempore Considerationis assumere tempore pomeridiano: ut utilissima hæc occupatio tantò suavior & facilior evadat. Interim ad libitum.

DISTRI-

DISTRIBUTIO II.

PUNCTORUM PROPOSITORUM PRO CONSIDERATIONE SACERDOTUM,

De qua dictum primâ Parte.

MONITUM.

I. Plura ſuggero puncta conſideranda Sacerdotibus, quàm ſæcularibus; quibus unicam tantùm in diem conſiderationem præſcripſi (quanquam illi pro libitu ſuo unam poterint dividere in duas, manè aſſumendo duo puncta, & totidem à prandio) duas autem diſtinctè adduco pro Sacerdotibus, nam ſuppono, quòd gradus ipſorum requirat, ut ad plura reflectant, & quòd majoris ſint capacitatis, quàm Laici. Quanquam & Sacerdotibus communia eſſe poterunt, quæ dicta ſunt Laicis; & fortè illa Eccleſiaſticis nonnullis æquè neceſſaria erunt, quàm Laicis.

II. Quæ hic ponuntur, propriè concernunt ſimplices Sacerdotes. Interea & utilia his, qui habent beneficium, aut demandatam curam animarum: quos tamen ſpecialiter optem conſiderare ea, quæ propria ſunt illorum muneri.

III. Si obiturus Exercitia nondum primam Deo hoſtiam litaverit, poterunt hæc puncta ſervire, ad proponendam ſibi fugam mali, & ad bonum amplectendum.

IX. Cæteris ſervient ad confirmandum animum in benè cœptis, aut ad emendandos defectus, quos apud ſe irrepſiſſe animadverterint.

V. Velint omnes meminiſſe, ut annotent lumina ac propoſita; neque legant puncta alia, quàm quæ in ſingulos dies aſſignantur; manè id, quod pro tempore matutino, à prandio verò, quod pro hoc tempore pomeridiano

assignatur, ne quis rerum varietate aut multitudine se obruat.

VI. Interea licebit & alia considerare, quæ aut Pater spiritualis, aut amicus aliquis intelligens, aut conscientia propria cuique suggesserit.

VII. In singulos dies describitur sententia aliqua nobilis ex sacra Scriptura, & ex S. Patre aliquo, memoriæ imprimenda.

PRO PRIMO DIE.

Manè.

I. Consideret, an habituali suâ vivendi methodo respondeat FINI tam excelso, quem Deus in vocatione ipsius ad presbyterium sibi præfixit, & quem ipse sibi proposuit Sacerdotium eligendo. *Gens sancta regale Sacerdotium.* 1. Petri 2. Finis autem illius fuit, ut Patri æterno immaculatum corpus & sanguinem D.N.J.C. sacrificaret. Examinet se, an mores præferat tali FINE dignos.

II. Quomodo gerat se in custodia sensuum. Sunt hi infima pars, ex qua componitur homo: custodiendi sunt solicitè, quoniam Deus illis facilè offenditur: *Mors intrat per fenestras.* Jerem. 9. Videat Sacerdos, quâ attentione illis invigilet, quàm oris, quàm oculorum custodiam adhibeat &c. *Mortificate membra vestra.* ad Coloss. 3.

III. Quàm sit studiosus modestiæ: S. Paulus à Christianis suis modestiam exigebat publicam & manifestam. *Modestia vestra nota sit omnibus.* Philip. 4. Multò magis à Sacerdotibus illam efflagitabit. Videat, qualis in hac parte sit, persuadeatque sibi firmiter, mores dissolutos prorsus dedecere statum suum.

IV. Videat, cujusmodi sit conversatio sua tàm cum Sacerdotibus, quàm cum sæcularibus. *Adeptus est gloriam in conversatione gentium.* Eccles. 50. Talem & ipsius opor-

tet esse conversationem cum sæcularibus, ut honorem inde reportet. *Quis sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam.* Jacobi 3. Quàm dedecens spectari illum in choreis, in strepitu publico, in comœdiis, in vanitatibus sæcularibus. *Confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* 2. Petri 3.

Finitis his considerationibus atque examine, sequentes quatuor regulas in praxi sibi exprimendas stabiliat.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. Statuat exemplariter vivere domi & foris: *Dei sumus adjutores, Dei ædificatio estis*, 1. ad Corinth. 3. *Ut Ecclesia ædificationem accipiat.* 1. ad Corinth. 14. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* 1. ad Corinth. 10. Quare noli unquam dicere, id, quod ago, id, quod dico, non est peccatum mortale. Non quidquid alteri sufficeret, idem Sacerdoti, *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.*

II. Nunquam compareat in locis, in quibus sit periculum, vel ad umbram contaminandi castitatem. *O quàm pulchra est casta generatio cum CLARITATE.* Sap. 4. Castitas clarescit instar solis, *Tota pulchra es, & macula non est in te*, Cant. 4.

III. Libros impuros & impudicos nunquam legat, ne quidem animo elegantiam styli ex iis condiscendi. Liber ipsius sit sacra Scriptura, aliique ex quibus fructum spiritualem possit haurire. *Liber mandatorum Dei*. Baruch. 6. *Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris*, Machab. 12. Quàm nobile foret propositum Sacerdotis velle tantùm legere libros sanctos? si quos haberet obscœnos, comburere, & ad idem faciendum, alios induce-

re. *Multi ex iis, qui fuerant curiosè sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Actor. 19.

IV. Caveat à lusibus, maximè iis, in quibus ex lucri cupiditate, conscientia incurrit periculum. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* 1. ad Corinth. 10. *Et ira Dei ascendit super eos.* Psal. 77.

Ecce pulchrum Scripturæ locum pro Sacerdotibus. *Filius honorat Patrem, & servus Dominum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus Exercituum ad vos Sacerdotes, qui despicitis nomen meum; & dixistis, in quo despeximus nomen tuum? offertis super Altare meum panem pollutum, & dicitis in quo polluimus te? in eo, quod dicitis, mensa mea despecta est.* Malach. 1.

PRO TEMPORE POMERIDIANO.

Pro primo die.

I. Consideret, quantâ diligentia & attentione recitet horas Canonicas, sive in Choro, sive extra illum? *Orabo spiritu, orabo & mente: Psallam spiritu, psallam & mente.* 1. ad Corinth. 14. *Septies in die laudem dixi tibi.* Psal. 118. Quasi determinâsset David, ut statuto tempore, horæ officii recitarentur.

II. Quam præmittat Missæ Sacrificio præparationem. *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim sanctus est.* Exod. 3. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. ad Corinth. 11. Hæc actio est sacrosancta, quapropter ab operationibus profanis non est immediatè transeundum ad opus hoc sacratissimum. Atque hinc Christus, priusquam Discipulis Divinissimum Corpus suum porrigeret, lavit eorum pedes. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua; & cùm accepisset linteum*

pra-

Præcinxit se: deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo: Hinc collige, quid præstandum sit Sacerdoti.

III. Quâ accuratione observet præscriptas ab Ecclesia rubricas, ut tremendum illud sacrificium decenter peragatur. *Observabitis cerimonias* Exod. 12. *Dominum elegisti* (suscipiendo enim primam tonsuram præeunte Prælato, qui tibi eam contulit, dixisti: *Dominus pars hereditatis meæ*) *ut sit tibi Deus & ambules in viis ejus, & custodias cerimonias ejus*, Deut. 16.

IV. Quâ devotione celebret. *Altaria tua Domine virtutum*. Psal. 83. In hoc actu sacrificantis, cumulus meritò amplius virtutum convenire deberet. Videat, quas ipse eliciat? an debitâ cum pietate, devotione & reverentiâ sacrificet. Similiter reflectat, quantum temporis impendat gratiarum actioni? *Cùm accepisset panem, gratias egit*. Id quod de Christo priusquam consecravit, dicitur, & ad sacerdotem celebratione defunctum applicari potest. Agat Deo gratias toto cordis affectu, & profundissima quidem cum reverentia.

Denique proponat sequentes quatuor regulas observare.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. *Non sinat se ullo argumento, non etiam respectu Personæ missæ assistentis & festinationem optantis, abduci ad missam deproperandam, tempusque mysterio huic debitum subtrahendum*: Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter. *Jeremiæ* 48 Ego Dominus odio habens rapinam. (*furto etiam temporis patrabilem* in holocausto. *Isai*. 61.

II. *Curet horas Canonicas devotè, temporeque debito recitare. Hæ proprium sunt Sacerdotis* OFFICIUM: *Ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ ad Deum sunt*. ad Hebr. 5.

III. *Quadrans unus pro præparatione ad celebrandum, atque alter pro gratiarum actione post missam, tempus non est adeò prolixum, ut Sacerdos, etiam occupatus, ordinariè habeat prudentem rationem tantillum detrectandi, aut onus in hoc prætendendi. JEsus de Discipulis suis unam horam non valentibus vigilare, conquestus est dicens*: Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum? *Matth. 26. Quantò potiori jure adversus Sacerdotem expostulabit, unum ipsi quadrantem nolentem impendere?*

IV. *Quàm potuerit frequentissimè confiteatur; nunquam nimium fecerit.* Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. *Observa Verbum illud:* Ampliùs. Lavabis me, & super nivem dealbabor. *Psalm.* 50. Mundamini, qui fertis vasa Domini. *Isaiæ* 52.

Observa denique S. Hieronymi de Dignitate Sacerdotali sententiam in cap. 32. Isaiæ. Vulgus indoctum in die judicii tanquam gith, & ciminum corripietur virgâ & baculo: Sacerdotes autem magnis suppliciis torquebuntur: & hoc Domini fiet judicio, qui ostendit mirabile consilium suum, & justitiæ veritatem, ut qui plus acceperunt, plus requiratur ab eis.

PRO DIE SECUNDO.

Manè.

I. Consideret, quibus occupationibus potissimùm tempus transigat: deberet illud maximè impendi rebus, quæ aut immediatè spectant servitium Dei, aut saltem eò tendunt. *In iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* ait Jesus Lucæ 2. Talia sunt oratio, studium, actus charitatis erga proximum & similia. *Attende tibi & doctrinæ.* 1. ad Timoth. 4.

II. Quomodo sacrorum canonum ordinationes circa capitis tonsuram, ac vestimenta observet. O quàm indecens est, spectari sacerdotem sectantem vanitatem in persona sua, in eleganti capillitio, atque in similibus. *In-*

venialia

venilia desideria fuge. 2. ad Tim. 2. Præmemorata verè sunt juveniles vanitates. *Non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* 1. Pet. 3.

III. Quasnam Personas suo alat in ministerio: an homines non satis bonæ famæ: quas de fœmineo sexu, & cujusmodi, an tales unde possint hominum sermones provocari: *Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Psal. 17. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domûs meæ.* Psal. 100. *Ut obstruatur os loquentium.* Psal. 62.

IV. An vilis lucri amore se intromittat in negotia, quæ statum ipsius dedecent. Quod punctum consideratione omnino dignum. *Ut non vituperetur ministerium.* 2. ad Corinth. 6.

Postquam prædicta puncta consideraverit, videbit omnino esse conveniens, ut sequentes regulas amplectatur.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. *Patrimonium sibi à Deo concessum nolit impendere nisi in gloriam datoris, & in propriam sustentationē, nunquam verò ad suam infamiam.* Tulisti vasa decoris tui, de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi, & fecisti tibi imagines, & fornicata es in eis. *Ezechiel.* 16.

II. *Nunquam immisceat se rebus, quæ tendunt ad Dei dehonorationem, minus autem iis, à quibus non abest scandalum.* Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? *Lucæ* 14. Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum (*id est sacerdotem*) & profanum (*id est sæcularem*) non habuerunt distantiam (*id est; non fecerunt differentiam*) & inter pollutum & mundum non intellexerunt. *Ezech.* 22.

III. *Non reddat se contemptibilem ea tractando, quæ quan-*

quanquam non sint peccaminosa, sunt tamen indecentia. Recedite, recedite, exite inde: pollutum nolite tangere. *Isaiæ* 52. facies (*inquit Deus ad Moysen*) vestem sanctam Aaron (qui primus fuit legis veteris Sacerdos) fratri tuo in GLORIAM & DECOREM. Exod. 28. Attendat Sacerdos, an talem etiam induerit, aut verò an se moribus & actionibus suis reddat contemptibilem.

IV. *Virtutis eminentiam præ omnibus sæcularibus quærat.* Sitis sine reprehensione in medio nationis pravæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. *ad Philip.* 12.

Serviturum huic antemeridiano tempori è sacra Scriptura textum suggero sequentem. Vos recessistis de via, & scandalizâstis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi [*quæ juxta literam ad sacerdotes referuntur*] dicit Dominus exercituum: propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles. *Malach.* 2.

PRO TEMPORE POMERIDIANO.

Pro die secunda.

I. Consideret, quantâ cum conscientiæ teneritudine vivat; vel an, voluntarios defectus, etiam cognitos ut tales, contentus, quòd non sint peccatum grave, deglutiat. Sanctitati conjungat mores sanctos. *Qui sanctus est* (maximè qui in gradu ex natura sua sancto versatur, utpote sacerdos) *Sanctificetur adhuc.* Apoc. 22. Et moribus sanctis ornetur ampliùs. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 5.

II. An certum tempus meditationi, & lectioni Spirituali impendat. *In lege Dei meditabitur.* Psal. 118. *Accipe librum & devora illum.* Apoc. 10.

III. Quam animi in Deum recollectionem foveat, quàm frequenter illius Domini recordetur, quem toties recipit. *Ambula coram me* (dixit Deus ad Abraham) *& esto perfectus.* Gen. 17.

IV: An

IV. An facilè missæ sacrificium intermittat, & ex quibus motivis. Consideret sacerdos, quantâ Ss. Trinitatem gloriâ, quanto proximum commodo, missæ celebratione supersedendo spoliet: *Sacrificium Domino juge*. Ezech. 46.

Considerationibus hisce absolutis, statuat regulas quatuor sequentes observare.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. *Summæ gratiæ loco reputare, quòd omni die Deo ad aram litare possit.* Non fecit taliter omni nationi. Psl. 147.

II. *Conetur se idoneum reddere, ad juvandas animas; & hinc virum spiritualem agat: id quod assequetur pervolvendo sacram Scripturam, Theologiam Scholasticam & moralem, studio item orationis & exercitio virtutum.* Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. *Matth.* 4. Pones in rationali judicii (quod pars erat vestimenti Aaronici) doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron. *Exod.* 24.

III. *Quotidie tempus aliquod animæ propriæ excolendæ impendat, vacando orationi mentali, lectioni Spirituali, examini conscientiæ &c.* Accedite ad Deum [*per memorata nempe opera*] & facies vestræ non confundentur. *Psal.* 33.

IV. *Nullius sæcularis negotii causâ (si quidem cum gloria Dei connexum non fuerit) sacrificium intermittat.* Dimitte mortuos sepelire mortuos. *Matth.* 8.

Locum è Ss. Patribus assigno sequentem. Verè magna confusio SACERDOTUM, & omnium Clericorum, quando Laici inveniuntur fideliores & justiores. Quomodo autem non sit confusio, esse illos inferiores Laicis, quos etiam esse inæquales magna confusio est. *S. Chrys. hom. 3. oper. imperf.*

PRO DIE TERTIO.

Manè.

I. Consideret, cujusmodi recreationibus sese oblectet.

O quàm absurdum foret, si quis statum suum dedecenter captaret! *Delectare in Domino*, Psal. 36. Illud meritò inculcandum personis Deo consecratis.

II. Quomodo obediat ei, quem in gradu Ecclesiastico Deus statuit ejus superiorem; qualis ad minimum est Prælatus. Quomodo loquatur de eo; quomodo eum revereatur; an non contemnat. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, inquit Christus ad Discipulos suos, qui primi fuerunt Ecclesiæ Episcopi. *Lucæ* 10.

III. Quantum impendat studii casibus conscientiæ, aliisque disciplinis, ut aptum sese instrumentum in salutem proximi efformet. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam*. Malach. 2.

IV. An Prælato suo libenter assistat, in tradenda pueris doctrina Christiana, in visitandis noscomiis & promovendis operibus pietatis? *Qui erudiunt multos ad justitiam, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates*. Daniel. 12. Videre quanta merces labores istos maneat.

Peractis his considerationibus, curet præterea cordi imprimere sequentes regulas.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. Det operam, ut aptum instrumentum Divinæ gloriæ in procuranda salute animarum evadat. *Messis quidem multa, operarii autem pauci*. Lucæ 10. *Dominus his opus habet*. Matth. 21.

II. Omni studio incumbat ad acquirendam doctrinam Ecclesiastico propriam. *In doctrinis glorificate Dominum*. Isa. 24.

III. Congregationes illas frequentet, in quibus proponuntur dogmata sacerdote digna: quales sunt hæ, in quibus resolvuntur casus conscientiæ; discutitur historia Ecclesiastica; modus orationis faciendæ traditur. *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum spiritu sapientiæ & intellectûs*. Ecclesiastici 15.

IV. Promoveat ea, quæ pertinent ad servitium Dei.

Quid

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Psal. 115. & ad salutem animarum. *Libentissimè impendar & superimpendar ipse pro animabus vestris*, 2, ad Cor. 12. ita de se S. Paulus.

Textus è sacra Scriptura sequens hodie cordi sumatur. *Quoniam estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima eorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite.* Judith. 8.

PRO TEMPORE POMERIDIANO.

Diei Tertiæ.

I. Consideret quantos in virtutibus Sacerdote dignis progressus faciat: *Animalia ibant, & non revertebantur.* Ita de sanctis Cherubim loquitur Ezechiel, qui figura fuerunt sacerdotum. *Ezech.* cap. 1.

II. Qualem fructum è sacra missæ celebratione comparet. *Seminâstis multum, & intulistis parum.* Aggæi 1. Videat, an non idem de ipso dici possit.

III. Quales defectus ab eo tempore, quo sacris ordinibus initiatus est, in se extirpaverit. Quod si excrevissent, quàm istud foret lamentabile? *Inveterati dierum malorum.* Dan. 13.

IV. Quantam bonæ famæ curam habeat, non præbendo malis moribus suis justam causam, adversùs personam ipsius, gradumque sacerdotalem murmurandi. *Curam habe de bono nomine.* Ecclesiastici 41.

Peractis considerationibus hisce quatuor, sequentes conetur regulas animo insculpere.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. *Talem se exhibeat, ut nemo possit malum reputare.* Nec erat, qui de illa loqueretur verbum malum, istud de S. Judith dictum, de omnibus sacerdotibus deberet pariter posse dici. Judith. 8.

II. *Tam exemplariter se gerat, ut ab ipso alii sumere possint normam rectè vivendi.* In omnibus præbe te exemplum bonorum operum, *Ita S. Paulus ad Titum cap.* 2.

III. *Non velit sibi illa esse licita, quæ damnat in secularibus.* Qui alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? &c. ad Rom. 2.

IV. *Operam adhibeat, ut patria bono sacerdote in persona ipsius gaudere possit. O nobilis conatus! gloriæ sibi ducunt civitates bonum intra tecta sua medicum, bonum Advocatum, bonum commendantem, atque istiusmodi viros degere: & cur non pari fuerit gloriæ bonus sacerdos? de quo possit dici illud.* Ecce sacerdos, qui in diebus suis placuit Deo, non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi. *Ecclesiastici* 44.

Locus è S. Patre desumptus quadrat hodiernæ diei. Timeamus vehementer charissimi, curemus, ut conveniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrum. De nostra relevatione cogitemus sine cessatione. Nempe Sacerdotes pensemus negotium nostrum; pensemus pondus, quod suscepimus: faciamus nobiscum quotidie rationes, quas cum Judice nostro habebimus. *D. Greg. hom. 17. in Evang.*

PRO QUARTA DIE.

Manè.

I. Consideret, utrum nimium temporis sive diurni, sive nocturni insumat in epulas, somnum, recreationes &c. *Quid hic statis totâ die otiosi?* Matth. 20. *Non in cubilibus, comessationibus.* ad Rom. 13.

II. Quomodo occupetur operibus misericordiæ tum spiritualis, tum corporalis. *Parvuli petiêrunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren. 4.

III. Quantâ morum compositione adsit in Ecclesia & in locis sacris? *Domum tuam decet sanctitudo.* Psal. 92.

IV. Quâ ratione tractet juventutem, an cum ædificatione, an cum scandalo? *Videte, ne contemnatis* (quod contingit eos ad malum seducendo) *unum ex his pusillis, qui in me credunt.* Matth. 18.

Con-

Considerationibus hisce subjungo sequentes regulas imo imprimendas.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. Nolit se conformare moribus sæcularium. *Sicut populus, sic Sacerdos.* Quàm abnorme parallelum! Isaiæ 24.

II. Non sit nimis timidus in corripiendis illis, qui inhonorant Ecclesiam. Et quàm nobile hìc magnanimitatis exemplum præbuit Christus? *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, ejecit ementes & vendentes.* Joan. 12.

III. Adoperari conetur ad conversionem peccatorum; eosque ad confessionem inducere satagat. *Afferte Domino filii Dei* (vos Sacerdotes) *afferte filios arietum* (id est peccatores) psalmo 28.

IV. Omne studium conferat ad scandala è medio tollenda. *Mittet Angelos, & colligent de regno ejus* (id est, Ecclesiâ) *omnia scandala.* Matth. 13.

Serviat hodiernæ diei sequens sententia è sacra scriptura. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum ejus. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* 1 ad Cor. 4.

PRO TEMPORE POMERIDIANO

Diei quartæ.

I. Consideret, quantopere conetur assimilari Christo, cujus sacratissimo corpore & sanguine toties reficitur. Oportet sacerdotem posse profiteri: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* ad Galatas 4.

II. Qualia præbeat consilia his, à quibus consulitur, utrùm quæ in Ecclesiasticum, an verò quæ in sæcularem cadit dare. Caiphas sacerdos Christi hostis, ut JEsum crucifigerent consuluit Judæis; & ut persuaderet, pro motivo ex una parte suam, quâ ipse prævalet, adduxit sapientiam. *Vos nescitis quicquam*, & ex altera parte mo-

motivum commodi temporalis: *Expedit vobis, ut unus homo moriatur.* Joan. 18. Videat sacerdos, an hujusmodi se consiliario conformet.

III. Quomodo conversetur cum Sacerdotibus viris boni exempli, an similes fugiat, an derideat, an persequatur? *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ,* Sap. 2.

IV. Quomodo utatur authoritate suâ domi & foris, dicendo verum, vel falsum proferendo? *Prophetæ tui viderunt tibi falsa.* Threnorum 3. Quàm foret indignum si hoc modo procederet sacerdos! Sacerdosne decipiat?

Pulchrum locum subministrat sancti Augustini Epistola 118, *Sicut nihil est in hac vita sanctius presbyteri dignitate, si eo modo militetur, quo Imperator noster Christus jubet: ita nihil est apud Deum tristius, miserabilius, & damnabilius, si perfunctoriè & adulatoriè res agatur.*

Hæc considera, ac dein amplectere sequentes regulas.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. Nolit tantùm sectari ordinariam, tepidam, liberamque vivendi rationem: verùm quantum cum Divina gratia fieri potest, magnam spectet perfectionem. *Suadeo tibi emere aurum ignitum.* Apoc. 3.

II. An patrocinetur vitiis, nec contradicat virtuti, & his, qui illâ præditi. *Quærite bonum & non malum, odite malum & diligite bonum.* Amos 5.

III. Omni studio ad dignè sacrificandum sese disponat. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Isaiæ 52.

IV. Dum ex officio obligatus fuerit, satagat malos corrigere, ac bonos confirmare, & ipse semper studeat esse bonus. *Peccatori dixit Deus, quare tu assumis testamentum*

um meum (id eſt verbum meum ac doctrinam) *per os uum?* Pſalmo 49.

PRO DIE QUINTO.

Manè.

I. Conſideret; an inordinato affectu proſequatur carnem & ſanguinem, cognatorumque amore ſubinde faciat, quod non oportet. De Melchiſedecho ſcribit S. Paulus, quod fuerit *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*, ad Hebr. 7. *Aſſimilatus autem filio Dei*, qui de ſe ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? & excluſis ſecundùm carnem proximis ait: *Quicunque, fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & Pater eſt.* Matth. 12.

II. An amore lucri temporalis admittat, quod dedeceat gradum ſuum: *Diaconos pudicos, non turpe lucrum ſectantes.* 1. ad Timoth. 3.

III. An ſinat ſe abduci ab avaritiâ, reflectatque ſpecialiter, quomodo ſe gerat in recipiendis pro miſſa eleemoſynis. *Nullius aurum concupivi*, de ſe audebat affirmare Paulus. Act. 20.

IV. An aliquando ſimoniam aut manifeſtam aut palliatam ad miſerit? *gratis accepiſtis, gratis date.* Matth. 10.

Proponat adhæc ſequentes regulas inviolatas ſervare.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. *Nolit in infernum ſe conjicere amore cognatorum*; Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. *Pſal.* 18.

II. Pacem ubique ſtudeat promovere in illis, quibuſcum verſatur. Fiat pax in virtute tua (*ita à Deo ſibi dictum putet*) Virtus tua in pace procuranda, occupari debet. Pſ. 121.

III. Ubicunque potuerit, agat advocatum pauperum. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* Pſal. 10.

IV.

IV. *Invigilet, ut domestici ipsius sint probi & exemplares*: Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. 1. *ad Tim.* 5.

Textum S. Scripturæ Suggero è Psalmo 131. Sacerdotes tui induantur justitiam (*à capite ad callem virtute amicti compareant*) & sancti tui exultent (*id est exultabunt*) Sacerdotes ejus induam salutari (*& actiones ipsorum Dominus in salutem aliorum fortunabit*) & sancti tui exultatione exultabunt: *tantusque hinc fructus elicietur, ut sancti sint exultaturi.*

PRO TEMPORE POMERIDIANO.

Diei quintæ.

I. Quod si incumbit ipsi cura animarum, consideret, quantâ diligentiâ earum profectui invigilet: quos labores ac difficultates pro iisdem subeat? *Bonus pastor animam suam* [vitam suam, commoditatibus sacrificandis longè potiorem] *ponit pro ovibus suis.* Joan. 11.

II. An tempestivè, maximè in periculo mortis, eosdem sacramentis munire curet. *Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Ezechiel. 3.

III. An ducatur respectu personarum maximè circa divites & pauperes in iis, quæ eorundem salutem concernunt? *Fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri JEsu Christi.* Jacobi 2. Legatur caput hoc nobilissimum.

IV. Quàm generosus sit in dicenda veritate quoad ea, quæ spectant ad mores & profectum animarum, timore hominum nihil utilium omittendo: *ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, dicit Dominus.* Jeremiæ 1.

Postquam has considerationes absolverit, sequentes regulas sibi observandas præfigat,

RE-

REGULÆ SACERDOTIS.

I. *Omni studio se impendat saluti animarum, quæ curæ suæ sunt commendatæ.* Pater quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. *Joan. 13.*

II. *Majori autem curâ invigilet horum saluti, qui magis deserti sunt. Talem assumpsit JEsus illius. qui de se dicebat:* Domine hominem non habeo. *Joan. 5.* *Imitare in hoc JEsum, atque inquire derelictas hujusmodi oviculas.*

III. *Magni lucri loco ducat, lucrum vel unius etiam animæ, quanquam cum proprio etiam incommodo suo conjunctum.* Homo, qui habuerit centum oves, & perdiderit unam, vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam: & cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & convocat amicos, & vicinos dicens: congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat. *Lucæ 15.*

IV. *Nullius ad ipsum recurrentis confessionem negligat. Quis enim novit, an non unius aut alterius salus æterna ab eâ dependet?* Si fuisses hîc (*si fuisses in sede confessionali*) frater non fuisset mortuus. *Joan. 11. morte æternâ.*

Locus sancti Patris sit sequns ex S. Ambrosio. In sacerdote nihil plebejum, nihil populare requiritur: nihil commune cum studio atque usu & moribus multitudinis. Sobriam à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotis. Quomodo enim potest observari à populo, qui nihil habet separatum à populo, nihil dispar à multitudine: quid enim miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat? si quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendit? superegrediamur igitur plebejas opiniones, ac vulgaris semitæ locum declinemus. *lib. 20. epist. ad Irenæum.*

PRO DIE SEXTO.

Manè.

I. Quod si Moniales Directioni ipsius creditæ fuerint,

rint, videat quâ prudentiâ eas regat, maximè autem attendat, an colloquiis suis zizania discordiarum seminet: *Venit inimicus homo, & superseminavit zizania.* Similiter reflectat, quâ ratione eas rebus Spiritualibus imbuat. *Simon Joannis, diligis me plus his?* quâ quæstione singularem charitatem, excellentem virtutem ac perfectionem Servator exposcebat. *Pasce oves meas.* Ad perfectionem similiter ipsas erudiat.

II. An de rebus Spiritualibus colloquatur animabus sibi commendatis, nō quidlibet pro quolibet obiter proponendo, sed maturè præconcipiendo, quæ dicturus est? *Volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* 1. Timoth. 1.

III. An talem ducat vivendi normam, ut mereatur ab aliis reputari homo spiritualis: *Oportet illum habere testimonium bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat.* 1. ad Timoth. 3.

IV. An admonitionibus suis vitæ exemplaris testimonio pondus addat. *Dicunt & non faciunt.* Ita Christus de aliquibus.

Sequentes dein regulas pro norma vivendi sibi statuat.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. Pietates ac devotiones, quas in aliis promovet, primùm in seipso urgeat. *Exerce te ipsum ad pietatem: pietas ad omnia est utilis.* 1. ad Timoth. 4.

II. Officium illud curam animarum tractandi, magni æstimet: *Noli contemnere gratiam, quæ tibi data est, cum impositione manuum presbyterii; hæc meditare, in his esto.* ibid.

III. Per orationem ad Deum recurrat, pro impetrando ipsius auxilio, in his, quæ honorem ipsius concernunt. *Sine me nihil potestis facere.* Joan. 15.

IV. Nolit affectare abundantiam aut superfluitatem in

in mensa, domicilio, ac persona sua, in victu, vestitu, lecto, supellectile &c. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Ita S. Paulus de se. 1 ad Timoth. 6.

Pro loco Scripturæ serviant verba Jethro ad Moysen Exod. c. 18. *Audi verba mea: esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cærimonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant.* Ex. 18.

PRO TEMPORE POMERIDIANO

Diei sextæ.

I. Consideret, quomodo exerceat virtutes Cardinales prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam. *Quatuor facies uni.* dicebat Ezechiel de quolibet ex animalibus illis sanctis: cap. 1. Innuens, quod sacerdos virtutes hasce quatuor debeat possidere.

II. Quomodo moribus impleat id, quod vestes sacræ, quas gestat, significant. *Vestimenta sacerdotalia quid aliud sunt, quàm recta opera virtutum, quæ debemus accipere, Prophetâ attestante: Sacerdotes tui induant justitiam.* Ita S. Gregorius Papa: amictus denotat rectam intentionem. *Videat an talem sequatur.* Alba innocentiam morum: *Examinet & se super hac.* Cingulum carnis mortificationem: *consideret* quomodo eandem mortificet: manipulus abnegationem internam: *examinet se*, quomodo hanc colat: stola, quæ in formam crucis transversim pectori applicatur, imitationem Christi, qui crucem sustinuit. *Videat* an illam bajulet. Planeta charitatem erga Deum & proximum. *Videat* quantum in hac profecerit.

III. Assumat considerandas orationes præparatorias ad missam; videatque an animo fervente illa petat, quæ iis continentur.

IV. Consideret etiam orationes, quæ dicuntur post

missam; videatque similiter, quàm instanter Deum oret pro obtinendis iis, quæ per eas petuntur.

Peractis hisce considerationibus, statuat sequentes regulas sequi.

REGULÆ SACERDOTIS.

I. *Profana colloquia vitet.* Profana & vaniloqua devita, multum enim proficiunt ad impietatem. 2. *ad Tim.* 2.

II. *Profiteri conetur hominem pacificum, & à rixis ac litibus adhorreat.* Servum Domini non oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientiam. 2. *ad Timoth.* 2.

III. *Caveat ex teriorem tantùm pietatis speciem præseferre; veram ac substantialem pietatem sectetur.* Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. *ad Timoth.* 3.

IV. *Studeat per omnia adimplere vocationem ad statum Ecclesiasticum.* Vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium túum imple. 2. *ad Timoth.* 4.

Loco sanctorum Patrum adduco hic Concilium Tridentinum Sess. 14. Moneant Episcopi suos Clericos, ut conversatione, sermone & scientiâ Dei populo præeant; ne illud Prophetæ impleatur in eis: sacerdotes Dei contaminant sancta, & reprobant legem.

PRO DIE SEPTIMO.

Manè.

Sufficiet hodie loco considerationis arripere Missale, & attentè legere, quæ illic continentur *De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.* Quod si sacerdos fuerit Senior, statuat emendare defectus, si quos in se deprehenderit: quod si incipiens, statuat se talibus non assuefacere. Locus depromptus è sacra Scriptura, sit ille Levit. cap. 21. *Sancti, quia & ego sanctus Dominus, qui sanctifico eos.*

PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO.

Diei ſeptimæ.

Legantur Horâ conſiderationis rubricæ generales ex miſſali, lectioque iſta ad finem ante dictum referatur.

Sententiam ſuppeditat ſequentem S. Jo. Chryſoſtomus. *Sanctum non ſola mundatio peccatorum facit, ſed quædam excellentia virtutum, præſentia Spiritûs, & bonorum omnium affluentia* Hom. 10. in epiſt. ad Hebræos.

PRO DIE OCTAVO.

Manè.

Legantur attentè prima ſex capita aut paragraphi ſub hoc titulo: *ritus ſervandus in celebratione miſſarum.* Modo eodem, quo ſuprà. In locum ſacræ Scripturæ ſerviat illud 1. Petri 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium.*

PRO TEMPORE POMERIDIANO.

Octava diei.

Legantur reliqua ſeptem capita poſita ſub eodem titulo: *Ritus ſervandus in celebratione miſſarum.*

Conſideretur ſententia ex S. Bernardo, ſermone de converſione ad Clericos: *Currunt paſſim ad ſacros ordines, reverenda quoque Angelicis Spiritibus miniſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione. Neque enim ſignum regni occupare cæleſtis, aut illius timent, imperii occupare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur ſuperbia, iniquitas etiam & luxuria principatur.*

PRO DIE NONA.

Conſideret, quomodonam & an toto animo perhorreſcat, fugiatque peccatum mortale: & reflectat an aliquando animâ peccata gravi inquinatâ (horrendum dictu) in maximum animæ ſuæ damnum acceſſerit ad celebrandam miſſam. Conſiderationis loco ſuffecerit hodie attentè legere ad peccati aut extirpationem aut præſervationem, revelationem S. Birgittæ factam, ſumptamque ex lib. 1. cap. 47. ex lib. 4. cap. 135. ex lib. 6. cap. 9. quorum contentum ſub titulo ſequenti comprehenditur.

QUAM HORRENDUM SIT

Sacrosanctum Missæ sacrificium in peccato mortali offerre, ex revelationibus B. Brigittæ.

ILle presbyter, pro quo tu oras, cùm accedit ad Altare, tũc averto faciem meã ab eo: & adstant ad latera ejus dæmones, cujus & animã inhabitãt, quia ipsa est mortua ante me.

Cùm imponit sibi superhumerale (hoc est amictum) Dæmones obumbrant animam ejus, ut non intelligat, quàm terribile est accedere ad Altare meum, & quàm mundus esse debet, qui mihi mundissimo adstare debet.

Cùm induit se albâ: duritie cordis, & indevotione induitur: quia cogitat peccatum suum non esse grave, supplicium æternum futurum non magnum: & quale gaudium est æternum, nunquam venit in mentem ejus.

Cùm cingit se cingulo, tunc ligatur voluntas ejus cum Diabolo; ita quod velit, & proponat morari in peccato: & tunc dissolvitur charitas mea ab eo: quia voluntas ejus est ad omne id, quod ei diabolus inspirat in mentem.

Cùm imponit sibi manipulum, omnia bona fiunt sibi gravia, & onerosa: terrena autem levia.

Cùm imponit sibi stolam, Diabolus grave jugum imponit collo ejus, & sic onerat animam illius, quòd non sinit eum ingemiscere, vel considerare peccatum suum.

Cùm induit se casulâ, tunc perfidiâ eum induit Diabolus: quando autem legit, confiteor, Dæmones respondent: mentitus es: nos sumus testes, quod confessio ejus est similis Judæ; quia dicit aliud ore, & aliud habet in corde. Quando verò consecrat corpus meum, tunc fugiunt Dæmones ab eo, & corpus ejus remanet quasi truncus, quia anima ejus mortua est ante oculos meos.

Cùm autem corpus meum applicat ad os suum, ex præsumptione illâ omnis turba Dæmonum revertitur ad eum, quia charitatem nullam habet ad me. Ecce tales sacerdotes non sunt mei sacerdotes, sed veri proditores; ipsi enim me vendunt quasi Judas, & produnt. Ego conspicio Paganos, & Judæos, sed nullos video eis deteriores. Quia

psi Sacerdotes sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer. Nunc etiam dico tibi, horum judicium est maledictis: maledictus sit cibus, & potus eorum, qui intrat in os eorum, & pascit corpus in cibum vermium, & animam in infernum.

Maledictum sit ergò omne, quod de terra ad utilitatem suam receperunt; quia non laudant Deum.

Maledicti sunt à cælo, & à terrâ, & ab omnibus creaturis insensatis, quia ipsæ obediunt Deo, & laudant; & illi spernunt.

Maledicta sit hora, quæ eis incipit in Inferno, & nunquam finiet.

Maledicti sint anni eorum, quibus vixerunt inutiliter. Maledictus sit visus eorum, quia non videbunt visionem Dei in me, sed tenebras, & pœnas Inferni.

Maledictus sit gustus eorum, quia non gustabunt de bonis æternis gaudium, sed amaritudinem æternam.

Maledictus sit tactus eorum, quia non tractabunt me, sed ignem perpetuum.

Maledictus sit odoratus eorum, quia non odorabunt odorem illum suavissimum in Regno meo excedentem omnia aromata, sed fœtorem in Inferno habebunt, amariorem felle, & pejorem sulphure.

Maledictum sit corpus eorum, quod resurget, in Inferno sine fine arsurum. Propterea juro in veritate meâ, quia sum veritas, quod si sic moriantur, sine fine damnabuntur. Væ talibus, quòd unquam nati fuerint, ipsi enim profundiùs cadunt in Infernum, quam aliquis alius. Ita sanctâ. Si ex sacerdotibus aliquem hujusmodi noveris, si quidem is tibi familiaris utcunque fuerit, lectionis hujus copiam ipsi legendam communica, modò istud sine nota aliqua facere possis.

Textus sacræ Scripturæ hic est: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur, quorum retinueritis, retenta erunt.* Jo. 10. quanta Dignitas!

Sanctus verò Gregorius homiliâ 17. in Evangelia ita loqui-

loquitur: *Nullum, puto, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Dominus, quando quos ad aliorum correctionem posuit, dare se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.*

PRO DIE DECIMO.

Totum hunc diem da considerationi rubricarum generalium breviarii, ut videas, quemadmodum à te observentur.

Ecce textum sacræ Scripturæ ex Malachia, desumptum è cap. 2. *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes si nolueritis audire, & ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris. Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum.*

Et loco sancti Patris, vide sanctum Tridentinum Concilium Sessione 22. cap. 1. de reformat. *Sic decet omnino Clericos in Domini sortem vocatos, vitam, moresque suos componere, ut habitu gestu, incessu, sermone, aliisque rebus omnibus, nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant. Levia etiam delicta (quæ in eis essent maxima) effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Lege famosam Christi sententiam, *quid prodest homini si mundum universum lucretur &c.* infrà ponendam.

ADMONITIO.

Libri Reverendis Sacerdotibus hoc tempore lectu utiles erunt: Epistola S. Pauli ad Timotheum, & ad Titum: sermo S. Bern. de conversione ad Clericos, S. Cyprianus de singularitate Clericorum. Opuscula Spiritualia P. Francisci Pavoni è Societate JEsu, in quibus doctè, & devotè sacerdos manducetur in iis, quæ ad ejus officium spectant, servit etiam instructio Reverendi Patris Fratris Antonii de Molina Monachi Certosini: sicut & praxes morales P. Alphonsi Giannotti.

De aliis libris cum fructu etiam legendis poterit informationem accipere à Directore suo.

DI-

DISTRIBUTIO III.
PUNCTORUM,
Quæ excutienda proponuntur pro HORA CONSIDERATIONIS Pro Personis Religiosis in quemlibet diem Exercitiorum

PLures sunt obligationes Religiosarum Personarum utriusque sexûs, quam sæcularium & Ecclesiasticorum in mundo viventium.

Quare in proponenda materia considerationis ad ipsas pertinentis plures observandæ minutiæ quàm circa alios. In paginis autem separatis considerationes hæ describuntur, ut seorsim cuivis possint distribui, sicuti & meditationes seorsim à Directore distribuendas esse, dictum est alibi.

Tria autem moneo: Primum est, quod Religiosus, si Sacerdos fuerit, *poterit ex iis etiam fructum quærere, quæ in Distributione secunda dicta sunt. Secundum est, quod in defectu librorum spiritualium æquè hæ considerationes, quam quæ ponuntur in prima Distributione possint servire Religiosis, possunt etiam pro diverso tempore assignato tum legi, tum etiam attentè considerari. Tertium est, quòd Considerationes hæ peculiari studio sint accommodatæ præcipuis meditationibus positis in secunda parte quantum quidem fieri potuit. Ita ut sint quasi applicatio quædam veritatum universalium, quæ iis continentur ad particulare Religiosorum commodum.*

PUNCTUM I.
Pro Tempore Matutino.

I. *Consideret* Persona Religiosa, utrum æstimet satis & amet nobilissimum illum finem, propter quem à Deo ad statum religiosum vocata est. Si obligationes suas quivis æstimare debet & amare (*uti consideratum est in meditatione de fundamento*) multò maximè eas æstimare & amare debet quivis Religiosus. Vocatus est autem ad Deum laudandum, ad illi serviendum, ad ipsum amandum modo perfectiori in suo cœnobio. Ideoque Religiosi educantur, non uti sæculares, sed modo speciali sustentantur à Deo, ad modum Tribûs Leviticæ, de qua scriptum, quod Eleazarus *separavit Tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius: quamobrem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis* (utpote à quibus Persona religiosa vivit separata) *quia ipse Dominus est possessor ejus* Deut. 10. Ut ad suam incumbant perfectionem, uti Abrahamo dixit Dominus, dum à Domo sua Paterna

eum evocabat: *Egredere de domo tua, & de cognatione tua; ambula coram me, & esto PERFECTUS:* Videat itaque Persona religiosa, utrum illud pro onere reputet, quod favoris loco habere deberet: an inquieta sit, & suiipsam statûs pœniteat: an aliquando ex ore illius verba profluant hujusmodi, non scivi, quid fecerim, habitum Religiosum coacta, & ex respectu humano indui. Hujusmodi dicta malum spirant animum, & felicitatis suæ parum intelligentem: siquidem per media etiam humana te Deus ad statum Religiosum induxerit, non ergo hoc grande fuerit beneficium? De invitatis ad mensam à Rege Evangelico legitur dictum ministro: *Compelle illos intrare.* Interea coactos mensæ nuptiali fuisse adhibitos, minimè durum iis fuit, aut expostulandi occasio. Quare nec Persona religiosa queri debet de modo, quem Deus in ipsa ad religionem pertrahenda servavit, verum potiùs pro eo gratiæ agendæ sunt. *Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Deut. 7. Quod totum caput legi poterit.

II. *Consideret* quanti æstimet concurrentia ad finem tam nobilem media. *Primum* est: separatio à sæcularibus (id est ab amatoribus rerum caducarum, quas & sæculares dicere poteris, quia earum fruitio ultra sæculum non durat) separatur autem ab iis Persona religiosa, ut earum vinculis expedita, Deo liberiùs serviat: *ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi.* Luc. 2. O. quanta in sæculo bene vivendi impedimenta! cogitet autem Persona religiosa, an hoc ipsum plangat, quod sæcularium non fruatur libertate, quòd non gaudeat vanitatibus, ludis, conversationibus, an non hæc ipsa reputet felicitatem, dum non sunt nisi miseriæ. *Secundum medium* sunt vota paupertatis, castitatis & obedientiæ. Videat rursus an in beneficiorum loco ista ponat, aut verò an gravamen æstimet *paupertatem* (quæ à curis divitias accumulandi aut conservandi liberat) eò quòd pro libitu non possit erogare, & suis satisfacere cupiditatibus, si quidem ita foret animata, quanta hæc esset miseria. An gravamen reputet *castitatem* (quæ ab onere familiam educandi eximit, magis autem liberat à periculo fœdissimas actiones admittendi) eò quòd sordidis voluptatibus non possit frui. An gravaminis loco habeat obedientiam (quæ libertatem, ne in avia & devia rapiatur, fræno adstringit) eò quòd ab aliis dependere debeat. *Tertium medium* est observantia regularum, in quarum etiam minimarum impletione de voluntate Dei certi sumus. Examinet quanti medium tam lucrosum faciat. Sumatur hic caput

quar-

quartum ex Baruch,& caput ſextum ex Deuteronomio, & genua flexus ea legat,& cordi ſuo inſpirari audiet, magis favoris loco illas habendas eſſe. Legat communes ordinis ſui regulas,& particulares deinde officii ſui. Videat, an illas amet,an contemnat. *Quartum medium* eſt vigilantia Superiorum,quâ obſervant omnes ſubditorum greſſus,ut adverſus Dæmonis inſidias eos communiant, & delinquentes corrigendo reducant. *Videat* iterum,an quod verò beneficium eſt,eſſe onus exiſtimet. *Pervigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris hoc enim expedit vobis.* ad Hebr. 13. *Quintum medium* ſunt bona exempla. *Videat* an ex iis fructum auærat capere, an verò ea aſpernetur. *Videat* an ad tranſgreſſionem aliquam exemplo præeat, & tanquam Lucifer cælum ſuccutere molitus , de tali violatione introducta glorietur. *Sextum medium* eſt exercitium virtutis, quæ dicitur Religio, quæ immediatè cultum Dei propter excellentiam ipſius ſpectat in oratione mentali & vocali, in uſu SS. Sacramentorum, cæterorumque operum pietatis ac devotionis frequentatione. *Videat* quâ ratione ſe in iis gerat.

III. Utrùm in aliquibus rebus tanquam in fine ſuo ſiſtat, quæ interim ordo Religioſus tantùm adhibet ceu media ad ſerviendum Deo. In uno quidem ordine vacatur ſtudiis, in alio Concionibus;alius verſatur cum proximo,& in omnibus dantur ſpecioſa quædam miniſteria. In omnibus reperitur diverſitas graduum , Magiſterii vel officiorum. Attende,utrùm finem tuum in iis ponas,an ad ſimilia aſpires,an affectes,an inquieteris , dum ad ſimilia non promoveris. O lamentabilem amentiam ! ò vanitatem magnam ! *adhuc & vos ſine intellectus eſtis* Matth. 15. Itane cum ſæculi honoribus ad exemplum multorum renuntiaverimus , umbras in religione ſectabimur ?

IV. Quàm indifferente animo ſit ad habenda,aut dimittenda ſuperiùs memorata , an prout conducunt ad *finem*, aut prout obſtant fini illi , propter quem ad Religionem vocatus fuit (Deo per Superioris voluntatem ſuam manifeſtante) finis autem vocationis Divinæ fuit,ut per Exercitia virtutum evaderet SANCTUS Quòd ſi non ita diſpoſitus fueris,inquieto ſemper eris animo, à fine enim aberrabis: mutato autem fine , media à religione ſuppeditata non ſunt idonea ad illud conferendum , quod Religioſus imperfectus conſectatur. Vota minimè medium ſunt ad fruendum commoditate ſuâ : nec Regularum obſervantia favet libertati , nec orationis ſtudium amat ſpiritum diſſolutum. Quòd ſi alium,præterquam perfectionem Religioſus

sus sibi finem designavit, multum aberravit: atque error hic tantùm emendabilis est, alium finem præfigendo: quare dicat *nunc cœpi*: modò constituo vitam Religioso dignam transigere; Deum volo unicè quærere: *Quid mihi est in cælo, & à te, quid volui super terram, Deus cordis mei* (meta votorum meorum, amor meus, ac solus futurus exhinc finis desideriorum meorum) *& pars mea Deus in æternum* Hæreditas mea pro nunc & pro tota æternitate. Psal. 72. Ita media sistent intra terminum mediorum, neque ineptè cum fine confundentur. Postquam ista consideraveris, Regulas sequentes conare cordi imprimere.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Religiosus statuat vitam sanctam ac Religioso dignam agere. *Dominum elegisti, ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & custodias ceremonias ejus, & mandata, atque judicia, & obedias ejus imperio: & Dominus elegit te, ut sis ei populus peculiaris, & custodias omnia præcepta ejus, & faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem & gloriam suam, ut sis populus sanctus Domini Dei tui.* Deut. 26.

II. Proponat vivere juxta dictamina spiritûs. *Si spiritu vivimus* (vivunt autem Religiosi quoad sustentationem corporalem ex reditibus fundatis à Benefactoribus, inductis ad hoc ex motivo spiritûs) *spiritu & ambulemus* ad Gal. 5. debent ergo & spiritui conformiter & secundum spiritû vivere.

III. Admittat libenter exigua illa onera observantiæ regularis, in compensationem plurimorum illorum bonorum, quæ status religiosus confert. *Si bona de manu Domini suscepimus, mala quare non suscipiamus?* Job. 2.

IV. Non præeligat officium unum præ altero: *Non declinabis, neque ad dexteram* (ostendendo nempe inclinationem ad ea, quæ placita sunt sensibus) *neque ad sinistram* (ostendendo nempe aversionem ab his, quæ appetitui displicent, *sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, & bene sit vobis.* Deut. 2.

Hoc manè considera, qui te geras circa observantiam exteriorum. *Primò* quam accurationem serves, tempestivè surgendo. *Secundò* quam in oratione & Chori frequentatione. *Tertiò* quam morum compositionem præferas, dum Missæ interes, aut dum in templo, refectorio, aliisque locis, in quibus semper ratio DECORI observanda est, versaris.

MONITUM.

Tam hæc pagella spectans ad horam considerationis, quàm sequentes possunt etiam adhiberi pro lectione libri spirituali, maximè in defectu aliorum librorum.

PRO TEMPORE POMERIDIANO
Primi Diei.

I. CONsideret Persona Religiosa, an tam perfectè in religione sibi hucusque vixisse videatur, ut à Deo non promerita sit castigari suppliciis illis, quibus in eos animadvertit, quorum vita errore nunquam sat deplorando non correspondit FINI, propter quem ad statum Religiosum admissi fuerunt. Tales quidem primò, aut statum religiosum deseruerunt (*quocunque tandem modo aut titulo istud contigerit, non refert*) aut inde fuerunt expulsi, unde coronam perseverantiæ non obtinuerunt. *Secundò* Vitam ut plurimùm malam & scandalosam duxerunt. *Tertiò*: Quoad temporalia fuerunt infelices. *Quartò*: Parum fortunata salutis consequendæ signa dederunt in morte. Hæ pœnæ venerunt in Luciferum ex parte, & ex parte in Adamum & Evam, ex parte in Judam, qui præ reliquis Deo ingratus extitit provocationis suæ beneficio. I. Lucifer non perseveravit in cælo Empyreo; Adam & Eva exultârunt è terrestri paradiso; Judas excessit è Collegio Apostolico. II. Lucifer factus est cacodæmon: Adam & Eva amissâ per peccatum innocentiâ, posteros suos omnes eodem peccato involverunt. Judas est factus Ductor cohortis: *Dux eorum qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus sortem ministerii hujus.* Act. 1. III. Lucifer repentè in abyssum delapsus est calamitatum: Adam cœpit manducare panem, sudore suo maceratum: Eva in doloribus parturire: Judas semet suspendit ex arbore, *& suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* IV. Lucifer mortem æternam adiît, quæ consistit in separatione perpetua à Deo. Adam & Eva in morte experti sunt labores & angustias peccatoris moribundi. Judas ex arbore, in qua exspiravit, saltum subitò fecit in profundissimum inferni barathrum. Et quæ fuit origo casûs, quem Personæ priùs tam nobiles fecerunt? Non alia, nisi quòd vitam, qualem ab iis Deus exigebat in loco, in quo eos ex speciali providentiæ suæ affectu collocârat, ducere detrectârunt. Fuerunt quidem hi omnes in loco, in quo eos posuerat Deus, non fuerunt tamen ibidem cum Deo, non cum animo Deo conjuncto, non cum intentione Deo serviendi; sed potiùs cùm animo propriam voluntatem implendi. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Oseæ 10. Videat Pers. Relig. an aliquando Luciferum, Adamum, aut Judam imitata fuerit: an corpore quidem in claustro constituta, animum verò atque affe-

ctum habuerit intentum ad promotionem, an non pro fine actionum suarum constituerit carnem, voluptatem, vanitatem, mundum. Quod si horum rea fuerit; est quòd metuat, ne supplicia ipsi infligenda sint, quibus Lucifer, Adam & Eva, ac Judas castigati fuerunt.

II. Consideret, an viam teneat Luciferi. Peccavit ille per superbiam, nolens se Deo subjicere, Author etiam, ut plures Angeli rebellarent: unde bellum exarsit in cœlo, dicente Spiritu sancto: *Factum est prælium magnum in cœlo.* Apoc. 12. Dum felicem hunc pacis locum perturbârunt inquietudines, amaritudines, tumultus, factiones & discordiæ cum summo Dei contemptu, & tot Angelorum ruina. *Videat* Persona Religiosa, utrum ex xenodoxia ac eminendi studio, Divinæ se voluntati opponat, atque hinc inquieta & sibi molesta, molestiæ quoque causam præbeat aliis secum degentibus? magìs autem in partibus studeat, & factiones seminando bellum indicat Deo (*Superiorem lacessendo, qui Dei loco gubernat*) piis & probis, id est, illis, qui ipsi adhærere nolunt, unde vita claustralis, *ex natura sua vitæ cælesti simillima* formam suam mutet, locus in pace fundatus, vertatur in arenam bellicam. O peccatum abominabile! *Videat*, an ad perditionem suam, imitetur Luciferum; aliis præbens scandalum, occasionemque, ut asseclæ sui unà cum ipso pessùm eant: & gratiam perseverantiæ in religione, mali exempli imitatione demereantur. Quòd si coram Deo Lucifer se humiliâsset, nec ipse, nec Angeli ipsius asseclæ, nec tot exinde animæ in interitum præcipitati essent. Dicat sibi crebro Pers. Relig. *Si me subjecero, aliis cessero, me humiliavero, persistam in domo Dei, pacem habebo, pace gaudebunt alii, & saluti multorum cooperabor, quibus alias superbia mea erit petra scandali & ruinæ.* Expedit ut unus homo moriatur (expedit quod minus est, ut unus se mortificet) & tota gens non pereat; & integrum non perdatur cœnobium.

III. Consideret, an Adamum & Evam aliquando secuta sit. Hæc à serpente seduci se passa est. Ambo autem peccârunt, quod amplis illis bonis, quæ in Paradiso Deus illis subministrârat, non acquieverint, & exiguo, quod utrique erat interdictum, voluerint frui. Unde è loco illo voluptatis exterminati, & in vallem miseriæ relegati, malis illi sunt circumdati, quæ in hanc horam omnes ipsorum prolem tam graviter premunt. *Videat* Pers. Relig. utrùm etiam non æstimatis tot beneficiis (illis quoque, quæ corpus concernunt) quibus in religione gaudet, aspiret ad quædam prohibita? & ad similia obtinenda vias tortas ineat

p

ervetseque agat ad modum serpentis præceptum Dei nistrè interpretantis; illis etiam, qui talia negare debent, ndignetur, nec curet magìs pretiosa perdere, ut vilia obtineat: descendat hìc ad casus particulares, *videatque*, utrum, um tam multa sunt ad habitandum commoda loca, illum olum præeligat, quem Superiores negandum judicant; num in tanta cubiculorum abundantia, illud solummodo affectet, quo Superiores exclusum volunt: utrum ad hoc præcisè officium aspiret, dum alteri applicandus judicatur. *Videat* an serpentis genium æmuletur seducendo innocentes ad transgressionem Regularum, falsitates & mendacia inculcando: an Evam imitetur, blanditiis ad malum sollicitando; an Adamum in animi mollitie, auscultando fallacias, rationem autem & veram felicitatem suam minimè attendendo. O quot Religiosi magnarum rerum jacturam faciunt, dum parva & vilia perdere nolunt! Quot ideo è terrestri illo Religionis Paradiso exclusi, ad mundi miserias exules relegati sunt, eò, quòd circa crepundia in Adamæo pomo adumbrata affectum suum reprimere noluerint, eodem, quo Adam & Eva Deum afficientes contemptu. *Ex omni ligno Paradisi comede*, dicebat munificentissimus Deus: *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*: quæ restrictio parva erat. Interea ipsi fructum vetitum ambiebant. O miseros! par est Personæ Religiosæ miseria, quæ dum tam multis, cum Dei favore & benedictione, frui potest; illud unicè affectat, quod ob prohibitionem factam ipsi importabit maledictionem. Ex. gr. uni tantum cum familiaritate particulari adhæret, cùm utendo charitate universali, posset omnium amicitiâ perfrui jucundissimâ.

IV. *Consideret*, utrùm Judam sequatur. Ille & interiùs despiciebat, & exteriùs censurabat præclarum illum pietatis actum, quo Magdalena pedes Christi ungebat, incusabat profusionem unguenti, quale in eleemosynam pauperum potuisset erogari: *Quare unguentum hoc non vaniit trecentis denariis, & datum est egenis?* Dicebat ille hoc argenti stimulatus cupiditate, de quo pro affectu suo optâsset disponere. *Hoc autem dicebat, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Joan. 20. Condemnabat itaque pium facinus, & obloquebatur, quia affectui & passioni ipsius hoc ipsum displicebat. *Videat Pers. Relig.* Utrum animo ægre ferat, vel verbis etiam sugillet illa, quæ in cœnobio laudabiliter & sanctè fiunt; *& vel ideò, quia sanctè fiunt*, atque ob eam potissimùm causam, quia passioni ipsius opera talia displicent; cavillationibus suis, colo-

colorem vitii aut defectûs illis appingere studeat. Videat ex.gr. an consuetam Superioris vigilantiam, superfluum vocet rigorem, quia odit observari suas transgressiones.

An alterius modestiam censuret hypocrisin, quia libertas ipsius per modestiam alterius condemnatur. An justum zelum pro ind iscretione declamet, eò, quod suam audit perstringi negligentiam. Reflectat ad plura ejusmodi, in quibus si caderet, partim inquietaret seipsum (pace enim non fruitur, qui passionem auscultat, ejusque subit dominatum) partim periculo sese exponeret eò procedendi, ut in excessus Judæ aliquando proruat.

Postquam Pers. Rel. Considerationes hasce absolverit, studeat sequentes Regulas animo imprimere.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Pro vocatione ad statum Religiosum, se Deo obligatum agnoscat. *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Psal. 35. Imò beatius est in illa humiliari, quàm in mundo exaltari. *Elegi abjectus esse in domo Domini magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Psalmo 83. Legat Psalmum hunc totum, qui tenerrimæ pietatis sensus inspirat.

II Vivat conformiter vocationi suæ. *Obsecro vos, ut dignè ambuletis vocatione quâ vocati estis.* ad Ephes. 4. Lege & caput illud suavissimæ devotionis plenum

III. Constantiam in Ordine Religioso maximæ felicitatis æstimet. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Domo Dei omnibus diebus vitæ meæ.* Psal. 26.

IV. Perhorrescat vitam malam in Religione. *In terra Sanctorum iniqua gessit.* Horrendum! hinc enim actura summa *Et non videbit gloriam Domini.* Isa 26.

Examina hoc die, qualem in exterioribus observantiam præstes. *Primò* silentii, in iis præcipuè locis, in quibus illud maximè à Regula commendatur. *Secundò*, quam observantiam reverentiamque exhibeas Superioribus à Deo tibi propositis. *Tertiò*, quâ ratione converseris cum *æqualibus*, an humanè ac civiliter. Quâ ratione cum *inferioribus*, an erga hos mansuetus sis, non asper verbis &c.



PRO

PRO SECUNDO DIE

Pro tempore matutino.

I. Consideret Pers. Rel. qualis fuerit à tempore ingressûs sui in ordinem, quis totius vitæ suæ cursus. An per virtutes illa ut plurimùm exercitata, an per vitia magìs infamata fuerit. Ad statum hunc meliùs dignoscendum percurrat omnes diei horas, atque occupationes. Quomodo observârit tempus orandi: & quâ ratione officium suum universim adimpleverit. Septimanam dein ex septimana, mensem ex mense, annum ex anno discutiat. *Seminâstis multum*. Multum quidem temporis ad seminandum Religioso, à Deo concessum fuit, & tantundem ad amplam meritorum in cœlo messem colligendam: Sed & fortè altera propheticæ querelæ pars vera est, & *intulistis parum: Comedistis* (frequentando sacramenta) *& non estis satiati: bibistis* (vos nempe qui ad aram litâstis) *& non estis inebriati. operuistis vos* (multis exculti pietatis exercitiis) *& non estis calefacti*, defuit fervor: *Et qui mercedes congregavit* multum valens colligere virtutis pretium, *misit eas in sacculum pertusum*: actiones suas perdidit, tempus dilapidavit, in res inutiles consumpsit. Æggæi 1. Reflecte itaque, quid dignum vocatione tuâ præstiteris, quod coram Religiosis, coram sæcularibus, coram Deo & conscientia tuâ honestè produci possit? & quid è contra coram his apparere indignum non præstiteris? Ampla hic materia examinis suggeritur: rogo, ut eam diligenter excutias.

II. Consideret, an aliquando in periculo mortaliter peccandi versata fuerit, aut verò an non dubitet de lapsu. Quod si quid hujusmodi deprehendat: videat: an illud ex negligentia sua profluxerit, aut quia occasionem non subterfugit, aut quia ultro eam ambivit, quia tentationi non restitit, sed eam aut hospitio suscepit, aut ultro provocavit. Quod si hìc innocentem se deprehendat, Deo agat gratias, sit autem sollicita, ne in consuetæ tepiditatis suæ pœnam Deus non permittat tantùm, ut in pericula peccandi graviter incidat, verùm & labatur & peccet. Nihil illud insolens est. Antiqui Philosophi erant obligati Deo ad dandam ipsi gloriam ob multam habitam ipsius cognitionem, etiam ex solo lumine naturæ, sed eam Deo non dederunt. *Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & mutave-*

taverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: Ecce difformem Philoſophorum horum vitam ab agnitione eorum ; quorum interim mores quoad exteriora ferè repræſentabant probam modernorum Religioſorum vitam. Supplicii autem loco non animadvertit in illos Deus fulmine de cœlo miſſo, ſed permiſit, ut in carnalium peccatorum probra laberentur. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum* (frænum nempe remiſit ſordidis illorum paſſionibus, permittens , ut fœdis earum ſuggeſtionibus dehoneſtarentur) *in immunditiam* &c ad Rom. 1. Miſera profectò Perſ. Relig. quæ tepiditate ſuâ in ſervitio Dei dignam ſe reddidit, ut in lethale peccatum cadere permittatur maximè ſi carnale fuerit Hæc attentè ponderentur.

III. An tam libere ſibi, vixiſſe videatur, ut periculum incurrerit, ne beneficio vocationis Religioſæ Deus ipſam privet: prout multi hoc beneficio exciderunt. Recogitet, quo eorum noverit aut audiverit , qui à Religioſo ſtatu defecerunt: & ad cauſas hujus defectionis reflectat. Hunc obſtinatio cerebri, illum nimia ad ſæculares adhæſio , alium lapſus adverſus caſtitatem fecit deficere : alium perverti gravis violatio voti paupertatis , & ut plurimum tepor in ſervitio Dei & negligentia in operibus devotionis & pietatis in præcipitium traxit. Quis ſcit , utrùm non tu , qu hæc folia legis , magis ſis reus quàm multi fortaſſis illorum, & an non Deus defectus tuos puniendo ſpecialem tibi præſtet miſericordiam, ut te emendes ? videat quot ſalutaria monita ab amicis ſuis, à confeſſariis, à ſuperioribu receperit, & quot conſcientiæ remorſibus, & cordis ſtimulis pulſatus fuerit? imaginetur , quaſi per hanc beneficiorum rememorationem factam , ad redigendam ipſam i ordinem ipſi à Chriſto dicatur : *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei ? an quòd exſpectavi, ut faceret uvas ,* (*fecit labruſcas.* Iſai. 5. In pœnam autem ingratitudinis , ſub jungit Deus, vineam à ſe eſſe abdicandam, non fodiendam non curandam, ſed relinquendam, ità, ut ſilveſcat, quibu innuit animæ inordinatæ fræna eſſe laxanda, ut ſponte præceps ruat ; de ſcelere in ſcelus: *& nunc oſtendam vobis qu ego faciam vineæ meæ* (animæ nempe Religioſæ , quæ ceu vinea exculta fuit) *auferam ſepem eius, & erit in direptionem : d ruam maceriam eius & erit in conculcationem, & ponam eam deſ tam : non putabitur & non fodietur* (permittet Deus, ut Perſo talis Religioſa ad ſupremum tepiditatis redacta à nemi

adm

dmoneatur corr gatur aut mortificetur) *& ascendent vepres,*
r spina, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Isai. 5.
Hæc bene expendat, qui in statu tali, quem modò descripsi,
e constitutum deprehenderit. Poterit salubris hujusmodi
consideratio telum illud terribile aliàs in caput tepidi vi-
brandum, desertionem Dei avertere: *curavimus Babylonem,*
& non est sanata, derelinquamus eam. Jerem. 51.

IV. Consideret quomodo in fructum suum converterit
tot concessas à Deo commoditates, in statu Religioso pro-
ficiendi, quæ si multis secularibus oblatæ fuissent, mira pa-
traturi fuissent: *Væ tibi Corazaim, væ tibi Bethsaida; quia si in*
Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim
in cilicio & cinere, sedentes pœniterent! verùm tamen Tyro & Sidoni
remissius erit in judicio, quàm vobis. Et tu Capharnaum, usque ad
cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris. Luc. 10. Videat
an ex tot mediis orationis, exhortationum, communionum,
Patrum Spiritualium, bonorum exemplorum in suî vi-
ctoria, & in Dei amore progressum fecerit. Si quidem
noverit secularem aliquem, in quo Specialis pietas elu-
cescat, & ad cujus ipse perfectionem sit cooperatus, refle-
ctat, an ipse interim effusi poculi instar ab eadem vacuus
manserit. Videat an abjecto sanctioris vitæ proposito non
aliam sibi metam præfixerit, quam vitam tantummodo
probi sæcularis, contemptisque tot suavibus proficiendi
mediis altiorem nullum animo saltum designaverit. *Ceci-*
nimus vobis, & non saltâstis, spretis etiam mediis asperiori-
bus, *lamentavimus & non planxistis.* Matth. 11. Quorum mix-
turam status Religiosus adhibere solet. Verùm palmaris
error, *dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra, plùs*
quam Scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum.
Matth. 5. Si Persona Religiosa habitu suo perfectiora se
sectari præseferens ad altiora non aspiret, quàm ad immu-
nem tantùm à peccato mortali vitam (ad quam sæculares
etiam obligantur) fictionem admittit, periculumque in
hoc ipsum peccatum incidendi, itaque pereundi incur-
rit. *Peractis hisce considerationibus pergat ad sequentes sibi regulas*
formandas.

REGULÆ RELIGIOSI.

I.


NOn fieri laxæ conscientiæ. *Lata porta & spatiosa via,*
est quæ ducit ad perditionem. Matth. 7. Minùs autem ad

laxitatem talem alios inducere: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matth. 5.

II. Non contemnere peccata venialia. *Qui spernit modica paulatim decidet.* Ecclesiast. 19. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* ad Galat. 5. *à scintilla una augetur ignis.* Ecclef 11.

III. Factis in Novitiatu & ingressu in religionem propositis insistere: *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos secundum dies, quibus Deus custodiebat me?* quando *splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris; sicut fuit in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo.* Job. 29.

IV. Statum suum Religiosum non dehonestare vitâ irreligiosâ: *quomodo obscuratum est aurum* (cujusmodi aurum est Religiosus admissus, cum optimâ spe, quòd in virtute insignes progressus esset facturus) *mutatus est color optimus dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum, Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus magnum figuli? Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, candidiores Nazareni ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo Sapphyro pulchriores, denigrata est super carbones facies eorum,* Thren. 4. *à multis derelicta sum* (ità Religio degeneres suos religiosos meritò alloquitur) *propter peccata filiorum meorum, qui declinaverunt à lege Dei;* Baruch. 4. *Contristavistis nutricem vestram Jerusalem* Perlegatur. 2. Machab. cap. 6. De insigni Generositate Eleazari. Reflecte hodie ad id quod attinet observantiam, quoad exteriora. *Primò* quàm accuratè sequaris pulsum campanæ. *Secundò* quomodo te geras in recreationibus. *Tertiò* an queraris de victu & vestitu.



PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO

Pro secundo die.

I.

COnsideret Pers. Relig. an sua ipsi conscientia dictet, quòd in tali statu sit, qui ipsi meritò fiduciam faciat consequendi unum è præcipuis finibus, ob quem è mundo exivit, sanctam scilicet mortem? an è contrario articuli illius adventuri recordatio animum suum angustiis compleat, jubeatque inducias postulare, ut exactè possit confiteri, amorem aliquem non satis ordinatum abdicare; & pœnitentiam seriam de peccatis peragere. O Religiose! quid ergo vitæ tuæ Religiosæ tempore egisti, si ad bene moriendum te non comparâsti, ut omni puncto temporis ad moriendum esses dispositus, semper remuneratorem tuum JESUM, & mercedem tuam, æternam gloriam exspectans? *Exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri JEsu.* ad Titum 2. Itane ergo, si te Dominus à mundo esset avocaturus, te contorquere, & ad modum depravati alicujus sæcularis, moram longiorem postulare velles, ergone quia ob negligentiam tuam nondum es paratus, tanquam una de virginibus fatuis, dum jam Sponsus advenit, ad animam tuam in palatium nuptiale introducendam, modò fuerit promerita, lucernam oleo implere satages? Quid ergo fructûs cœpisti ex decantatâ tibi toties lectione illa, quòd mors minimè cogitata adveniat, & quòd ideo paratum semper oporteat vigilare. Quod ipsum fortè aliis sæpius inculcâsti adhibitâ famosâ illâ Redemptoris sententiâ: *Quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* Luc. 12.

II.

Consideret, an existimet sibi in hora mortis suæ consolationi, aut verò terrori fore magna illa Dei beneficia, donum vocationis de sæculo ad statum Religiosum, gratias peculiares in eodem concessas, evasionem periculorum tum animæ, tum corporis, tum honoris; donum perseverantiæ in statu Religioso; specialia proficiendi obtenta media; verbo, beneficia omnia tum Spiritualia, tum temporalia, quibus non potuit non multis esse fruitus, uti

& munerum diverſorum functionem ? Certus ſum, illa futura eſſe conſolationi, ſi fructum ex iis comparare quæſiverit, terrori autem, ſi iis ſe abuſam viderit. Itaque ſi ſapienter rem ſuam inſtituere voluerit, attendat tempeſtivè, quomodo in uſu horum ſe geſſerit.

III.

An putet, inſtante mortis tempore eadem à ſe eſſe æſtimanda, quæ modò æſtimat, eaque aſpernanda, quæ modò aſpernatur ? *Videat* utrùm etiam mens afficiatur erga ea, quæ ſapiunt vitam mundanam ; vanam gloriolam, dignitatulam aliquam ac præeminentiam, & an ea in Religione ſectatus fuerit. Infelix certè, ſi tali animo fuerit. Perſona illa Religioſa, quæ non pertimeſcit Principibus, Regibus, ac Monarchis inculcare, quòd amplitudo eorum non ſit niſi vanitas: & talis non reputabit pro vanitate, ſuperioratum aliquem, cathedram, aliudve officium? arbitror talem cum pluribus aliis in morte dicturum illud : *Erravimus à via veritatis*. Sap. 5. Decepi me ipſum, quia hæc omnia fuerunt vanitas. Vanitas prælatura, vanitas tituli, vanitas gradus magiſterii, laureæ, privilegia, exemptiones, independentiæ, & imperium in alios : *Vanitas, vanitatum, & omnia vanitas.* Eccl. 12. Videat, an omnia illa, quæ modò amat, amore digna ſit judicaturus, ubi ad lumen candelæ benedictæ examinanda fuerint, aut an illa meritò oderit, quæ modò fugit. Amat converſationem, fugit ſolitudinem ; amat libertatem odit ſubjectionem, fovet particularem quandam amicitiam cum una Perſona, & alteram averſatur &c. *Videat*, an ad ejuſdem candelæ lumen volet ſe ità proceſſiſſe. *Videat* an omnia illa placitura putet, quæ jam ad hunc, jam ad alterum appetitum implendum concupiſcit &c. An volet cum advertentia illa à ſe dicta eſſe, quæ de aliorum factis ac defectibus ex ſenſu ſuo non rectè fundato, protulit. *Videat* denique an tum volet deliberatè feciſſe illa, quæ modò voluntariè agit: Poſtquam huic conſiderationi nonnihil immoratus fuerit, horum omnium calculum aliquem in mente ſubducat, ac dicat ſibi *An illo temporis puncto innumeras cogitationes, quas animo verſavi, approbaturus ſum* ? non certè placebunt aliquæ, diſplicebunt plurimæ, an innumeri affectus, deſideria, odia amores cordi meo infixi, gaudium inferent an dolorem quid de innumeris factis vitæ meæ Religioſæ ſive Deum ſive me ipſum, ſive proximum, ſive ſuperiores, ſive ſubdi-

tos

os sive æquales concernant ? Quid de his omnibus sentiam ? quantum hinc gaudii, aut quantum mœroris percipiam ? Quòd si modò conscientia tua bonum tibi testimonium præbuerit, non ausim propterea tibi spondere, quod in hora mortis pari satisfactione gavisurus sis : ipse Paulus quanquam nullo tactus conscientiæ remorsu non tamen se justum reputabat. *Nihil mihi conscius sum sed non in hoc justificatus sum.* 1. ad Cor. 4. Quòd si vero conscientia tua te arguit, & te multarum cogitationum, verborum, operum admissorum modò contra honorem Dei; modò contra charitatem proximi, modò contra hanc, modò contra illam virtutem, aut contra perfectionem, utinam non & contra substantiam unius alteriusve voti condemnat, quomodo tibi blandiri potes de bona ad mortem comparatione ? certus esto, quòd in extremo vitæ momento aperiendi tibi sint oculi, quemadmodum & primis parentibus nostris factâ divinæ legis trangressione aperti fuerunt. *Aperientur oculi Vestri.* Gen. 3. Verùm quid tunc videbis ? id, quod & illi ad confusionem sui, dum amarum inobedientiæ fructum degustârunt : viderunt nempe, se esse nudos, viderunt exspoliationem pulchræ illius innocentiæ vestis. Et tu te videbis nudatum pulchrâ illâ fructûs religiosi veste, quæ in sanctis virtutum operibus consistit. Et quòd acerbissimum est, videbis, *quia tempus non erit amplius*; nec ultra spatium damna illa reparandi, sed absque fructu tantùm illa deplorandi; pœnâ, quæ instat in purgatorio saltem sufferenda, menti occurrente.

IV.

Consideret, an præhabitis jam pauculis hisce verissimis sensis (pluribusque aliis, quæ Pers. Relig. vel ipsa concepit, vel aliis sæpius inculcavit) velit mores suos, depravatos, tam quoad interna, quàm quoad externa corrigere: errores suos dediscere, affectus suos emendare, mutare amores, mutare odia, mutare consilia, mutare sermones, mutare opera, verbo, an vitam suam, siquidem Religioso illa statui non foret conformis, mutare, seque ad mortem sanctè obeundam rectè comparare velit? quòd si hoc consiliũ capessiverit, sperare poterit mortem justorum, tali autem destitutus, egressum è mundo infelicem meritò timere poterit. Nec mortem Religiosi sancti sibi promittat, si vestem tantùm non vitam Religiosi sancti præ se tulerit. Quæ vestis quemadmodum coram Tribunali divino non faciet sanctum

ctum Religiosum, ità neque in tremendo hoc excessu animæ solatium feret. Sat illud declaravit Servator, inquiens: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Multi* (O locum formidabilem! quem bene expende) *dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.* Matth. 7. Et quod sequitur horrorem meritò etiam ingerat: *Vidi impios sepultos. qui etiam cùm adhuc viverent, in loco sancto erant, & laudabantur in civitate quasi justorum operum: sed & hoc vanitas est.* Eccles. 8.

Finitis hisce considerationibus imprime tibi sequentes regulas.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Mortem exspecta, quantum fieri poterit, omni loco omni tempore, in omni circumstantia, ne inexspectata occurrat: *Exspectans exspectavi Dominum.* Psal. 39.

II. Vive ità, ut causam habeas eam ampliùs desiderandi quàm timendi: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. ad Philip. 1.

III. Cura omni modo, ne quid in conscientia sub horam mortis decidendum reliquum maneat, ut ad primum te avocantis Domini signum expeditus, ausis dicere id, quod puer Samuel ad Heli: *Ecce ego*: ac prout sequitur: *& cucurrit, ad Heli & dixit, ecce ego, vocâsti enim me.* 1. Reg. 3.

IV. Omni die ad mortem te dispone, per mortificationem, eorumque operum omissionem, quæ in extremo illo articulo facta haud volueris. *Quotidie morior.* 1. Cor. 15. ità ut libenti animo moriaris, etsi etiam non esset adfuturus qui muniat te extremis, qui præorando confortet, & animam Superis commendando deducat, utì pluribus Ss. Martyribus, S. Romiro, S. Francisco Xaverio, aliisque multis accidit.

Reflecte hodie, quantùm ad observantiam exteriorem *Primò* quomodo in communitate vivas sinè particularitate. *Secundò* an superflua aut curiosa habeas in cubiculo. *Tertiò* an in te ipso, aut in rebus ad usum tuum spectantibus vanus sis.

PRO

PRO DIE TERTIO

Pro matutino tempore.

I.

Consideret Relig[iosa q]uàm Deus in pervidendis rationibus personarum,q[uibus] ipsi sunt consecratæ, futurus sit perspicax, in judicio particulari, uti declaravit per verba illa Sophoniæ. *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Cap. 1. *Videat* an ad severissimum hoc quod subire debebit, judicium, sæpius reflectat. Quod si opera sua tantùm superficialiter peragat, si in servitio Dei valde parcus fuerit, si confessiones parum exactè fecerit, signum est quod judicium illud parum ipsum solicitum habeat. *Qui judicat me, Dominus est.* 1. ad Cor. 4. *Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti.* Ita quidem innocens ille & patiens Job cap. 9. Neque enim opera tantùm mala Deus judicabit; judicabit etiam omissiones boni. Id quod manifestum fit in servo illo, qui talentum acceptum non dilapidaverat equidem, verùm ad reditum usque Domini tantummodo sepultum asservârat: cui rationem exigenti cùm hic ipsum restitueret, quale acceperat, condemnatus fuit, quia eodem negotiari omisisset. Dicebat ille: *Domine abscondi talentum tuum in terra; ecce habes quod tuum est.* Matth. 25. Dominus autem postquam acerbè servum hunc verbis perstrinxit, imperavit ministris, ut in carcerem illum abjicerent, quo aut purgatorium aut infernus certè repræsentatur. Ecce verba Domini. *Serve male & piger, oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique, quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* Matth. 25. Videat Pers. Religiosa, quot merita talentis à Deo sibi commissis lucrari potuisset, quæ ex pigritia sua neglexit, aut ex respectu humano, aut ex timore fastidii incurrendi, quale subeunt, ùt prætenditur, hi, qui illa bona faciunt, quæ faciunt: sciat autem, quod de hujusmodi omissionibus reddenda erit ratio. Quid porrò? Deus examinabit etiam ignorantias culpabiles. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris psal. 24. & quid erit de his quæ deliberata voluntate sunt perpetrata?

II.

Consideret quòd omnis homo judicandus sit secun-

dùm ea, quæ ſcripta ſunt in libro præceptorum divinorum, omnibus communium, & ſecundùm ea, quæ deſcripta in libro vitæ Chriſti tanquam exemplaris omnibus propoſiti ad vivendum conformiter ſtatui ſuo, & quæ in libro vocationis ſingulorum. *Vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni & libri aperti ſunt; & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ (Chriſti) & judicati ſunt mortui ex libris, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera illorum.* Apoc. 20. Inter libros hóſce producetur etiam liber inſtituti, quod Perſ. Relig. amplexa fuit; eo enim continentur illa, quæ Dominus ab ipſa poſtulavit. *Videat* itaque quâ ratione ſe paret, ut faventes de his poſſit dare rationes. Conſideret, quòd Deus minutarum etiam velit obſervantiam, divinæ enim Majeſtatis honor exigit, ut omnis nutus ipſius reſpiciatur ac impleatur, ideoque ait: *Jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant:* Matth. 5. Ampla conſiderationis materia, ad timorem autem juſtum incutiendum maximè accommodata, ſi Perſ. Relig. Compertura eſſet, quòd non ſolùm non ea perfectè obſervaverit, ſed deliberato fortè animo violaverit, imò omnes etiam transgrediendi conſuetudinem aſſumpſerit, alioſque ad violationes pares induxerit! Conſideret profectò, quod non poterit obtendere difficultatem in iis obſervandis; ſiquidem obſervantia rerum minutarum quidem, ſed facillimarum à Regulis præcipitur. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrûm valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus! neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas, qui ſex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire & facere, quod præceptum eſt? ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Deuter. 30. Conſideret, quòd regulis in veritate contineantur non niſi reculæ, quæ in dies occurrunt, quarum obſervantia, temporalem etiam cœnobiorum felicitatem protegit, & quas Religioſus etiam optaret ab aliis diligenter obſervari; ſatìs perſpiciens, quantum boni ab earum obſervantia, & quantum mali ab earum transgreſſione profluat. Quæ ergo excuſatio illarum tranſgreſſori ſupereſt? maximè, ſi conferatur cum iis, qui obſervarunt? legatur cap. 8. lib. 1. Eſdræ, ubi invenietur, quâ ratione Levitæ populo congregato legis capita prælegerint, quam ipſe tranſgreſſus; & ob cujus prævaricationem tot damna etiam temporalia in ſe redun-

dundavisse agnoscens acerbè dolere incepit: *Levitæ silen-um faciebant in populo ad audiendam legem : populus autem stabat gradu suo : & legerunt in libro legis Dei distinctè & apertè ad in-lligendum, & intellexerunt cùm legeretur* & FLEBAT *omnis popu-s, cùm audiret verba legis.* Quæ lamenta sed nil profutura det Pers. Relig. Dum ab æterno judice omnes ipsius trans-ressiones, & voluntariæ Regularum violationes ipsi ob-udentur, dum boni nominis infamatio, quam per ipsum assa est Religio, ipsi objicietur? Dum oggeretur ipsi rela-atio disciplinæ malo illius exemplo in hanc illámve do-num introducta? dum ipsi exprobrabitur abusus transla-us in malam consuetudinem authoritate primi transgres-oris introductam & plures per transgressiones postea ro-oratam ac confirmatam? dum contradictiones patebunt, uas adversùm correctores effudit? & quæ hìc de Regulis icta sunt, magìs tenent in votis, de quorum observantia on qualicunque, sed juxta normam instituti præceptâ, ra-o reddenda erit. *Quicunque in lege peccaverunt, per legem ju-icabuntur; non enim Auditores legis justi sunt apud Deum, sed fa-tores legis justificabuntur.* ad Rom. 2.

III.

Consideret an existimet, se liquidam posse rationem eddere de inspirationibus, quibus à Deo ad perfectionem ectandam stimulatus fuit, de remorsibus conscientiæ, qui-bus fuit avocatus à transgressionibus. Et hi, & illæ Perso-nam Religiosam coram divino tribunali convincent, quod non ex ignorantiâ, sed malâ voluntate peccaverit: *Et me scitis, & unde sim scitis.* Joan. 7. & VIAM *scitis* Joan. 14. Ità JESUS ad Judæos locutus, ut ob oculos ipsis poneret, quod adversùm se non ex ignorantia sed ex malitia delinque-rent: idem valet in Persona Religiosa: novit illa obliga-tionem suam, quam si non adimpleat, è numero est eorum, qui bonum agnitum nolunt: *Noluerunt in viis ejus ambulare.* Isai. 42. Ex iis, qui adversus lumen veritatis rebellârunt: *Fuerunt rebelles lumini* Job 24. ex iis, qui, O paradoxum! *Di-lexerunt magis tenebras quam lucem.* Joan. 3. Punctum hoc est, quod meretur bene expendi.

IV.

Consideret, an exercitia pietatis tali modo obeat, ut ab

 æter-

æterno Judice non censurari, sed approbari mereantur. Orationem peragit Religiosus, sed qua animi applicatione? cantat, recitatve officium, sed quantâ accuratione, & reverentia? frequentat Sacramenta, sed qua devotione, quo profectu? habet opportunitatem Christum quotidie in Ecclesia sua adeundi, & in Eucharistia salutandi; sed quomodo hac utitur? *Cùm accepero tempus, ego* JUSTITIAS *judicabo*, Psal. 74. Dominus ad examen vocabit opera Sancta ex obligatione facta. Væ mihi! In Angelis suis, à fœdæ carnis concretione liberis reperit pravitatem. Quid erit de tepido Religioso, maximè dum discussa fuerint opera pia, qua intentione fuerint peracta, obedientia præstita Superioribus, an quia persona Dei in illis agnita fuit, an verò ob proprium commodum; ædificatio proximo, an in ea bonum proximi, an verò vanitatem spectaverit? Charitas, an vera, an ficta fuerit? Zelus, an sincerus, an ex rancore profectus fuerit? *Quasi pannus menstruata omnes justitiæ nostræ*. Isa. 64. Et cujus justitia hoc modo constituta fuerit, habet, quod ad minimum grave à judice purgatorium infligendum metuat.

Factis hisce considerationibus, statuat juxta sequentes regulas vivere.

REGULÆ RELIGIOSI.

Judicem adversus se ipsum agat per examen generale & particulare conscientiæ: *si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*. 1. ad Corinth. 11.

II. In officiis statûs Religiosi omnem negligentiam, ac defraudationem perhorrescat. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*. Jerem. 48.

III. Firmiter sibi persuadeat, quòd à Religioso rationes exactiores sint exigendæ, quàm ab homine sæculari. *Cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*. Luc. 12.

IV. Judicia hominum parvi faciat, magni autem faciat judicium Dei. *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, qui judicat me, Dominus est*. 1. ad Cor. 4.

Reflecte te hodie, quam exterioris Disciplinæ rationem habeas. *Primò* in perferendis dicteriis. *Secundò*, Quas amicitias particulares cum oblocutione aliorum colas. *Tertiò* an nimium erga cognatos affectum ostendas.

PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO PRO TERTIO DIE.

I.

CONsideret Perf. Relig. an opera sua tam sint justa, ut qualis esse creditur ab hominibus; talibus etiam in valle Josaphat coram omnibus Angelis atque hominibus apparere sit parata. Illa dies erit, in qua Deus solis instar tenebras dissipantis, occultissima revelabit. *Illuminabit abscondita tenebrarum* 1. ad Corinth 9. Quare *videat*, utrum talis sit, qualis ab aliis habetur. Religiosus aliquis subinde creditur esse Angelus in moribus: *Videat* an talis fuerit, an verò Luciferum imitetur, qui, cùm sit princeps tenebrarum, transformat se subinde in Angelum lucis? *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis: non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut Ministri Justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.* 2. ad Cor. 11. Intentio ac finis operi suum facit pretium, laude an vituperio dignum sit, dijudicans: *Videat* qualia in veritate sint opera sua; utrùm aliquid oculo designet, & in aliud re ipsa collimet. Infelix fallacia! Deus revelabit intentiones: *Manifestabit consilia cordium* 1. Cor. 4. *Videat* an datâ operâ quærat domi ac foris apparere virtuosus, pius in oculis superiorum, æqualium, inferiorum: quæ autem erit confusio, si in parente hoc theatro totus alius deprehensus fuerit, idque per sententiam infallibilis Judicis ac propriæ conscientiæ! Consideret parum profuturum, alium in mundo apparuisse, quam fuerit: si quidem in die universalis Judicii erit pejus inveniri impium, cùm pius creditus fuerit: *Si ascenderit usque ad Cœlum superbia ejus* (magnâ existimatione per ambitionem procuratâ) *& caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: ubi est* Job 20.

II.

Consideret an ad bonam opinionem apud Patrem Spiritualem conservandam, virtutem aliquam, quâ tamen caret, finxerit se habere, aut suppresserit defectus, quibus laborat. O quantopere de hoc erubescet in valle Josaphat! siquidem postquam sibi hoc pacto subsidium ademit, quod à directore, quem Deus ipsi concessit, debebat expectare, coram toto mundo miserabilis simul & contemp-

 tissimus

tissimus apparebit. *Dabo vos in opprobrium sempiternum, & ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.* Jerem. 23. Similiter consideret, an apud Superiores usus sit duplicitate, fallaciis, vanis prætextibus, modò ad aliquid sibi placens obtinendum, modo ad subterfugiendam aliquam molestiam. *Consideret* quanta cum suî confusione hæc sint publicanda! quanta cum ignominia aperiendæ sint palliatæ propriorum defectuum excusationes, falsæ aliorum delationes, atque accusationes, passiones prætensæ pro naturali infirmitate; inobedientiæ epiekiæ, aut necessitatis pallio coopertæ, licentiæ artificiosè obtentæ, adulationes ad animum illius, quem volebat propitium, captivandum, similesque defectus honestatis aut virtutis titulo colorati. Quanta erit confusio Personæ Religiosæ, dum, quæ olim obtrusa sunt, pro indubitatis veritatibus aut virtutibus, detractâ larvâ nonnisi fabulæ fuisse in publico orbis theatro comperientur? *Omnes qui glorificabant eam, spreverunt eam, quia viderunt* (id quod impossibile videbatur, præsumi posse de Persona; quæ luce virtutis eximiæ apparenter fulgebat) *ignominiam ejus.* Thren. 1. 8. Reflectat ad hoc magni momenti punctum, nam fallatur homo, Deus falli non potest: *Nunquid Deus decipietur, ut homo vestris fraudulentiis.* Job. 13.

III.

Consideret: Quantâ agat cum sinceritate, quæ virtus in omnem hominem honestum, magis autem in Personam Religiosam cadit: Superi! quanta hæc erit ignominia, si in hac defecisse comperta fuerit? si aliud ore protulerit, aliud corde senserit? si in faciem quidem amicitiam simulaverit, post tergum verò detraxerit, ac proditorem egerit? hujusmodi etiam sunt invisi mundo: malum autem hoc commune esse inibi apparebit: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* Psal. 11. O quantum dedecus, si Religiosi alicujus culpâ hæc perversitas Religionem subintrasset! si de Religiosis illud verum fieret, *linguis suis dolosè agebant* Psalm. 13. O quæ miseria, si, qui modò se fratrum aut sororum nomine compellant, postea deprehendendi fuerint egisse ut Cain adversùs Abelem, aut ut filii Jacob adversùs Josephum. *Videat* hîc Pers. Relig. an decipiat, an proditoriè agat, num aliis revelet, quod in confidentia, aut sub secreto communicatum est: an amicum se fingat, dum lupus est. *Loqui-*

mini

ini veritatem unusquisque cum proximo suo & malum contra ami-
um suum ne cogitetis. Zachar. 8. Cogitet autem, quòd simula-
is iste procedendi modus coram toto mundo sit revelan-
us: atque ità tàm ex parte illius, qui miserè ab ipso decep-
is est, quàm illius, quem adhibuit pro instrumento ad no-
endum illi, cujus confidentiâ abusus est. *Convertetur dolor*
us (illius nempe qui proditus, aut deceptus) *in caput ejus*
nempe traditoris) *& in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*
Psalm. 7. Fidelitas violata adversùs infidelem exclamat &
xposcit vindictam. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala*
utem in cordibus eorum, da illis secundùm opera eorum, & secundùm
equitiam adinventionum ipsorum. Psal. 27. Quibus verbis in-
uitur, quod in pœnam occulti deceptoris, deceptio palam
it manifestanda. Considerare velit hìc Pers. Relig. qua ra-
ione servaverit fidelitatem, ingenuitatem, sinceritatem.

IV.

Consideret: utrùm ità Deo serviat, ità voluntatem illius
mpleat, ut non habeat, quod timeat, ne ex hac parte coram
oto mundo sit reprobandus. Pers. Relig. peculiariter
obligatur, ut tota Dei sit, quia in cœnobio, loco sancto,
Deo & famulis illius consecrato vivit, reditus item, ex
quibus vivit, specialiter ad JESUM pertinent, tanquam
illius hæreditas, ipsius patrimonium & substantia. Do-
mus enim Religiosæ ex desiderio placendi Christo funda-
tæ sunt à piis animabus, unde clarum est, quòd à JESU
proveniant bona, quibus illic fruitur. À JEsu panis est,
à JEsu vinum, & universa, quibus Religiosi nutriuntur: à
JEsu vestes, à JEsu lectus &c. à Jesu omnes commodi-
tates, recreationes &c. Unde in veritate dici potest, quòd
Religiosi vivant sumptibus Christi, ac sacratissimi illius
sanguinis. Quare nunquid meritò timeat, ne in die illo ex-
probrandum ipsi sit beneficium istud sustentationis, & op-
positæ illi ingraditudinis vitium; dicetur enim: *Filios enutri-*
vi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Isai. 1. Indubitatum
est, quòd Deus nutriverit ac educârit Religiosos: *Primò*
tanquam pueros, tales enim ut plurimum ad Novitiatum
assumuntur inepti adhuc ad operandum in cœnobiis: *Se-*
cundò educando eos tanquam magìs adolescentes, & adul-
tos viros à mundo etiam æstimatos ex ipsis exsculpendo,
& propter educationem in Religione acceptam, & virtu-
tes illic acquisitas reddendo honorabiles: verè enim sæpe
con-

contingit,ut Religiosus plus ad Religionem non conferat, quàm vitæ sæcularis peccata & ignorantiam : sæpe etiam inopiam,& obscuritatem natalium: de se illud gratus fatetur David: inquiens : *Elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium de post fœtantes accepit eum*:eidem etiam dignitatem pascendi populum in munere Regis acceptam ferens. *Pascere Jacob servum suum & Israël hæreditatem suam*.Psal. 77. Figura Religiosorum, qui ortu ignobiles à Deo exaltati & supra candelabrum positi, à sæcularibus imò & Principibus honorantur. *Nutrivi*, inquit Deus, in Novitiatu,*nutrivi* in studiis. Nutrivi de omni re necessaria providendo: *& exaltavi*: & in tali gradu collocavi,quò nunquam pervenissent, si in mundo mansissent : *ipsi autem spreverunt me* per mores indignos talibus,quibus tot bona præstiti. *Spreverunt me* in meis Vicariis, superioribus suis non obediendo.Spreverunt in Religione, per defectus suos ejusdem honorem maculando. *Hæc fecisti, & tacui; arguam te & statuam contra faciem tuam*.Psal.49. Consideret Pers.Relig. hæc puncta,de quibus in valle Josaphat rationem reddere debebit.

His consideratis, adsciscat sibi seu proprias sequentes Regulas.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Nolit videri bonus,dum talis non est,& conetur bonus esse,dum talis esse creditur. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus* (vitiis per consuetudinem induratis) *mortuorum,& omni spurcitiâ* Matth.23.℣.27.

II. Abhorreat ab omni vafritie & duplicitate in moribus: *Vir versatus odiosus est*. Prov. 14. *Maledictus dolosus* Malach.1. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus* 1.ad Thessal.4.

III. Non persuadeat sibi,tanquam Deus decipi aut illudi possit: *Deus non irridetur*. ad Galat.6.

IV. Dum in sinistram partem bonæ actiones nostræ explicantur, consolari se spe divinæ in valle Josaphat approbationis. *Tunc laus erit unicuique à Deo* 1.Cor.4.

Reflecte hodie *Primò*, qualem observes in victu temperantiam. *Secundò* quomodo otium fugias. *Tertiò* an negotiis non satis Religioso convenientibus occuperis.

PRO QUARTO DIE PRO MATUTINO TEMPORE.

I.

COnſideret Perſ. Relig. quàm grato animo agnoſcat beneficium factæ (*ſi quidem in ſeculo aliquando mortaliter peccârit*) liberationis ab *inferno*. Peccator omnis, cui Deus ſpatium pœnitentiæ indulſit, Deo eſt obligatus, & attento periculo, in quo fuit, ſubeundæ damnationis, meritò dixerit: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò miniùs habitâſſet in inferno anima mea.* Pſal. 93. Præ omnibus maximè is, qui poſt admiſſa gravia in mundo peccata ad ſtatum Religioſum eſt vocatus: ſi quidem homo ſecularis licèt inferno ereptus, verſatur tamen in loco, in quo relabendi ſemper expoſitus eſt periculo. Qui verò de ſeculo ad clauſtrum translatus eſt, in loco degit à talibus immuni, & in quo omnes innocenter vivendi occaſiones ſuppetunt: quod Regius Pſaltes inſinuavit hiſce verbis: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit; ſuper aquam refectionis educavit me, animam meam convertit, deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ propter nomen ſuum, nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pſal. 22. Verba hæc ſuaviſſima bene expendantur, ut, quæ optimè quadrant ad ſtatum religioſum: magnum illud beneficium æſtimet, quod Deus præſtitit (liberando ipſum ab inferno) & in loco collocando, unde (modò voluerit) facilè poſt mortem ad cælum tranſeat. Conſideret autem, an hucuſque beneficium illud debitè æſtimârit, & Dominum, beneficii hujus Authorem, gratus recognoverit.

II.

Conſideret, an æquum judicet, laborem aliquem recuſare, qui pro ſervitio atque honore liberatoris ac benefactoris tam benigni perferendus ſubinde occurrit. Videtur mihi ſumma fore ingratitudo, talem etiam non ultro provocare, quantò autem major eundem ſubterfugere? *Videat*, utrùm ſic faciat; an verò ſe velit haberi pro perſona, cui omnis reſpectus ac ſolatium debeatur, non verò pro ea, quæ infernum atque omnia ſupplicia mereatur, utrùm ſubinde conqueratur de victu, habitatione, ſociis, Superioribus, cubiculo, officio? quàm abſurdum foret Religioſum de iis queri quibus tam multi ſeculares acquieſcunt, quibus etiam ipſa Perſ. Relig. modo querula, in ſeculo futura fuiſſet contenta, quanquam fuerit etiam culcitra illic

haud tam mollis sternenda. *Videat*, an quærat recreationes, solatiola, honores. An fugiat incommoditatem aliquam, qualis in dilecta Deo anima reducenda subinde occurrere solet. An sit impatiens in conversatione aliorum: an privilegiis abutatur, qualia per vias fortè Deo ingratas obtinuit. *Videat* an adhibeat etiam pro maceratione corporis pœnitentias, ùt sunt cilicia, disciplinæ, jejunia, &c. an verò talia perhorrescat. Si illa fugiat, ostendit se esse oblitam eorum, quæ in inferno patienda ipsi fuerint. Job ærumnis circumseptus quid dicebat? *Infernus domus mea est.* Job. 17. Unde calamitates ipsi suæ rosæ visæ fuerunt. Sordidus lectus illi gratiosus in comparatione infernalis cloacæ: panis doloris, ac potus lacrymarum, ipsi sapidissimus, dum fercula inferni comparabat: amici infideles, & molesta mulier charissimi ipsi amici, consideratis Dæmonibus, cum quibus habitare sese dignum noverat &c. Infernus domus mea est. Hæc recordetur Religiosus ab inferni flammis liberatus, & omnia ipsi dulcia apparebunt, dulce monasterium, unde exeundi potestas dempta, dulces socii, qui non sunt ad ipsius genium. Et Superiores rigidi, & molesta observantiæ disciplina, cæteraque ardua dulcia videbuntur.

III.

Consideret, an dum memoratum illud singularissimum Dei beneficium demereri non potest, nisì tantùm ipsum honorando in vita præsente sua, id est, tales profitendo mores, ut quisquis illum in hac atque altera vita spectaverit, laudet ac prædicet Deum, cujus miserationes tantùm in ipso profecerint, consideret, inquam, an deceat ipsum ingratum vivere, aut verò conveniat tenue illud gratitudinis genus Deo præstare? Extra dubium est, quòd de hoc plurimùm illi laborandum fuerit. *Videat* itaque an hoc faciat. *Videat* quomodo in actionibus suis ordinariis domi, foris, in publico, aut in privato Dei gloriam spectet. *Gloria ejus in te videbitur*: Hoc dictum est de Hierosolyma liberata. Isai. 60. *Videat*, an aliqua etiam gloria ex parte animæ suæ in Deum redundet. Videat, quibus in virtutibus se excellentem probet; & quàm bonum exemplum præbeat, quo proximus excitari possit ad honorandum Deum: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrũ qui in cœlis est.* Matt. 5. Quid erit, si Pers. Relig. sui tantùm commodi sordidè studiosa ut plurimùm de peccatis solùm gravioribus cavendis sollicita fuerit, de reliquo aut ex malitia aut ex negligentia in om-

omnē ſeſe laxitatē effuderit? ingratitudo hæc graviſſimam meretur cenſuram, dum tam heroicam perfectionem profiteri deberet, ut excelſum in cælis gradum gloriæ adepta Deum illic laudet, materiamque illic Deum celebrandi Beatis omnibus per totam æternitatem præbeat. *In exitu Iſraël de Ægypto* (dum nempe populus Iſraëliticus ab Ægyptiaca ſervitute ereptus fuit) domus Jacob (à tyrannico barbari Regis Pharaonis mancipatu liberata) de populo barbaro, & quid ſequitur: Judæa tota, terra tot aliàs ſceleribus coinquinata ſanctitatis domicilium facta eſt. *Facta eſt Judæa ſanctificatio ejus*, totuſque populus Iſraëliticus factus electus ſpecialiter Dei populus, intentus ipſius cultui & obſequio, ac legis obſervantiæ: *Iſraël poteſtas ejus.* Pſal. 113. Talis & eſſe deberet Religioſus omnis è tenebris Ægypti, ex ſæculo, ex inferno eductus in terram promiſſionis ſtatum Religioſum.

IV.

Conſideret, quomodo procedat in materiis illis, in quibus etiam Religioſus mortaliter peccandi, & in infernum proruendi periculum poteſt incurrere, à quo inferno aliàs miſericordiâ Dei præſervatus fuit. Poteſt Religioſus etiam tranſgredi mandata Dei & Eccleſiæ, quæ ſub peccato gravi obligant. Reflectat, an aut opere aut deſiderio contra unum alterumve deliquerit. *Videat*, an ſequatur in hac materia doctrinas laxas aut ſaltem dubias, & non ſecuras. Attendat, an regulæ aliquæ Ordinis ſui obligent, & quomodo illas ſervet? *Legat* Catalogum de ſeptem peccatis capitalibus, ſeque examinet, quanto cum conatu ab iis ſe immunem cuſtodire ſtudeat. Quòd ſi in memoratis capitibus, aliiſve ſimilibus, non omnino ſe inculpabilem eſſe deprehenderit; Conſideret, quàm indignè fecerit, quantum à debito ſuo deflexerit is, qui è ſæculo eductus, & ab inferno exemptus, ad domum Dei translatus fuit, & qui in terreſtri paradiſo Chriſti impenſis vitam ſuſtentat. *Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Luc. 11.

Poſtquam in hiſce Conſiderationibus te ſatìs diu detinueris, lege attentè ſequentes Regulas.

REGULÆ RELIGIOSI.

I.

Quando adverteris te affici faſtidio vitæ, ac diſciplinæ

regularis (ex quocunque tandem capite illud prevenerit, sive à sociis, sive à Superiore, sive ab officio, sive ab habitatione, aut undecunque demum) descende animo in infernum, & inspice locum, quem meritus fuisses. *Descendant in infernum viventes.* Psalm. 54. Ostendit Deus sanctæ Theresiæ locum in inferno, in quem deventura fuisset, nisi misericordiâ suâ ipsam præripuisset. Hæc inferni perlustratio effecit, ut omnem adversitatem hilari animo sufferret, & in doloribus cum gaudio Deo serviret. Et talis reflexio effectum eundem in te præstare valebit.

II.

Quantumcunque exactus Religiosus fueris, si tamen vel unico peccato mortali te aliquando obligâsti, absque speciali revelatione non potes esse securus de effugiendo inferno. Quare statue per vitæ sanctimoniam, per opera etiam supererogatoria salutem tuam, quantum poteris, in tuto collocare. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit.* Eccl. 9. Quare S. Petrus ait: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis* 2. Petri 1.

III.

Ne ille tam misericors tuî ab inferni pœnis liberator blasphemetur, omni cum affectu conare etiam alios inde avertere. *Ne veniant in hunc locum tormentorum.* Luc. 16. Hoc quidem flagitiosus Epulo proprii commodi causâ orabat, ne pœna ipsius, fratrum suorum supplicio augeretur: quantò verò ardentioribus votis idem tibi desiderandum est pro pro honore Dei!

IV.

Si concupiscentias carnis secutus in seculo peccâsti, eam in Religione per pœnitentias mortifica. *Reddite illi, sicut & illa reddidit vobis: & duplicate duplicia, secundùm opera ejus. In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum illi date tormentum & luctum.* Apoc. 18.

Reflecte hodie quomodo disciplinam, quoad exteriora, observes. *Primò*, an te aliis præbeas difficilem, tetricum, morosum, fastidiosum. *Secundò*, an aliorum facta sugilles. *Tertio*, an te immisceas negotiis, quæ ad te non pertinent.



PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO

Pro Quarto Die.

Hâc die aut aliâ vicinâ solet peragi affectuosissima meditatio de FILIO PRODIGO. Hâc occasione Pers. Rel.

I.

COnsideret, an methodus ipsius vivendi aberret etiam à primis principiis (operando contra prima dictamina, lumina clarissima, veritates indubitatas) quâ ratione aberravit adolescens ille prodigus, ex quo contra prima principia errore, integra aliqua vitiorum catena secuta fuit. PRIMUM illi PRINCIPIUM esse debuisset, quod filiofamilias melius esse non possit, quàm domi, adhærendo amantissimo suo parenti; ut qui commoda ipsius spectabat, etiamsi aliquo adversùs ipsum rigore uteretur. Noluit hoc intelligere, ideoque subjectioni debitæ se subtrahens, in mala illa incidit, quæ in meditatione de illo proponuntur. *Videat* itaque Pers. Relig. an inquietudo sua, defectusque ortum ducant ab errore contra prima status Religiosi principia: *Primum principium* hujus status est *ex. gr.* quòd in eodem vivendum sit juxta voluntatem Superioris: errares itaque, si juxta tuam velles vivere. *Primum principium* est: quòd locus hic sit locus pœnitentiæ: erras ergo, si sectaris commoditatem tuam. *Primum principium* est, quòd Religiosus nòn debeat animum affigere certo loco, officio, personæ: errares itaque, si illis animum affigeres. *Primum principium est:* quòd nequeas placere omnibus: errabis itaque, si omnibus satisfacere prætenderis. Atque hoc non obtento fueris inquietus. Applica ad alia in particuli, quæ hìc adduco: Errorem hunc contra prima pricipia supra modum formidabat David (ex uno enim hujusmodi errore devolvimur in plures) quare orabat Deum: *Intellectum da mihi, & vivam.* Psal. 118. Per intellectum significans virtutem illam cognoscitivam, quâ operante percipimus certa prima principia, ad operationes morales ac humanas necessaria. Hanc orationem meritò Religiosus omni die fecerit.

II.

Consideret an oblatâ libertatis specie tanquam escâ se patiatur deludi (maximè si in ætate adhuc juvenili verse-

tur (ut suam sequatur voluntatem. Consideret, quòd, qui hanc viam tenet. *Primò* perdat meritum ac gratiam ætatis maximè pretiosæ: ô quantum istud damnum! *Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam.* Prov. 13. *Secundò* ad ærumnas spirituales (repræsentatas in miseriis corporalibus Filii prodigi) talis anima est redigenda, ità, ut conscientia iisdem afflicta & ferendis impar, velut alter ille ad Patrem in forma servi redibat, ità ipsa ad Deum in habitu pœnitentis, & in forma pene novitii rursus incipientis reverti debeat, atque ità malè exactis in Religione plurimis annis, ad puerilem, quod virtutem attinet, ætatem, annis aliàs sat maturus relabatur. *Puer centum annorum.* Quod quàm turpe sit, ostendit Sanctus Paulus exprobratione illâ factâ Christianis, ad quos sequentia scripsit: *Cum deberetis esse MAGISTRI propter tempus, rursus indigetis, ut vos doceamini, quæ sint ELEMENTA exordii sermonum Dei.* Id est, doceri rursus debetis prima principia. ad Hebr. 5.

III.

Consideret, an erroneis intellectûs sui obnubilati persuasionibus eò devenerit, ut se ipsam non cognoscat, imò & se incapacem fecerit, ut à quopiam de vitiis suis aut defectibus admoneatur; & veritas aliqua ipsi dicatur. Senex ille Filii prodigi parens dubio procul studium omne adhibuit, ut eundem à mala vivendi norma abstraheret: verùm ille ampliùs semper voluntatem malam obstinavit; nec Pater, nec frater natu major (*Superiores illius, ille quidem omni titulo, hic verò ætate & iudicio*) nec alii amici eum ab incurrendo præcipitio retinere potuerunt. *Consideret* itaque Perf. Relig. an etiam aliquando hanc miseram viam inіverit. *Primò*: dum se non novit, & hinc se ipsam pro oraculo habuit, & licèt malè fecerit, voluit videri magnæ prudentiæ, ingenii, capacitatis, & meritis pollens. *Dicis, quòd dives sum, & locupletatus & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis & pauper, & cæcus & nudus.* Apoc. 3. *Secundò*, æstimando se majorem aliis ad modum Pharisæi arrogantis, & ad Deum dicentis: *Gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri hominum.* Luc. 18. Unde omnem sibi respectum, & exemptionem à communibus oneribus deberi falsò sibi persuadeat. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia.* Psalm. 72. *Tertiò*, Adula-

tiones

tiones sordidas admittendo, laudes putridas à rerum aliquarum procis datas probando, fraudem ac deceptionem in his non dignoscendo, & adulationem pro vera laude accipiendo: Dum Propheta interim clarè dicit: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Isai. 3. *Quartò*, odio eos persequendo, qui in bonum suum ipsi defectum aliquem manifestant. Ità Sanctus Propheta Michæas, in cujus ore efflorescebat Divini verbi veritas, odio ad mortem usque exagitatus fuit à Rege Israëlis Achabo, quia displicentem ipsi veritatem prædicebat: *Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* 3. Reg. 22. O misesum! quadringenti proditores Prophetæ falsi ipsi adulabantur, & prophetabant, verùm mendaces, & insignium fabularum architecti, quibus dum credidit, enecatus fuit. Expendat ergo Pers. Relig. an fugiat, oderit, metuat Superiores, Patres spirituales, socios, amicos, hoc solo titulo, quia non blandiuntur ipsi, & defectus improbant, quos ipse non agnoscit, nec vult agnoscere. *Via stulti recta in oculis ejus.* Proverb. 12. *Novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Prov. 14.

IV.

Consideret, an aliquando à Dæmone perversum intellectum suum eò seduci passus fuerit, ut viam perfectionis pro simplicitate, ac stupiditate habuerit. *Deridetur Justi simplicitas.* Job. 12. Pejus autem foret, si Pers. Relig. errore suo privato non contenta insultaret (ceu mulier maligna Jobo) his, qui animum ad virtutem, devotionem, & Regularum observantiam adjiciunt, *adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Job. 2. Divinoque servitio his suis aut publicis aut privatis derisionibus poneret obstaculum. Credibile est, quòd filius prodigus fratrem natu majorem Patri obedientissimum exploserit, oggerendo ipsi stupiditatem ac simplicitatem, dum nihil affectaret libertatis, semper sub oculo lenis illius trepidando. Quantum scelus! impedire quò minùs in domo Dei Deo serviatur! *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini*, dictum hoc fuit de Ophni & Phinee filiis Sacerdotis. Heli 1. Reg 2. Denique *consideret*, an obliquis oculis similes intueatur, & affectu non

bono prosequatur tantùm ideo, quia malos ipsius mores verbo & exemplo student corrigere : an agat ut illi, qui dicebant : *Circumveniamus Justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris.* Sap. 2.

Finitis hisce Considerationibus statuat amplecti sequentes Regulas.

REGULÆ RELIGIOSI.

I.

Firmiter in animum inducat, quòd imperfecti se ipsos denique detestentur, laudibus autem extollant perfectos: sic fratres Josephi in fine pœnituit malè fratrem tractâsse, dum divinæ ultionis stimulum sentiebant, hinc dicebant: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Gen. 42.

II.

Deus etiam temporaliter illos remuneratur, qui ipsi se tradunt: *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Psalm. 138.

III.

Nolit perseverare in defectibus, quos ceu tales agnoscit. Exemplo prævivit Filius prodigus: Quàm laudabiliter faceret Religiosus, qui cognitis imperfectionibus suis ad Patris sui Spiritualis aut Superioris pedes animo se ob eas humiliandi, prostratus tanquam coram fundatore Ordinis sui diceret : *Pater peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15.

IV.

Indignas animo suo æstimet vanitates illas, quibus Dæmon à perfectione Religiosum conatur abstrahere : *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Jerem. 2.

Reflecte hodie, quantum attinet ad externam disciplinam. *Primò*, an sis curiosus intelligendi nova mundana. *Secundò*, an solatium quæras, in aures secularium effundendo querelas. *Tertiò*, an eisdem defectus domesticos reveles.



PRO

PRO QVINTO DIE
PRO TEMPORE MATUTINO.

Hoc die solent inchoari meditationes de vita Salvatoris: inter quas prima solet esse illa de regno Christi. Itaque Pers. Relig.

I. Consideret, quòd religiosæ vocationis beneficio de felicitate eorum participet, qui dicunt: *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes*: Apoc. 5. Quare meritò etiam speciali modo se illi subjiciet, vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ observando non solùm, quoad substantiam, verùm etiam juxta perfectionem; per exactam enim horum observantiam, anima se Deo suo quoad omnia verissimè subjicit. *Videat* itaque quantum ad paupertatem: an eligat quidem esse pauper, verùm ita, ut nihil rerum necessariarum ipsi desit. Magnus ille omnibus titulis Moyses poterat effugere adversitates illas omnes, quibus Hebræi fratres ipsius premebantur, verùm nullam ejusmodi exemptionem amavit. *Moyses grandis factus, negavit se filium esse filiæ Pharaonis, magis* ELIGENS (felicitatem suam agnoscens, & ideo *eligens*) *AFFLIGI cum POPULO Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.* ad Heb. 11. *Videat*, an etiam tam gloriosè sentiat ac operetur: an è contrario sectetur vanitates & commoditates superfluas forsan è patrimonio ordinis sui conquisitas: *Tulisti vasa decoris tui*, intelligo apparatum in cubiculo, libris, & vestibus nimis splendidum, & hinc irreligiosum (*de auro MEO atque argento MEO*) comparatum è reditibus Christi. *Et fecisti tibi imagines* hæc retinendo, his te oblectando, hæc exhibendo, & vanitatem tuam jactitando. Ezech. 16. Quid autem de Christo dicitur? audi: *Propter vos egenus factus est, cùm esset dives.* 2. ad Cor. 8. Ut etiam posset dicere: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Luc. 9. O quale dedecus! servum illius nolle sufferre incommoditatem illam, quam secum paupertas, ô quantum moderata affert? Quantum ad castitatem *videat* Pers. Relig. hic solummodo, an illius servandæ sit studiosa: an sensus suos cohibeat, an occasiones illam violandi fugiat, an à libris non sat honestis perlegendis abstineat &c. Quantum ad obedientiam: *videat* solùm: an adhibeat potentissimum illud alacris præstandæ superioribus obedientiæ medium à Christo, cùm nempe jubet nos in Superiore Deum respicere, nobis traditum:

Qui vos audit, me audit. Luc. 10. Hoc principio ſemel ſtabili- to, intellectus, voluntas, & ipſum opus ordinationi Supe- rioris perfectè ſubjiciuntur. Hoc verò non obſervato in- quietudo ſemper, & amaritudo animum occupabit: ſiqui- dem cùm ſuperior homo ſit aliis ſimilis, *& ipſe circumdatu- eſt infirmitate.* ad Hebr. 1. Subinde pejor etiam (ut ſatìs con- ſtat) hilari animo non poteſt ipſi obediri, ſi Superior tan- tùm ut homo conſideratus fuerit. Maxima Dei bonitas i- hoc ſe manifeſtat, quòd voluntatem ſuam per talem homi- nem intimare, nobiſque certitudinem facere dignetu- quod dum homini obedimus, voluntatem ipſius faciamu- De populo nolente ſe ſubmittere Samuëli, dixit Dominu- ad ipſummet Samuelem: *Non te abjecerunt ſed me, ne regnem ſu- per eos.* 1. Reg. 8.

II.

Conſideret, an inſtar reverentis Vaſalli ſe accommod- quotidianæ diſciplinæ, quam ſupremus ille Rex in diurn- etiam minutiis obſervandis requirit ad hoc, ut omnes acti- ones bene gerantur. Hinc omnes diei actiones à tempo- ſurgendi uſque ad veſperum percurrat. Ac *videat*, qu- modo in illis ſe gerat: Materia hæc copioſa eſt & facil- quapropter multis addendis ſuperſedeo; notari tantù- cupio, quòd per quotidianam obedientiam ad ſonu- campanæ per viſitationem Superiorum, & per pœnite- tias tranſgreſſoribus impoſitas multum Perſ. Relig. juv- tur in ſpiritu: *Viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum,* dicebat a- Deum Jobus c. 10. Jeremias autem ait: CASTIGAST- *me & eruditus ſum quaſi juvenculus indomitus: converte me, convertar, quia tu Dominus Deus meus: poſtquam enim converti- me, egi* POENITENTIAM, *& poſtquam oſtendiſti mihi, percu- femur meum, confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobriu- adoleſcentiæ meæ.* Jerem. 11. Porrò S. Paulus quotidiana- illam domeſticæ & exterioris diſciplinæ obſervantia- tanti fecit, ut dulcia illa Proverbiorum cap. 3. ℣. 11. verb- exſcripſerit, ſuiſque additis amplificaverit: *Fili mi, n- negligere diſciplinam Domini neque fatigeris, dum ab eo* (per Sup- riorem tuum) *argueris.* Quem enim diligit Dominus, ca- ſtigat; *flagellat autem omnem filium, quem recipit: in* DISCIPLI- NA *perſeverate* tanquam filiis *vobis ſe offert Deus: quis eni-* FILIUS, *quem non corripit* PATER? *quòd ſi extra* DISCIPLI- NAM *eſtis* (ſi Religioſus unâ aut aliâ viâ domeſticæ diſci- plinæ ſe quærit ſubtrahere, ita ut aut ipſe hanc detrecte-

a-

aut Superior ipsum ad hanc nequeat adstringere) *cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri & non FILII estis.* ad Hebr. 12. ℣. 4.

III.

Consideret Pers. Relig. an uti Vasallus debet se specialiter facere commendabilem, propriam Regi suo voluntatem cum omnibus, quæcunque ipsi chara sunt, consecrando, sic & ipsa se gerat adversùs Jesum Regem suum specialiter electum: Hæc meritò deberet esse continua ipsius precatio: *Fiat voluntas tua.* Dum Jesus secundùm partem inferiorem calicem amaræ passionis se fastidire sentiebat, primum ipsius desiderium fuit, ut non sua sed Patris sui voluntas fieret: *non mea voluntas, sed tua fiat. Videat*, an non subinde suas sequatur passiones, dum illæ pallio conformitatis cum recta ratione velatæ sibi obediri appetunt: appetit gloriola aliqua voluntatem suam impleri, optat illam impleri aversio, invidia, sympathia, vel antipathia: an hìc Regi suo æterno sacrificat punctum aliquod honoris, verbi unius suppressionem incommoditatulam aliquam, & non potiùs in gratiam passionum suarum TEPIDORUM idioma usurpat dicentium: hoc facere non est peccatum: Superi! an David peccâsset, si amore Dei præ siti fere emoriens poculum aquæ exhausisset, quod militiæ ipsius Principes illi attulerunt: exercuit ille actum supererogatorium, ac Deo illud sacrificavit, aquam effundens nec volens gustare: *Noluit bibere, sed libavit eam Domino. 1. Reg. 23.* Atque interim Rex erat, & miles, non Religiosus. Examinet se, an dum Vasallus non suo debet capiti expetere coronam, verùm eam regio vertici unicè quærere debet, Pers. Relig. eam divino vertici detrahere, suoque capiti imponere studeat; faceret illud, si in actionibus suis non Dei, sed suam gloriam quæreret, dum interim dicendum: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da GLORIAM.* Ps. 113. *Examinet* se, an talentis suis naturalibus, virtutibusque acquisitis glorietur, eaque ad suî tantum exaltationem convertat. Quantus hic error foret! omnia Deo tribuenda sunt. Legat pulchrum illud caput Apoc. 9. Videbit illic, quantâ cum submissione viginti quatuor seniores ad pedes Agni coronas suas prostraverint: *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & mittebant coronas suas ante thronum.* Ita facere decet veros Dei Regis nostri subditos. Illi gloria, nobis autem confusio. *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo,* HONOR & GLORIA. 1. ad Timoth. 1. *nobis autem confusio.* Baruch. 1.

IV.

Consideret, an quemadmodum is, qui supra minores Vasallos in gradu aliquo eminet, ampliùs cæteris solicitus esse debet, ut numerus subditorum Regis sui crescat, i Pers. Relig. (quæ per vocationem suam in regno Chri ad tam nobilem gradum est elevata) istum etiam stude promovere. *Videat*, quem zelum habeat, utì S. Paulus dicebat, *ad omnes*, maximè autem *ad DOMESTICOS* Fidei, ad eo, qui eodem utuntur domicilio O quantum posset aliis pr desse bono exemplo (maximè, si quo gradu foret conspicuus) sapiens suggerendo consilium, verbum subinde mi cendo pium! *Videat*; an hæc vitio illo satis communi, studi proprii commodi, negligens honoris divini omittat: *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ JESU Christi.* *Consideret*, quò Christus non ita nobiscum egerit, ad quem pudore suffusi meritò dicere potest: *Quærens me sedisti lassus, redemisti Cruce passus.* Discat autem ex S. Paulo, quid sibi faciendum sit: *omnibus exhibeamus nos, sicut Dei ministros, in multa patientia, tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scien tia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate no ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma justitiæ, à dextris & à sinistris, per gloriam, & ignominiam, per infamiam & bonam famam* 2. ad Cor. 6. Et ad quem ista finem? ad fines tres nobilissi mos, suum hoc propositum retulit S. Paulus, Primò: u *omnes salvos faceret.* 1. ad Cor. 9. Secundò: ut *OMNI mod Christus annuntietur.* ad Philip. 1. Tertiò: ut *glorificetur Pate in Filio.* Joan. 14. Consideret Pers. Relig. an etiam pro regn Christi dilatando ità laboret.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. In materia voti valde cautum esse: *Quodcunque voveris, redde: melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.* Eccl. 5.

II. In rerum etiam minutarum observantia esse exactum: *Decet nos implere omnem justitiam*; ita Christus sibi & Joann Baptistæ faciendum innuebat. Matth. 3.

III. Gloriam Dei & salutem animarū solicitè quærere: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2

IV. Nunquam existimare se nimium facere in servitio Dei: *Cùm hæc omnia feceritis, dicite: servi inutiles sumus.* Luc. 17 Reflecte hodie, *Primò*: an proficias in meritis in Religioso statu. *Secundò*: an actus facias supererogatorios. *Tertiò*: an verbo & exemplo alios in observantia regulari impedias an Laicorum patronum agas, & authoritatem Superiorum imminuas.

PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO PRO QUINTO DIE.

E meditatione Nativitatis Christi, quæ in hunc ferè diem incidit, potest enasci sequentium ferè Considerationum materia pro Pers. Religiosa. Itaque

I. *Considerat*, quanti intellectu æstimet, & quantopere voluntate amet doctrinam à Christo traditam. Hæc autem summatim ferè consistit in octo Beatitudinibus à S Matthæo adductis per sequentia verba: *Beati PAUPERES spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati MITES, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui LUGENT, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui ESURIUNT & SITIUNT justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati MISERICORDES, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati MUNDO CORDE, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati PACIFICI, quoniam filii Dei vocabuntur, Beati, qui PERSECUTIONEM patiuntur propter JUSTITIAM, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me; gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Matth. 5. Et quid est esse beatum, nisi esse talem, qualis quivis esse appetit, videlicet tam felicem, ut melior felicitas non possit desiderari: & talis est pauper spiritu, & est PAUPER voluntariè & ex motivo supernaturali: talis est omnis MANSUETUS, & qui LUGET Amore Dei: qui ESURIT & SITIT justitiam: qui est MISERICORS: qui amat PACEM: qui suffert PERSECUTIONEM propter justitiam, qui RECTE AGIT; cui à MENDACIBUS maledicitur, & injuriæ inferuntur propter causam Christi. Itaque *considerat* Pers. Relig. an etiam supra dicta puncta, ceu veræ beatitudinis specimina æstimet & amet. Signum autem æstimationis erit, si credat, se honorari, dum talia occurrunt: signum amoris, si illis delectata fuerit. *Videat* itaque, quomodo beatitudines hasce sectetur. JESUS nobis ostendit, illas à se & æstimari & amari: quia illas sectatus fuit, & tam potenter quidem, quanta usus est potentiâ per ipsam Incarnationem suam; cumque alio modo mundum intrare potuisset, talem prælegit, per quem amplecteretur ea, quæ dictis octo Beatitudinibus continentur: *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contemptâ*, ad Hebr. 12. *Videat* Pers. Relig. an posito casu, quòd æquale Deo posset præstare servitium, aut transeundo per octo gradus Beatitudinis Evangelicæ, aut illos negligendo, malit per eos transire, aut verò negligere!

JEſus in ſuo in orbem hunc ingreſſu re ipsâ omnes verè amplexus fuit: PAUPER fuit in ſtabulo. MITIS in faſciis: LUGERE voluit cum infantibus; FAMEM habuit & ſitim juſtitiæ, maximo accenſus deſiderio Patri æterno pro mundi peccatis ſatisfaciendi: exhibuit ſe MISERICORDEM, dum apparuit in figura peccatoris: MUNDO CORDE fuit naſcens ex Virgine: PACIFICUS dum voluit, ut in Nativitate ſua Pax totum orbem obtineret: paſſus PERSECUTIONEM propter juſtitiam; dum ipſum ad mortem quæſivit Herodes, ideo tantùm quia erat Meſſias. Nunc ſe cum Chriſto comparet Perſ. Relig.

II. *Conſideret*, an pariformiter & intellectu ÆSTIMET, & voluntate AMET exempla nobis à Chriſto relicta. Fuit ipſe dignitate maximus: quis dubitet? & tamen tam profundè ſe humiliavit: Et quid nobis hinc diſcendum? non aliud, niſi quod Spiritus S. docuit Eccleſ. c. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* *Videat*, an idem faciat, an verò ob naturæ dotes, ob privilegium naſcendi, talenta, ſapientiam atque labores præteritos quærat præeminere, & an hoc non obtento expoſtulet? JESUS nullâ habitâ eorum ratione, quæ ab aliis de ipſo eſſent dicenda, omnem humanum reſpectum vicit, ut gloriam Dei & ſalutem animarum promoveret: Noverat, quòd Nomen ſuum futurum eſſet ſcandalo Judæis, genti, quæ eo tempore omnium ſanctiſſima eſſe credebatur, ſtultitiæ autem in opinione gentilium, qui magnam partem erant Græci, & ſapientum præ aliis æſtimatione florebant. *Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* 1. ad Cor. 1. & nihilominus amore Patris ſui convitiis horum atque illorum traduci ſe ſuſtinuit. *Videat* Perſ. Relig. an mancipium ſit opinionum, an multum animo reputet, duo illa puncta: quid dicent homines? an etiam mihi præjudicio? JESUS locum frigidum æquo animo tulit, nec, licèt cauſam quidem petendi habuiſſet, frigus mitigari, aut locum mutari petiit, frigus ſuum æquo animo toleravit. *Locus illi non erat in diverſorio* (noverat autem præ omnibus optimam ſibi ſtationem deberi) & interim nulli volens eſſe moleſtus, acquievit ſtabulo. Non alia illi culcitra erat, quàm præſepe beſtiarum; non ſocietas, niſi paſtorum & jumentorum, hæc ſine querela ulla acceptavit, nec miraculum, ut melius ſibi eſſet, adoperari voluit; tanquam ſi per hoc patientiæ exemplum vellet dicere: *Ego homo factus in terram deſcendi, & quas terra affert miſerias, iis volo ſubjacere.* *Videat* Perſ. Relig. an in punctis allegatis, aliiſque ſimilibus pari ratione procedat. An in itinere

ere suo semper inhiet hospitio maximè commodo, an
omni cubiculum, victum, supellectilem, omnia commo-
issima prenset. *Videat*, an domicilio transscriptus egenti-
ci velit illud suâ gratiâ sumptus graviores expendere, &
ebitis onerari, an tempore morbi extraordinaria phar-
aca prætendat &c. Denique an in officiis affectet semper
lustriora, magis conspicua, aut privilegiis suis honorata.
&c.

III. *Consideret*, quòd Jesus elegerit subjacere, partim eo-
um despectui, qui eum non noverant, partim eorum, qui
ipsum noverant, invidiæ. Quia non agnoscebatur ceu Rex
Regum & Dominus universi, locum non habuit Nativita-
is: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Joan. 1. & tribu-
um Cæsari, proprio servo suo pendere debuit. Utroque in
asu, uti & in aliis tacuit. Et quoniam nimis quàm manife-
tè, Rex Judæorum agnoscebatur, invidiam incurrit Hero-
is, uti & postea Scribarum ac Pharisæorum, quoniam
actiones ipsius ipsorum operibus prævalebant. Hinc in fu-
rorem acti dicebant: *Ecce totus mundus vadit post eum.* Inte-
im & hic obmutuit. *Videat* Pers. Relig. an etiam taceat, dum
sibi videtur ab aliis negligi, ac merita sua non satis æstima-
i putat. *Videat*, quomodo se habeat erga sibi invidentes.
Videat, an adversus hujusmodi animet amicos suos, ac con-
videntes, & apud eosdem tanquam adversarios suos illos
traducat. Christus tacuit, pro arbitrio suo quemvis scivit
agere, & patienter omnia toleravit: nobis exemplum re-
linquens in re, cujus usus facillimus, & in nostra manu po-
situs est. *Ut per patientiam curramus ad propositum nobis certamen,*
aspicientes in Authorem fidei (Magistrum omnis æternæ veri-
tatis, ac revelationis) *& consummatorem* (ut qui opere imple-
vit) *JESUM.* ad Hebr. 12.

IV. *Consideret*, quòd Jesus à Matre verâ, Patre autem pu-
tatitio tractari se sciverit, quasi omni caruisset judicio ac li-
bertate, instar puri infantis, quanquam ipse increata esset
sapientia. Fasciis fuit involutus, lactatus &c. Ex Nazareth
portatus in Bethlehem, inde in Ægyptum, nec de voluntate
sua interrogatus, aut consultus fuit; verbò despoticè cum
ipso egerunt. Jesus autem sinè contradictione acceptabat,
aut relinquebat id, quod Parentibus visum fuerat, nihil af-
fectans, nihil repudians, non complexionis suæ teneritudi-
nem, non annorum infirmitatem, non Personæ suæ digni-
tatem prætendit. *Videat* Pers. Relig. an ad hanc etiam nor-
mam se Superioribus gubernandam permittat. Quantum-
cunque hi, aut ignobiliores fuerint, aut ut tales saltem æsti-
mati,

mati,nunquam perinde obſcuri erunt,atque Joſeph & Maria in comparatione Chriſti fuerunt, qui Deus ſimul & homo fuit excellentiſſimus. *Videat*,an ratione habitationis,ad quam ab iis deſtinatur,cum illis diſputet,an ob mutationem ſibi intimatam contradicat, an expoſtulet contra nimiam authoritatem,quâ ſecum agitur, cum non ſit præmonitus, non prærequiſitus non auſcultatus &c. Dum invenerit ſe ab exemplo infantis Bethlemitici deflexiſſe, agnoſcat ſaltem ſe erráſſe: *Videat* dein,an falſum etiam putet eſſe illud, *Quicunque humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum.*Mat.18. *Nolite pueri effici ſenſibus*, pueriles maximè ſequendo opiniones, *ſed malitiâ parvuli eſtote*, 1.ad Cor.14.

Peractis hiſce Conſiderationibus ſtatuat ſibi ſequentes Regulas tanquam ſacroſanctas.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Nemo curandus,quiſquis fuerit,qui repugnat Doctrinæ Chriſti: *Ego ſum via, veritas, & vita: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*: id eſt,cognitiones,ac illuſtrationes,quæ conducunt ad ſanctè in terris, & beatè in cœlis vivendum: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite accipere eum.* Joan.1. ep ℣.10.

II. Humiliare ſe amore Dei, & non ex reſpectibus humanis,Religioſorum eſt, & exaltationem Deus retribuet *Humiliavit ſemetipſum Dominus Jeſus,factus* OBEDIENS (Deo) *uſque ad mortem: propter quod Deus exaltavit illum*. ad Philip.2.

III. Proprium Religioſorum eſt, per homines quantumcunque imperfectos permittere ſe à Deo gubernari *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*. 1. Petri 2.

IV. Nulli ſe loco affigere tanquam mancipium. *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* ad Hebr. 13.

Reflectat hodie Perſ. Relig. *Primò*,an meliora ſibi,pejora aliis ſervet. *Secundò*,an nimium ſtudeat ſanitati,& phantaſiis in hoc puncto agatur. *Tertiò*, an infirmis charitatem exhibeat, an verò in eos durus ſit, & aſper.



PRO

PRO SEXTO DIE
PRO TEMPORE MATUTINO.

Quanquam meditatio de duobus vexillis omnibus Christianis communis sit, modo tamen speciali contingit Religiosos, hi enim præcipuè jurato Christi adversario Dæmoni, facto in professione Religiosa sub signis Christi militandi juramento renuntiant. Ut verò hi bonam militiam militent, qualis milites ipsius decet, Regulas illis quasdam tradidit, quibus ad vitia profliganda, & virtutes acquirendas juventur, quibus redundat Evangelium, quod Personæ Religiosæ maximè etiam deberet esse familiare: *Hodie ad hoc velit reflectere.* Quare

I.

Consideret illam Christi sententiam, per quam reprehendit eos, qui facilè parvos fratrum, proprios verò prægrandes defectus minimè observant. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? aut quomodo dicere potes fratri tuo; frater sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo trabem non videns? hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.* Luc. 6. *Videat* Pers. Relig. an etiam è numero sit eorum, qui proximum inquietant quemlibet carpendo defectum, hinc exaggerando, illinc pœnam postulando, dum interim propriorum defectuum non recordantur. Ismaël omnes impugnabat *manus ejus contra omnes*, Gen. 16. Subinde talis etiam Ismaël reperitur in domibus religiosis, qui omnibus molestus est; superiori, æqualibus, inferioribus, officialibus; singulos infestans, de singulis morosè querulus, de omnibus expostulans. Verùm animadvertat, quid de Ismaële subjungatur. Manus omnium contra eum, ut sciant omnes Deum ità disponere, ut hi, qui minimè ex officio ad hoc obligati alios censurant, vicissim censurentur ab omnibus. *Qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet. Tu quis es, qui judicas servum alienum?* Religiosi sunt servi Dei, non verò quorumlibet Religiosorum, sunt horum fratres, filii unius Patris, unius Matris, cujus Personam sustinet is, qui ex officio præest. *Domino* (Deo) *stat aut cadit. Alius judicat diem inter diem; alius autem judicat omnem diem; unusquisque in sensu suo abundet.*

II.

Consideret, quam fraternæ charitatis regulam Deus præscripserit. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Præcepit, ut Religiosi illo se mutuò amore complecterentur, quo ipse Discipulos suos prosecutus fuit. Amavit illos, quanquam imperfectionibus plenos, quanquam malè ab illis haberetur: & in tantum amavit, ut pro iis se advocatum apud Patrem interposuerit, eos mundo conspicuos reddiderit, imò Petro, qui *tamen ipsum negaverat*, Gratiam miracula propriis majora patrandi virtutem concesserit. *Videat* Perf. Relig. Quo amore in Personas Religiosas ordinis sui, quibus cohabitat, feratur. An bene, an malè de iis loquatur: an felicitati eorum faveat, an invideat: an denigret illos coram sæcularibus facta eorum traducendo, famamque minuendo. *Videat*, quantis encomiis Christus Joannem Baptistam, & hic vicissim Christum celebraverit, & hoc modo honoravit alter alterius ministerium commune in procuranda animarum salute. *Videat* an defectibus ipsorum compatiatur. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* inquiebat S. Paulus 2. ad Cor. 11. *Videat*, an defectu eorum propalet his, quibus eos abscondere oporteret: *Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris* ex proposito (non casu, non inadvertenter) sed deliberato consilio, *& adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum* optans fratri tuo damnum importare & eum quærens supprimere. *Videat* an injuriam acceptam diu memoriâ retineat cum animo nunquam memoriam illius deponendi, aut illam condonandi. *Induite sicut electi Dei sancti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam* ad Col. 3. *Videat* an strophis utatur politicis, aut verò an cum Religiosa simplicitate conversetur. *Non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus*: ità de se audebat dicere S. Paulus 2. ad Cor. 1. *Videat*, an suâ causâ domi rixæ aut discordiæ excitentur: *virum rixæ & discordiæ*. Jerem. 15. Ità ut Religio tot bene fundatis de ipsa querelis allabentibus, quasi admissionis ipsius pertæsa dicat: *Si mihi sic futurum erat* (si personam in se inquietam ac molestam aliis, & quod pejus est, alios inquietandi jus sibi semper arrogantem nutrire debui. *Quid necesse fuit concipere*. Gen. 25. Consideret plura alia, quæ absque suggestione mea facilè occurrent

nt. Cujusmodi sunt amicitiæ particulares, amor nationa-
;, factiunculæ, defectus sinceritatis &c. Omnes denique
fectus adversùs charitatem.

III.

Consideret, Quid Christus Judæis exprobrârit, quòd ad-
ersùs Personam suam non ex ignorantia, sed ex malitia
eccâverint, cùm ab eo de sacris mysteriis satis informati
uissent. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non habe-
ent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Joan. 15.
Quibus verbis castigavit non errorem intellectûs, sed per-
versitatem voluntatis. *Videat* Pers. Relig. an populum hunc
olim sanctum & electum maximo suo damno imitetur: &
agnoscat, dum à perfectione Religiosa deficit, non pecca-
re se ex ignorantia, siquidem obligationis suæ sæpius est
admonita, & quid statum suum deceat, edocta. Timeat ita-
que deliberatâ voluntate peccare, unde cordis postea indu-
ratio sequatur (*induratio inquam, quæ est insensibilitas aliqua cor-
dis ad res divinas, ità ut nec amore, nec timore, nec inspirationibus,
nec admonitionibus, nec exemplis nec usu exercitiorum Spiritualium,
nec infirmitate, nec ullâ denique re ad pœnitentiam, vitamque devo-
tam permoveatur*) miserâm verò, si in talem incideret, pessi-
mè enim ipsi in mortis articulo fuerit, dum in barathrum
etiam desperationis est prolapsura. *Cor durum malè habebit
in novissimo.* Eccl. 3.

IV.

Consideret veritatem à Christo Discipulis suis inculca-
tam. *De mundo non estis.* Joan. 15. Religiosus vi professionis
suæ renuntiavit vitæ mundanæ, quæ non dirigitur à dicta-
minibus Spiritualibus, neque contendit eluctari ad vir-
tutem ac perfectionem Evangelicam, verùm vanitati tan-
tùm inhiat. Cogitet itaque, quod sibi tanquam extra mun-
dum collocatæ, non conveniant quædam in mundo usita-
ta; cujusmodi sunt luxus vestium, libertas in conversando
cum quolibet & ubivis, sive in locis publicis, sive in occul-
tis, cùm enim non sit de mundo, nec actiones ipsius debent
esse mundanæ: unde non quidquid est licitum seculari,
continuò licitum est Religioso. Inter Christi Discipulos
aliquando *facta est contentio, quis eorum videretur esse major*, Luc.
22. Et reposuit iis Dominus, hunc Spiritum esse munda-
num. *Dixit autem eis; Reges gentium dominantur eorum, & qui*

poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur: vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor. Videat an affectet præeminentiam : an ad rationes ſuas adducat motiva ſecularia ſciatque : *quòd arma malitiæ noſtræ carnalia non ſunt, ſed potentia Dei ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.* 2. Cor. 10. *Videat* an nimiùm conſanguineis contra illam Davidis ad Religioſos exhortationem adhæreat. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum & domum Patris tui.* Pſal. 44. *Videat* denique, an fructum debitum conetur percipere ex magno illo eductionis è mundo beneficio, virtute cujus mille occaſionibus vindictam meditandi, ſumptus ſuperfluos faciendi, otio indulgendi, ſervitute magnâ liberatus eripitur, aut verò, an illud non curet, ſed faſtidiat, & ſic vitam mundanam affectando, tanti beneficii gratiam ſine fructu abire patiatur. O quæ amentia! *Nec Monachum feciſti, nec Senatorem habuiſti*: Unde ait Apoſtolorum Princeps : *Si enim refugientes coinquinationes mundi* (Religionem ingrediendo) *in cognitione Domini noſtri JEſu Chriſti, hic rurſum implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora pejora prioribus. Meliùs enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ quàm poſt cognitionem converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* 2. Petri 2.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Emendet in ſe, quod ipſi diſplicet in alio : *Medice cura te ipſum.* Luc. 2.

II. Illud, quod à Deo datum accepimus, ad aliorum etiam ſalutem impendamus : *Debemus nos firmiores imbecilliores ſuſtinere & non nobis placere.* ad Rom. 5. Quare qui præ aliis pollet judicio, utatur eo in bonum illius, cui illud deficit: qui præcellit virtute, utatur in bonum illius, qui eâdem caret.

III. Scientiæ à Deo acceptæ conformiter agere. *Qui vides multa, nonne cuſtodies?* Iſa. 42. v. 20.

IV. Sæpius mundanæ vanitatis reminiſci ſatagat, ne ei in Religione adhæreat. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccl. 1.

Hodie tria præſta. *Primo.* Vade ad ſuperiorem, cumque roga, ut de defectibus tuis te admoneat. *Secundo.* Accede Patrem Spiritualem, redde ei rationem conſcientiæ, & pete ab illo dirigi in Spiritu. *Tertio* confer te ad eos, adversùm quos charitatem violâſſe, aut quos mali exempli ſcandalo oſtendiſſe te nôſti, & genibus etiam flexis pete tibi condonari. Quid enim illud facere vetet?

PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO

Pro Die Sexto.

JEſus ad ætatem jam adultam pervectus Specialium quarundam virtutum exempla reliquit; ad quæ Perſonam Religioſam reflectere conveniet. Itaque

I.

Conſideret. Quòd JEſus in mundum venerit victurus in communitate, & communes cæteris hominibus adverſitates toleraturus, & ipſe præſtantior omnibus quantùm ad immunitatem à culpa omni, etiam leviſſima. *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* ad Hebr. 7. En ſanctitatem ipſius nullâ culpâ obſcuratam: *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret peccata populi: in eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt eis, qui tentantur auxiliari.* ad Hebr. 2. *Habemus Potnificem* (Perſonam excellentiſſimam omnium, quotquot fuerunt, & tamen) *tentatum per omnia* (omnes vitæ humanæ calamitates expertum) *pro ſimilitudine* (ut mortalibus ſimilem ſe exhiberet) *absque peccato*, cujus culpæ obnoxius eſſe noluit: Quare omnes vitæ humanæ incommoditates amplexus fuit, utque eas haberet, elegit vitam pauperem, quia paupertas plures earum ſecum trahit. Laboravit, ſudavit, jejunavit, circuivit: famem, ſitim, calorem, frigus pertulit. Et initium ab eo faciens (quod Religioſum ſæpe tam malè habet) à ſubjectione erga Superiores, triginta annis vitam privatam & incognitam degit, neque enim aliud de illo memoriæ proditum, quàm quòd ſubditus fuerit Mariæ & Joſepho: *erat ſubditus illis.* Huic Filii Dei exemplo, qui è triginta tribus annis, triennium tantûm prædicationi, triginta verò annos obedientiæ erga duas Perſonas impendit, ſuam componat vitam Religioſus. *Videat* an vitam ſoleat perfectè communem cæteris vivere, atque itaque *per omnia ſimilari* FRATRIBUS: aut verò an eligat diſparitatem in victu & veſtitu, ſi non quoad ſubſtantiam, ſaltem quoad accidentia. *Videat* an fortè nolens participare de aliorum oneribus, nimium tamen participet de eorum defectibus? *Videat* an dum differt ab aliis in talentis, ſit tamen par aliis negligentiâ in Divino ſervitio, transgreſſione Regularum, neglectu ædificationis &c. JEſus dulcedinem peccati (quan-

 quam

quam ab aliis tantopere adamatam, fugit, quod denotatur per illa Apostoli verba, *Segregatus à peccatoribus*) voluit tamen amaritudinem pœnæ. *Videat* Perf. Relig. quomodo eum imitetur.

II.

Consideret. Quòd JEsus præter molestias, incommoditates & ærumnas humano generi communes, particulares sibi assumpserit, per electionem austeritatis voluntariæ. Ingrediamur desertum, & videbimus macerantem se quadraginta dierum jejunio, præter plurimas alias corporis afflictationes, quibus exhaustus quinquagenarium agere judicatus fuit, uti ex illis sacri Historici verbis potest colligi, *quinquaginta annos nondum habes*, cùm trigesimum recenter absolvisset. Perf. Relig. claustrum ad pœnitentiam de peccatis suis peragendam ingressa *videat* an eam verè obeat, & quantam. *Videat* an majoribus fruatur commoditatibus, majoresve quærat, quàm in seculo potuisset obtinere? *Videat* an pœnitentias in Religione præscriptas, aut à confessario ordinatas exequatur? *Videat* an loco mortificationis carnem Deo ac Spiritui toties rebellem mollitè tractet? *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, dicebat Apostolus 1. ad Cor. 9. *Videat* quoties adhibeat Disciplinam, cilicium, jejunium.

III.

Consideret universale suffragium populi, Christum prædicantis, quod in omnibus suis actionibus fuerit excellens: *Bene omnia fecit* Marci 6. Nec de veritate ambigendi locus: agebat enim cum intimo sibi omnis excellentissimi bonitatis principio, quale erat ipsa Divini verbi Persona humanitati ipsius unita. *Videat* Perf. Relig. an in quotidianis atque ordinariis suis actionibus huic se exemplo studeat conformare. *Videat*, quantâ cum accuratione id, quod ab obedientia imponitur, ut juxta Religionis intentionem exactè fiat, perficere conetur. *Examinet*, an observet praxes illas ac ordinationes, quas particulari cuivis officio Religio præscribit. Non est mens Religionis, ut pro suo arbitrio ac voluntate quivis oret, studeat, doceat, prædicet, laboret, aut se recreet: vult omnia fieri juxta ordinem à ipsa præscriptam. *Videat*, an illud servet: *omnia honestè* (juxta communem cujusvis virtutis naturam) *& secundum ordinem* (juxta particulares statuti, cujus membrum est, regulas

las) *fiant in vobis.* 1. ad Cor.14. An facilior possit methodus atque exactior manuductio Personæ Religiosæ præscribi ad hoc, ut omnis illius actio etiam minima coram Deo & hominibus perfecta evadat? *Videat*, an hanc regulam, an verò voluntatem propriam in actionibus suis prævalere velit. *Omnia honestè secundùm ordinem fiant.*

IV.

Consideret quod licèt Christi opera perfectissima universalem omnium plausum olim obtinuerint, ipse tamen omnium approbationem non quæsiverit In duas enim factiones ac judicia de vita illius ac moribus populus divisus erat. Pars actiones illius bene interpretata ad cælum usque ipsum extollebat, eumque sanctum proclamabat, pars malè de illo arbitrata ad infernum usque, seductorem ipsum calumniata deprimebat. *Murmur multum erat in turba de eo quidam enim dicebant, quia bonus est; alii autem dicebant, non; sed seducit turbas.* Joan. 7. JEsus autem nullâ habitâ diversarum de se opinionum ratione, semper bene ad gloriam Patris sui operabatur. *Consideret* Pers. Relig. an eò devenerit amentiæ, ut velit, speretque posse omnibus placendo, omnium approbationem occupare? Quàm infelix foret ita sentiendo? examinet, an actionem bonam omittat, eò quòd cuidam non placeat. *Sciat*, quòd nunquam quieta sit futura, si aliam actionibus suis Regulam, præterquam obedientiam erga eum, quem Deus ipsi Superiorem proposuit, statuat. Hujus dum approbationem obtinuerit, secura sit, quòd bene fecerit, Deoque placeat: probabitur etiam à sapientibus, quoniam operata est juxta directionem assignati à Deo capitis. Sectari omnium satisfactionem, est venari Chimæram, non tam propter judiciorum, geniorum, affectuumque diversitatem, quàm quòd ipsa actio bene facta nunquam tam numeris omnibus absoluta futura sit, ut non æstimanda sit laborare aliquo defectu, propter quem contemni mereatur, JEsus verè *omnia bene faciebat*: nihilominus tamen pro nostra instructione submisit se censuræ non solùm illius, qui non approbabat, sed & illius, qui reprobabat, ac condemnabat. Veritas hæc Religiosi attentionem, quomodo huic conformiter egerit, meretur. Peractis his considerationibus, cordi studeat sequentes Regulas imprimere.

REGU-

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Non affectare in communitate (*etiam dum optimè egerit*) omnium approbationem. Quemadmodum enim Rebecca in utero gestando binos infantes Esau & Jacobum, populos duos diversorum inter se judiciorum, geniorum & affectuum gestavit. *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex tuo ventre* DIVIDENTUR. Gen. 25. Ita in communitatibus, una pars ità sentit, alia aliter, & sæpe omnino opposita sentit.

II. Etiam in rebus absolutè bonis, quarum nonnisi laus ab omnibus expectanda foret. *Cùm audissent resurrectionem mortuorum* (articulum tam indubitatum, tam sanctum à Paulo propositum) *quidam irridebant, quidam crediderunt.* Act. 17.

III. Nolit sibi omnia tribui. In communitate cuivis aliquid debetur: *In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non unum actum habent.* Ad Rom. 12.

IV. Omnem crucem (id est omnem afflictionem, undecunque adveniat) libenter amplecti. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Lucæ 9. Si crucem meruimus, erit crux unius è duobus latronibus: *nos quidem justè, nam digna factis recipimus*: si non meruimus, erit crux Christi. Omnia in eo sunt posita, ut crux patiente, & non invito animo feratur.

Hodie tria peto commendata. *Primo* ut reculas tuas, quas habes, ad usum, superfluas discutias: utque Christi paupertatem imiteris, illis te spolies, & ad superiorem eas perferas. *Secundò* si tibi visus fueris habere exemptionem aliquàm à communitate, superiori illam manifestes, ut ille dicat tibi, an abdicare, an retinere eam conveniat. *Tertiò* si inveneris ab actu aliquo pœnitentiæ te aliquamdiu abstinuisse, aut devotionem aliquam, aut suffragium pro animabus in purgatorio &c. Omisisse, illa resumas.



PRO

PRO DIE SEPTIMO.

Pro matutino tempore.

OStendit JEsus Magdalenam Pharisæo, qui, ut ita loquar, referebat Religiosum aliquem illius temporis, ad ipsum confundendum; commonstransque quantus in rebus ipse, qui domesticum suum & familiarem se profitetur, defecisset, in quibus tamen Magdalena, quamquam mulier mala & extranea erga personam ipsius se laudabilem præstitisset, dicebat illi: *vides hanc mulierem?* attende, & videbis quantum mihi humanitatem exhibuerit. Quare subintulit: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem Lacrymis suis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos.* Luc. 7. Qui actus omnes erant externæ pietatis, verùm ab internâ sanctæ pœnitentiæ devotione profecti. Itaque.

I. Consideret Pers. Relig. quæ sit externa ipsius devotio, quomodo utatur operibus humilitatis, qualia in omni Religione pro ædificatione aliorum, proque utentis profectû in Spiritu, usitatæ sunt. *Videat* an aliquando ex eorum numero fuerit, qui & ea in seipsis negligunt, & contemnunt in aliis, dicendo quòd INTERNA sufficiant, quodque externa illa exponant periculo Hypocrisis. *Videat* quomodo Christus non acquieverit internis, externa etiam commendans, dum dixit: *Luceat lux vestra*: non satìs illi fuit, quòd in ipsis Apostolis lux esset, voluit illam pro utilitate aliorum resplendere. Ad hoc conducit externa devotio, cujus ferè non est ullus sanctorum, maximè Religiosorum, qui non reliquerit illustre aliquod exemplum. Atque ità in communitatibus Religiosis usus obtinet, ut accusent se publicè de transgressionibus Regularum, ut terram osculentur, alter ad alterius se pedes abjiciat &c. *Videat* Pers. Relig. quomodo & quantum se exerceat in hisce ædificationis operibus. Servator noster priusquam sacram cœnam institueret, ad pedes Discipulorum se prostravit, eosque lavit, ac deinde ait: *exemplum dedi vobis ut, quemadmodum ego feci, ità* (cum sim nempe devotione, humilitate, modestiâ, ac pietate) *& vos faciatis.* Legatur caput 13. Joannis, in quo nobilis hic actus describitur.

II. *Consideret* an cum justa suî confusione permiserit se aliquando vinci à secularibus in actibus pietatis, quam profitetur ordo Religiosus. Christus satis declaravit Phari-

 sæum

sæum vinci hâc in parte à Magdalena muliere aut vanâ, aut secundùm aliquos etiam scelerata. *Videat* Perſ. Relig. an ſinat ſe vinci à reſpectibus humanis, timore contemptûs &c. Quæ omnia ſuperavit Magdalena. Deſcendat ad caſus particulares, & *videat* quàm parati ſerviant in noſocomiis ſeculares etiam nobiles, pro pauperibus palàm corrogent eleemoſynas, frequentent congregationes pœnitentium atque illic ſe accuſent, & correctionem defectuum ſuorum auſcultent. *Videat* quàm devotè compareant in publicis proceſſionibus, viſantque carceres: quantam in templi modeſtiam præ ſe ferant: quâ charitate pauperes in Ecclesiis doctrinâ Chriſtianâ inſtituant &c. Quid ergo dicemus, ſi Perſ. Relig. hujuſmodi opera omittat ex rubore ne appareat, ut quidem ipſa loquitur, ſingularis ac nimiùm ſancta? Reflectat ad hæc ſeriò atque erubeſcat, ſecularem reperiri magìs generoſum, quàm ſit ipſe Religioſus.

III. *Conſideret* an ſecularem aliquē viderit eminere in actu aliquo heroico, cujuſmodi ipſe nunquam exercuerit. Talem ſe Magdalena præſtitit in illis omnibus, quæ in convivio Chriſto præſente fecit, cujuſmodi nihil fecit Phariſæus. Quàm indignum foret, ſi Perſ. Relig. tot annis in Domo Dei EDUCATA invita eſſet ad præſtandum actum aliquem HEROICUM per generoſam victoriam ſuî ipſius in parva quâdam reculâ quæ eam retinet, quo minùs ſe totam Deo tribuat? Magdalena in præmium illius, quod fecit, gratioſam de ore Chriſti peccatorum remiſſionem percepit, dum ait: *Remittuntur ei peccata multa*; & generoſa ipſius reſolutio in abdicatione creaturarum, quarum amore erat implicita, æſtimata fuit tanquam effectus amoris illius, quo ad Chriſtum convertebatur. *Quoniam dilexit multùm*. *Videat* itaque Perſ. Relig. quæ ſit cauſa, quòd non exhibeat amorem Chriſto per victoriam ſuî, & cur fugiat mundo præbere ſpecimen amoris in illum, à quo tot beneficia recepit. Comparet actus ſuos ſpecialis virtutis, in quibus ſibi videtur magis excellere cum fervore noti ſibi alicujus devoti hominis ſecularis, & illo forſan ſe magis ſocordem deprehendet. Revocet in memoriam factum aliquod ſancti alicujus, aut ſanctæ ordinis ſui: aut Perſonæ Religioſæ cui cohabitat: Et inveniet, quòd iſti cum auxilio divino magnos adverſarios, magnas tentationes per actus heroicos ac generoſos ſuperârint. Poterit & ipſe idem. *Cogitet* quid in ætate adhuc debiliore, nondum tanto à Deo lumine illuſtratus, mundo nondum abdicato fecerit, & inter in medio mundo poſitus majores habuit animos, & am-

plio

liora deſeruit; dum modò parvum aliquid timet relin-
juere. *Rememoramini*, ait Paulus, *priſtinos dies, in quibus illumi-*
nati magnum certamen ſuſtinuiſtis PASSIONUM (omnes paſ-
iones inſurrexeruntin eum, qui in ætate juvenili mundo
erat renuntiaturus, deſerto patre, matre, commoditatibus,
favoribus, LIBERTATE) *& in altero quidem opprobriis, & tri-*
bulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocii taliter converſan-
tium effecti ad Hebr. 10. legat pulcherrimum illud capitulum
& *examinet*, unde oriatur præſens illa ignavia? equidem
exiſtimo illam ortum ducere ex defectu RESOLUTIO-
NIS, dum volumus & non volumus: *vult & non vult piger*,
Proverb. 13. Reſolutio itaque capienda eſt: dicendumque:
ego dixi, nunc cœpi. Pſal. 76. NUNC hâc horâ, & non poſt
paululum Soror Bonaventura Religioſa monaſterii Romæ
dicti in turri ad ſpeculum, Virgo magnorum talentorum,
ſed in vanitates primum effuſa, primo die Exercitiorum
Spiritualium (quæ quaſi joci cauſa, aut coacta ſubiverat)
eo fuit fervore accenſa, ut diceret, quòd ſancta vel-
let evadere, idque quam primum: Dictumque imple-
vit, etenim in fine noni à vitæ ſuæ mutatione menſis, mor-
tua eſt relictis magnæ ſanctitatis ſignis. Quid non fecit
actus unus Heroicus: Reſolvit: & uno quaſi ictu omnes
nodos diſſolvit: renuntiavit familiaritatibus, abdicavit
converſationes: cubiculum ſuum vanitatulis expoliavit,
terrenum rupit commercium, & peractâ generali confeſ-
ſione illico vitam cœpit ducere exemplarem. Et tu fac ſi-
militer, mi Religioſe, tempusque perditum recuperabis, &
ſanctus evades.

IV. *Conſideret* an difficultas reſolutionis ſuæ fortè naſcatur
ex exemplis eorũ, quibus cohabitat, in quibus nullos actus
HEROICOS videat. Quod ſi his abſterretur. Perſ. Rel *Videat*
parem fuiſſe fortem Magdalenæ. Nec illa exemplum habe-
bat à tot ejuſdem ſecum conditionis mulieribus, neque à
totidem Religioſis (ſic liceat appellare Phariſæos) in convi-
vio unà accumbentibus, non enim ulli eorum præmemo-
ratâ erga Jeſum humanitate uſi fuerunt. Non hi erant ipſi
regula: generosè egit, nullo etiam prævio exemplo. Quid
porrò? Provocavit ipſa circumſtantium nonnullorum ad-
versùs ſe indignationem, qui ſub virtutis ſpecie virtutem
calumniabantur: *Erant autem quidam indignè ferentes intra ſe-*
metipſos & dicentes: ut quid perditio iſta unguenti facta eſt? poterat
enim unguentum iſtud venundari, & dari pauperibus. Quæ verba
ſpargebant Apoſtoli quidam id temporis imperfecti. Marc.
14. Interea illam Chriſtus defendit, in favorem illius lo-

quens: *Sinite eam, ut quid illi molesti estis! bonum opus operata est.* Non itaque curet Relig. Pers. cæteros, verùm potiùs sibi dicat. & cur illud intermittam, quod dum facio cum consensu illius, qui vices Dei administrat, gloriam conferam Deo, ædificationem proximo, meritum animæ meæ? quid refert idem non fieri modò ab alio, si factum aliàs laudabiliter, sique à pluribus idem fit hodiedum? cur imperfectorum potiùs velim sequi exempla quàm proborum. *Æmulamini charismata meliora,* EXCELLENTIOREM VIAM *vobis demonstro,* 1. ad Cor. 12. Verùm inquit, molesti mihi erunt cæteri, me deridebunt, fugient conversationem meam *absque Synagogis facient.* Joan. 16. Quid refert? JESUS gratiosum tibi verbum loquetur. *Bonum opus operata est.* Ædificatio accedet sociis etiam tacentibus: *repleta est domus ex odore unguenti.* Ità Magdalenæ factum celebrat Evangelista.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Studiosum esse ædificationis. *Omnia ad ædificationem fiant.* 1. ad Corinth. 14.

II. Nolle impedire, quin potiùs adjuvare volentem bene agere. *Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi.* Isai. 57. Utinam id omnes facerent, maximeque illi, qui in aliquo genere eminent!

III. Non timeat palàm bene agere, ideoque non sequatur Nicodemum. Qui *Discipulus JEsu, occultus tamen propter metum Judæorum.* Joan. 19. Sed potiùs generosum illum Josephum ab Arimathæa, *qui nobilis decurio* AUDACTER *introivit ad Pilatum, & petiit corpus JEsu.* Marci 15.

IV. Virtutem suam suspectam habeat, dum non audet palàm amore Dei comparare. *Si terrena dixi vobis* (res faciles, qualia sunt illa exteriora) *quomodo si dixero vobis cælestia* (si ad interiora vincenda vos fuero adhortatus) *credetis?* Joan. 3.

Tria hodie præstabis. *Primò* petes à Deo gratiam actum aliquem heroïcum faciendi. *Secundò* talem actum propones circa illud, quod hucusque tibi difficile occurrit. *Tertiò* Sacram Eucharistiam sumes ad obtinendam gratiam propositum tuum hâc etiam die exequendi, aut saltem cùm proxima illius se occasio obtulerit.

PRO TEMPORE POMERIDIANO DIEI SEPTIMÆ.

Curet fructum capere ex lapsu Judæ, qui cum sub Christi magisterio Apostolici esset collegii alumnus, tam fœdè prævaricatus exemplum justi timoris iis reliquit, qui in ordine sanctissimo degunt, dum dejectere ad Apostasiam etiam potest, qui in eodem malè vivendo divinam adversùs se iram provocat. Quare

I. Consideret an vocatio sua, vestisque Religiosa tam sibi cara sit, ut quantum est in ipso (per auxilium Divinum) sit dispositus renuntiare cuivis rei sibi placitæ, & quidvis adversi tolerare, ne ejusdem faciat jacturam. Miser foret, si tanti saltem eam non faceret, ut amore vitæ eam vellet conservare. Verum quia nimis quàm verum est, quod multi cum summa Dei illos vocantis injuria deficiant ab ordine, qui eos paternè suscepit, & ad quem admitti tam ardenter expetierunt, suadeo, ut Pers. Relig. magnum illum rerum terribilium catalogum sibi ob oculos ponat, quem oculis suis subjecit Sanctus Paulus ad despiciendum, si quæ res à Religionis studio ipsum posset dimovere. Itaque se ipsum allocutus hoc modo fuit: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius! sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die*: ac deinde ad se, & ad supradicta reflectens generosè respondit, quòd suus erga Jesum amor horum omnium timorem sibi eximeret, ideoque certus foret, quod ab illo corroboratus per creaturam nullam à Jesu latere esset abstrahendus. *In his omnibus superamus PROPTER EUM qui dilexit nos. CERTUS sum enim, quia neque MORS, neque VITA, neque ANGELI, neque PRINCIPATUS, neque VIRTUTES, neque INSTANTIA, neque FUTURA, neque FORTITUDO, neque ALTITUDO, neque PROFUNDUM, neque CREATURA alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* ad Rom. 9. Sistat hic Pers. Relig. in qualibet rerum memoratarum, seque interroget an Religionem vellet deserere, si quo ex his capitibus foret impetenda? Dein se ipsam ingrediatur, consideret, quàm vilia sint; quibus affligitur ac turbatur; & jam Catalogum S. Pauli seponat: aliumque è meris quisquiliis compositum sibi conficiat, dicatque sibi: an ego Religioni velim nuntium remittere, si talis mihi gradus esset negandus: si in hoc mihi loco non permittenda habitatio: si hæc mihi mortificatio obventura, si talis mihi pœnitentia imponenda? quòd si in hujusmodi occasionibus se vacillaturum crederet, confundat

se ipsum, gratiamque dein constantiæ à Deo expetat: postea consideret, quod si tantùm sibi fortitudinis deesse advertat, illud fortè proveniat ex defectu solidarum virtutum, in quibus se exercere neglexit. Dum autem hæ defecerint, ô quot prætextus invenientur ad palliandam inconstantiam suam in eo vitæ genere, ad quod Deus ipsum vocavit. Dicet passum se esse persecutiones, invidiâ odiisque fuisse agitatum. Finget etiam, non floruisse in ordine suo observantiam Disciplinæ, studium Religiositatis, Spiritûs fervorem: prætendet Professionem suam non fuisse validam: non invenisse se illud in Religione, quod ipsi persuasum fuerat &c. Qui enim rumpere cogitat amicitiam, coloratas facilè causas invenit: *occasiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Prov. 18. Dum interim vera inconstantiæ causa est fastidium vitæ, qualem oporteret ducere, & horror usitatæ in Religione mortificationis.

II. *Consideret*, utrùm aliquem eorum defectuum in se reperiat, propter quem novit hunc aut illum ab ordine suo descivisse. Omnis Religio casus habet proprios, adversùs quos qui offendit, aut dimittitur, aut deserit. Quidam Ordines Religiosi perfectam requirunt paupertatem, alii exactam obedientiam, angelicam, ut ita loquar, castitatem alii. *Videat* Pers. Relig. quid sit, quòd maximè requirit instituti sui proprii ratio; *Videat* an contra illud delinquat. Quòd si ream se deprehendit, aperiat oculos, nec minorem defectum esse dicat, quàm ut propterea vestis Religiosæ perdendæ periculum incurratur. Sensim enim sine sensu malum crescit, ut fiat intolerabile. *Reflectat* porrò ad signa aliqua à Spiritu sancto dictata, & omni ordini Religioso communia, unde quivis colligere potest, an sit perseveraturus, aut futurus inconstans. Homo APOSTATA (Religionis desertor) *Vir inutilis: graditur ore perverso: annuit oculis terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum: & omni tempore jurgia seminat. HUIC EXTEMPLO veniet PERDITIO sua, nec habebit ultrà medicinam.* Prov. 6. percurrat singula puncta. *Videat* an sit *VIR INUTILIS*, persona, quæ se præbeat inutilem ad Religioni serviendum in illo, quod maximè ipsi efflagitat, estque vitæ integritas. *Videat* an *GRADIATUR ore perverso* in vita & moribus præferens duplicitatem, aliud ore aliud corde versans: *videat* an *ANNUAT OCULIS*, ipsis oculis signa prodendo (valet enim voces inter homines oculus) quòd habeat animum malè ordinatum. *Videat* an *TERAT PEDE* iram, ac furorem motu corporis effundendo. *Videat* an *DIGITO LOQUATUR*, ineptias mundanas d

gitis manibusque repræsentans. *Videat* an CORDE PRAVO MACHINETUR MALUM deliberato animo, & non casu, sed de proposito contra Religiositatem peccando. *Videat an omni tempore* JURGIA SEMINET datâ qualibet occasione seminando Zizania, discordias ac suspiciones superiorem inter & subditos excitando: collidendo amicos atq; æquales per malignas actionum interpretationes &c. *videat* pariter an in se deprehendat signum illud magis universale hominis Religionem deserturi, & à Spiritu sancto revelatum; estque intermissio exercitiorum, quæ immediatè spectant cultum, & honorem Dei. *Initium superbiæ hominis* (id est principium peccati, quod consistit in excussione jugi, sive observantiæ Divinæ legis, in detrectatione obedientiæ erga Deum) *apostatare à Deo*, procedit illud à neglectu orationis & conversationis cum Deo. Manifestum enim est, cor illius, qui cum Deo non agit, in ipsum non tendere, ipsum non amare. *Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus.* Eccl.10. *Videat* an ex hac parte deficiat: neque dicat, se sæpius in hoc defecisse, neque propterea tamen tentatione ordinem deserendi se fuisse pulsatum: non ideo salva res est: vera sunt Dei effata: pœna insequetur. *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi triste accidit? altissimus enim est patiens redditor*, Eccl.5. tempore suo ulcus aperietur.

III. *Consideret* an aliquando Judam perverso erga pecuniã amore insciis superioribus quidquam possidendi affectu fuerit imitatus. De Juda constat, quod fur fuerit, & pecuniæ inescatus amore: *fur erat, & loculos habens*: itaque ab avaritiâ ad Jesum tradendum abstractus fuit. *Videat* Pers.Relig. an in hac parte sit inculpabilis tam in amore, quàm in retentione pecuniæ sine licentia superioris. Quòd si rea est, habet quod gravia incumbentia sibi mala metuat, dicit enim sapiens: *nihil est iniquius quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua projecit intima sua.* Eccles.10. Hinc nominatim seducetur ad fraudes, duplicitatem, & falsitates excogitandas. Imò ad perdendum etiam illos, qui familiariter ipso sub prætextu amoris utuntur. *Examinet* se an munera offerat sine licentia his, à quibus aliquid sperat: an talibus, viles quasdam animas quærat inescare: an superiorem aliquem talibus ductilem quærat corrumpere: an particularia quædam sibi comparet: an spe lucelli finerit se abduci ad aliquid indecens committendum &c. Timeat secum circumferre pecuniam nisi ex officio, aut legitimâ causâ sit faciendum. Verba illa Eccl.c.10. *Pecuniæ obediunt omnia* meritò horrorem incutiant, avertant-

tantque ab hoc ministro iniquitatis gestando, eo in loco unde facilè evenire possit, ut *pecunia tua sit tecum in perditionem* Act. 8.

IV. *Consideret* an sicut Judas recurrit ad Christi inimicos, mundique asseclas, ita & ipse à passione sua se sinat abduci, ut adversùm superiores & Disciplinam regularem secularium utatur auxilio. Horrendum facinus! *Væ* inquiebat Deus ad populum olim electum, *qui descendentes in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes & habentes fiduciam super quadrigis, qui multa sunt & super EQUITIBUS quia prævalidi nimis.* Isai. 31. Talia facientem detestatur Deus, & graves illis minas intentat. *Super quem habes fiduciam, quia recessisti à me? ecce confidis super baculum arundineum confractum super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in majus ejus, & PERFORABIT eam* Isai. 63. Pernitiosus est talis recursus Religiosi: Judas experiens dolores, in quos conjectus fuerat ab iis, per quos proditionem suam compleverat, absque compassione repulsus fuit, dum dicebant. *Quid ad nos, tu videris.* Ita & Religiosus deseretur ab iis, ad quos sumpsit suum recursum.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Nunquam uti mediis à Religioso ordine prohibitis. *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per Spiritum meum.* Isai. 30.

II. His, quæ in Religione & per ipsam acquisivimus, nunquam uti ad creandum ipsi fastidium: *Fili mi, miserere mei quia te in utero novem mensibus* (imò diutius in Novitiatu) *portavi, & lac triennio* (diutius etiam instillando scientias) *dedi, & alui te educando, & in ætatem istam perduxi.* 2. Machab. 7. ℣. 27.

III. Timeat sibi à pecunia. *Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius PERDITIO illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium* (Religiosorum) Eccl. 31.

IV. Nunquam eâ utatur ad impetendos Dei Vicarios, sive superiores: *Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cùm audisset Dominus iratus est, & accensus est in eis ignis.* Num. 11.

Hodie fac tria. *Primò* pete rursus licentiam dandi & accipiendi res parvas. *Secundò* pecunias da superioribus. *Tertiò* renova formulam votorum, & protestare, quod adjuvante Dei gratiâ in statu Religioso perseverare velis non obstantibus tentationibus, quæ tibi advenient.

PRO

PRO DIE OCTAVO

PRO MATUTINO TEMPORE.

Hoc die, quo (verosimiliter) expenditur Passio Christi in genere, discenda quædam sunt Personæ Religiosæ utilia in dies singulos. Itaque

I.

Consideret quomodo, & quantum Jesus passus sit, passus autem est amplius quàm ullus mortalium, quamquam nulla suâ culpâ præviâ, unde Judex ipse Pilatus manus suas lavans manifestum illius perhibuit testimonium, dicens: *Nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusâstis.* Luc. 23. Imò dum Cruci mortis sententia, causaque affixa fuit, non aliud inscriptum fuit, quàm quod Christo gloriosum, scilicet: *Hic est Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Ita expressè Evangelista, postquam hæc altera verba præmiserat: *Erat titulus causæ ejus inscriptus:* quòd nempe esset REX JUDÆORUM, causa erat crucifixionis. Consideret hic attentè Pers. Relig. an aliquando tristetur, quia innocenter patiatur, atque inconsultas hasce querelas effundat. Non dolerem, si meruissem talem mortificationem: tacerem, si vera esset accusatio: affligor, quia me innocentem aggrediuntur, quia mihi fit injuria, passioni atque invidiæ alterius immolor. Quod si ita fecerit. Consideret opinionem suam, & videbit, quàm sit distorta; gloriosum enim est pati innocentem: pati sinè culpa: sic enim non POENA reo sed INJURIA infertur, quæ neminem magìs impetit, quàm virum justum & honestum; qui quò minùs alios injuriis afficit; hoc magìs illis lacessitur. Sed quid nocet? INJURIA residet in inferente. Pati ab eo, cui benefeceris, est effectus INGRATITUDINIS, hæc verò ingrato est probrosa, non benefactori. Pati ob alterius livorem, est effectus INVIDIÆ, atque hæc dehonestat, non illum, cui invidetur, sed eum, qui invidet. Pati propter hoc ipsum, quod præmio afficiendum fuerat, manifestat INJUSTITIAM illius, qui suo defuit officio, minimè verò illius est macula, qui subjacet injuriæ. *Videat* (sed attentè & seriò) an non verissima sit hæc Doctrina. Gloriæ fuit Christo crudeliter esse tractatum non ob sua demerita, neque ob fines terrenos, sed propter Dei honorem, salutemque animarum, idque innocenter.

II.

Consideret, quòd JESUS in Passione sua voluerit deseri ab intimis suis amicis: ut discerent homines veritatem parùm aliàs intellectam, parum nempe innitendum esse hominum amicitiæ, qui si non ex malitia, ex inconstantia saltem, in maximis necessitatibus alterutrum deserunt. *Consideret*, quantum tribuat amicis, ac amicitiis, dumque adverterit, quòd subinde suo minùs fungantur officio, non videatur hoc ipsi insolitum: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Jerem. 17. à Christo, dum capiebatur, fugerunt: *Omnes relicto eo, fugerunt.* Petrus non habebat animos ut coram ancilla profiteretur se esse de ipsius disciplina sed ipsum negavit tribus vicibus, etsi priùs promisisset quòd vitam pro ipso esset expositurus: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Doctrina, quam JEsus hinc elicere voluit, fuit, non quod amicitiæ ex orbe essent proscribendæ, verùm quòd non essent tanti faciendæ, ut earum causâ animæ nocumentum aliquando Deum offendendo inferremus: siquidem sæpe in necessitate maximè gravi desistant, ut in ipso patuit: & quia amici ipsius fuerunt imperfecti (quales quidem elegit pro nostra instructione, & ut eos sanctos redderet) voluit nos docere, quâ ratione amicitiæ non fundatæ in virtute sint inconstantes. *Fatuo non eris amicus*: ait Spiritus Sanctus Eccl. 20. Et quis amentior illo, qui Dei est inimicus, qui Deum irritat, & qui propriæ infestus est animæ?

III.

Consideret, quòd nemo fuerit, qui pro Christo in Passione sua loqueretur. *Videat*, Religiosus, an quandoque, patronis se destitutum videns, affligatur, ac lamentetur, dicens: heu me! nemo pro me loquitur, nemo mihi assistit, nemo de innocentia mea testatur; nemo me defendit. *Videat* pro consolatione sua, quòd JESUS torrentem hunc tranaverit: fuit accusatus, ad judicium pertractus, impugnatus, sententiæ subjectus, condemnatus, & nemo verbum pro eo propulit. Christus ipse, qui præ omnibus loqui noverat, sibique potentissimus esse poterat Advocatus coram tribunalibus tacuit. Consideret Pers. Relig. an ad levissimas suî accusationes fortè etiam justas taceat, aut po

potiùs non solùm loquatur, disputet, clamet, sed urgeat etiam, ut in forma sententiæ procedatur, ne pilo quodam gravetur. O animum parum commodorum suorum intelligentem! pro fidei defensione clavæ ictui collum suppositurus videtur, ad martyrium paratus: eccur ergo parvæ injuriæ optat subduci? an JESUM damnat, quod tot mala volens susceperit, dum ea potuisset effugere? ô Religiose, noli perdere occasionem plurimum merendi, neve eam perdas, considera diligenter nobiles has veritates ex actione & Passione Christi deductas.

IV.

Consideret, quibuscum JESUS fuerit in Passione comparatus. *Primò*, comparatus fuit Barabbæ, illique etiam postpositus. *Secundò*, non fuit illi concessum privilegium illud condemnatis ad flagellationem commune, ne scilicet modus plagarum excederet meritum flagellati: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*, & dum aliis non ultra quadraginta ictus infligi solebant, aliquot eorum millia Christo impacta fuerunt. *Tertiò*, tanquam latro eductus, in medio duorum latronum crucifixus fuit: ut illis comparatus, eisdem pejor esse judicaretur, vitáque magis indignus quàm isti, esse crederetur. Verùm quid ad tam probrosas suî comparationes dixit? nihil. Hic intret Pers. Relig. in se ipsam. Et *videat*, an ad illas (quæ non possunt non esse in Ordine Religioso) prælationes fremat, dum sibi præferri videt, quem æstimat indignum, aut dum postponitur inferiori se; videat, an domum turbet, omnia susque déque vertat: & proh pudor! quare illud? propter negatum sibi gradum, propter occupationem, officiumque alteri collatum, quod de se fortè magìs tetricum, difficilè, aut etiam damnosum, desideratum verò ideo, quia fuco alicujus vanitatis tinctum est. Hic lapis est, ad quem Religiosus propè quotidie potest offendere. Verùm si amans est pacis, si sapienter optat agere, & vitare scandalum, Deique offensam, JESUM imitetur, nec talia curet. Caveat maximè, ne in querelas, quibus se ipsum implicet, linguam effundat.

Peractis hisce Considerationibus reflectat ad Regulas sequentes.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Gaudeat, si patiatur iniquè: *Innocens in lacum missus sum.* Genel. 40. Hæc vera fuit Josepho gloria, quòd innocens foret conjectus in carcerem.

II. Etiamsi id accidat ex invidia, & inde triumphet adversarius, qui injuriæ author fuit, ac stropham composuit. *Sciebat, quòd per invidiam tradidissent eum*: Ita judicavit de Christo Pilatus, id, quod ipsi maximo fuit honori. Matth. 27.

III Maximè si pro obsequio Dei passus fuerit: & propter zelum animarum *opprobria exprobrantium TIBI* (Deo) *ceciderunt super me.* Ita nomine Christi Propheta ait Ps. 68. Itemque pro salute animarum: *Vulneratus est propter iniquitates nostras.* Isai. 53.

IV. Consoletur se, si postponatur, & ignominiosè tractetur, non enim illud est signum universale meriti aut demeriti. *Vide positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum: vidi servos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi servos.* Eccles. 10. Quivis in se subsistit. Externa non adjiciunt pugillum. Barabbas fuit latro. JESUS autem Rex cœli & terræ, quanquam alter fuerit præpositus.

Hoc manè præsta tria. *Primò*, si te putas procurâsse tibi aliquid, quod tibi bene arrideat, onus autem artificiosè in alterum derivâris, conare consilium istud disturbare modo illo, quem tibi charitas suggeret, & desiderium sequendi monitum Christi: *Recumbe in novissimo loco.* *Secundò*, offer te Superiori, ut de persona tua disponat etiam in iis, quæ ab aliis essent repudianda. O nobilem actum, dignumque animâ Christum imitandi studiosa. *Tertiò*, si sciveris aut videris, quòd officio suo quis malè sit contentus, aut aliunde afflictus, offer te paratum ad illum, si potueris, adjuvandum, aut etiam, si fuerit licitum, onus pro ipso amplectere. *Alter alterius onera portate.* ad Galat. 6.

* * * *
* * *
* *
*

PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO
PRO OCTAVO DIE.

Suadeo, ut hac Considerationis hora Crucifixum in manus sumas, eum in finem, ut frequenter oculos in eum conjicere valeas, aut te saltem statuas ante aliquam ipsius imaginem. Itaque in hac forma dispositus Religiosus.

I. Consideret. Quòd Religionem ingressus statuerit juxta exemplum S. Pauli in se exprimere vitam Crucifixi: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* In illius ingressu figuravit sibi in monasterio montem Calvariæ, in Regularum observantia Crucem, in tribus votis ternos clavos, in mortificatione carnifices, ut abnegando internas passiones animi, & externos corporis sensus mortificando, Christo interiùs & exterius excruciato se assimilaret. *Videat* itaque, an in religione montem Calvariæ, an verò in illa viridarium aliquod quærat. *Videat*, an de votis emissis tanquam de dolore clavorum doleat. An de paupertate non tantùm propter defectum rerum necessariarum, sed etiam propter carentiam superfluorum: de castitate, quoad pœnitentias corporales: de obedientia propter voluntatis propriæ subjectionem tristetur. *Videat*, an in se duo hæc unquam deprehenderit, *Primò*: quòd à Redemptore crucifixo participet cum proprio & temporali emolumento gloriam illam, ob quam à mundo honoratur, propter ornamenta illa, quæ dedit Religio, etiam propter solam vestem Ordinis. *Secundò*, an de asperitate Crucis Christi parum participet, aut quia Superiorum charitas de omnibus ipsi providet, aut quia sibi ipsi mille commoditatulas procurat, unde Christo dissimillimus evadat. O miserum Religiosum, qui se ac CRUCIFIXUM aspiciens, in veritate nequit dicere, quòd in corpore suo appareat Christi PASSIO. *Vita JESU manifestetur in corpore vestro*, 2. ad Cor. 4.

II. *Consideret*, an in se reperiat virtutum illarum aliquam, quæ magìs foris sunt perceptibiles, quæque coram facie orbis in Christo pendente ex ligno apparuerunt. Emicuit in ipso summa erga Deum atque humanum genus FIDELITAS. Deo se exhibuit HOLOCAUSTUM voluntarium (victimam, quæ tota consumpta fuit, ut nec particula intacta maneret) & talem se sacrificavit: totam enim se pro Dei honore sacra ipsius Humanitas impendit, victima tota devota Deo. Pro genere verò humano obtulit sese in Redemptorem promissumque tam perfectè servavit, ut redemptio non solùm fuerit sufficiens, sed etiam abun-

 dans.

dans. *Consideret* Perſ.Relig. an tota velit eſſe Dei, cui ſe totam dedicavit : an omnia diei opera,ipſius, & non ſuî amore faciat. O abyſſum confuſionis, in quam ſe meritò demergat! *Cogitet*, an quæſiverit magis SE IPSAM quàm Deum ? adhæc ſi ex inſtituto ſuo obligetur ad curandam ſalutem proximi, *Consideret*, quâ fidelitate hoc munus impleat? ipſe quidem ex vocatione ſua talis eſt,ut ipſo Religionem ingrediente ſæculares pariter ac peccatores dicerent: *Exſpectamus Salvatorem*,exſpectamus ab ipſo,ut totum ſe impendat nobis adjuvandis ac ſalvandis. *Consideret*, an ſpem horum fruſtretur: an dum occaſio ipſis ſuccurrendi occurrit,timore laboris,aut valetudinis infirmandæ, mortiſque accelerandæ metu ſeſe ſubducat. Reſpiciat Jeſum totum exhauſtum, *à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas*. Mortuus eſt in vere ætatis ſuæ pro mundi ſalute. Emicuit in JESU omnium ejuſmodi rerum terrenarum EXSPOLIATIO, ut nudus omnino mortuus ſit,nihil potens alteri tranſcribere,non potens etiam recuperare veſtes ſuas,in quas ſub oculis ſuis ſortem mitti aſpiciebat. *Consideret* Perſ.Relig.an ſi modò ipſi è vivis emigrandum foret,reperienda foret omni re nuda,& non fortè arca vanitatum ſit plena,quibus vivens uſa fuit, quaſque poſt mortem deſtinavit alteri,non ſatis ſancto amore ſibi conjuncto? Qui pudor hic foret! Jeſus crucifixus tacuit in ſuî exinanitione de nullo ejuſdem authore expoſtulavit,ſitibundus acquievit felle & aceto : Patris æterni unicè memor , cui ſuum commendabat ſpiritum: vitamque ſuam illo inexplicabili charitatis actu, quo inimicorum ſuorum peccatum excuſans,Deum deprecabatur,terminavit. *Consideret* Perſ.Relig. an in ſuî humiliatione (bene etiam talem promerita) taceat, an adversùs authores illius murmuret, an cibo etiam inſipido acquieſcat,an Dei recordetur: an aliud à Deo, quàm ſuam,aliorumque ſalutem expetat: an pro inimicis deprecetur,aut non eos potiùs accuſet,& traducat;an vindictam, malumque pro malo meditetur; & eorum mortificationem urgeat. Ecce quàm amplus campus ad perlegendos vitæ quotidianæ greſſus pro Perſona Relig. hìc aperitur, dum admonetur,ut,prout ipſa elegit , meminerit tanquam in cruce ſe fixam eſſe,non poſitam in molli lecto, nec in viridario, ſed in monte Calvariæ.

III. *Consideret*,tres unà fuiſſe crucifixos in monte Calvariæ:unum ex propria electione,nempe Jeſum: alios autem binos coactos. Alter horum ex neceſſitate fecit virtutem, fructumque è cruce cepit : alter blaſphemando Deum,

ten-

temporalibus tormentis transivit ad æterna supplicia. In monasteriis etiam reperietur fortè unus atque alter, spontaneè crucifixus, dum libenter atque amore Dei abnegationem suî ipsius quærit. Reperietur & alius crucifixus ac mortificatus, sed vel ab illis, ad quos pertinet defectus ipsius corripere, vel à propria passione, quæ tum est mortificationi, quando satisfactionem suam non valet obtinere. Itaque mortificatur à vanitate sua is, qui debitâ habilitate destitutus aspirat ad honorificum aliquod officium, quod ipsi non conceditur: mortificatur alius ab indomita sua indole, dum ipsum propterea alii fugiunt. Ab æmulatione, dum aliorum non ferens promotionem, tabescit invidiâ: aut denique ab infirmitate, quæ morbidum semper infestat. *Consideret* itaque Pers. Rel. ad quorum numerum ex his crucifixis pertineat: ac postea statuat imitari saltem bonum latronem: faciat ex necessitate virtutem, convertat crucem suam (cui contra voluntatem suam affigitur) in materiam meriti, ne contingat, ut propter impatientiam suam de claustro ad infernum transeat, aut ne propter defectum sufficientis patientiæ ad diuturnum saltem purgatorium ablegetur. O quæ amentia! omni die pati debere, & nolle inde meritum facere! à Jesu Christi sanguine nolle auxilium petere, & in animæ illum suæ bonum nolle convertere! *Consideret* diligenter Pers. Relig. veritatem hanc maximi ponderis & momenti.

IV. *Consideret* ultima Christi in cruce verba: *Consummatum est.* Nolo hic repetere, quæ in secunda meditatione de Passione Christi in particulari adduxi. Suadeo tantummodo, ut Pers. Relig. consideret, an ultimo vitæ suæ in monasterio transactæ articulo videatur sibi habitura fundamentum cum gaudio & veritate, in lecto mortuali, super hac cruce sua extensa, dicendi: *Consummatum est*, nempe quòd omne illud adimpleverit, quod Deus ab ipsa exposcit. & ad quod conformiter instituti sui regulis implendum ipsa se obligavit. Poterit certè Deus in hoc extremo momento illi in memoriã revocare, quanta pro salute ipsius patrârit, quàm benignus fuerit ipsam de mundo in Religionem, & in hanc potiùs, quàm in aliam, ut faciliùs illic salutem suam lucraretur, transferendo: poterit ipsi exprobrare tot & tanta auxilia, poterit tot & tanta oggerere præbita ipsi exempla, has & illas inspirationes, has & illas gratias, hos & illos Superiores in subsidium datos, uti & has illasque mortificationes pro salute ipsius dispositas. Si itaq; quod Deus avertat, damnanda foret, non poterit Deo exprobrare defectum, sed sibi ipsi. Reflectat itaq; an in hoc articulo sibi videatur habi-

habitura fundamentum dicendi cum Paulo: *Bonum certamen certavi, cursum* CONSUMMAVI, FIDEM SERVAVI, *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus,* 2. ad Tim. 4. Et is, qui ex binis latronibus damnatus est, quem potuit inculpare, nisi seipsum? hi, qui in Religionem multis peccatis obnoxii intrarunt, interim crucem religiosam volentes tolerarunt, salutemq; adepti sunt, hi inquam omnes contra eum, qui in Religione se ipsum ivit perditum tanquam testes & judices consurgent. *Consideret*, quantum sit ipsi futurum coram Divino tribunali opprobrium dedecusque, videre tot sæculares, qui sublata animosè cruce Christi ad excelsum gradum sanctitatis eluctati sunt, quemadmodum S. Elisabeth Regina, S. Rex Hermenegildus &c. Dum interim Pers. Relig. videbit parum se fecisse, parum se esse passam in suo Calvariæ monte, & super cruce sua, ut meritò causam sit habitura timendi de salute sua. *Consideret* quæso hanc veritatem, ac dein statuat quidvis libenter agere ac pati, ut ad salutem perveniat: ut conscientia hoc momento terribili ipsam securè faciat dicere: *Consummatum est* feci in statu meo religioso pro salute animæ meæ, quod debui ac potui. Capiat deinde sequentes Regulas:

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Vivat cum Christo in cruce, ut & animo tranquillo vivat in Religione Paulus dicebat. *Christo confixus sum cruci.* ad Gal. 2 *ideoque superabundo gaudio in omni tribulatione,* 2 ad Cor. 7

II. Non erubescat sed potiùs optet etiam exteriùs improperium Christi in se repræsentari. *Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* ad Hebr. 13. *Ego stigmata Domini Jesu* (plagas nempe, aut à pœnitentia spontè suscepta, aut ab aliorum mala voluntate inflictas) *in corpore meo porto.* Ita de se Paulus ad Galat. 6.

III. Commendet quotidie Deo hos, qui ipsam offendunt aut offenderunt; dicendo: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciant.* Lucæ 23. Quod dedecus foret, si Religiosus alteri alteri non loqueretur, aut non condonaret.

IV. Nolit crucem Dæmonis mundi & carnis unquam portare, sed amet crucem Christi. *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* ad Gal. 6. Videat etiam, ne crucem portet ex vana gloria, ex respectu humano, aut ex vanitate.

Hodie tria fac. *Primò*, ignosce his, qui te offenderunt. *Secundò*, ubi aliquam pœnitentiam. *Tertiò*, accusa te de aliquo defectu magìs noto, aliisque scandaloso, conformiter tamen stylo tui instituti.

PRO

PRO NONO DIE

PRO TEMPORE MATUTINO.

Spes firma in die supremo ad exemplum Servatoris quoad corpus resurgendi, ut & corpus propriam mercedem recipiat, animare debet Religiosum ad ita illud tractandum, ut in hoc retributionis tempore amplum mereatur præmium recipere: Exspectamus Dominum nostrum JEsum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. *ad Philip. 3. Dependet autem mensura præmii à mensura mortificationis, quâ fuerit corpus ab anima pro honore Dei mortificatum. Testatus est istud Paulus illis ad Colos. 2. verbis:* mortui estis (*nempe per mortificationem, quæ est imitatio mortis: nam quemadmodum mors usum rerum sensibilium in perpetuum nobis adimit, ita mortificatio nos illo privat, quo ratio ac virtus docet esse abstinendum*) & vita vestra abscondita est (*in quantum is, qui se mortificat, vivit in his, in quibus se mortificat, dum vivere non videtur: quoniam rebus illis non oblectatur, quibus se privat*) cum Christo in Deo. Cùm autem apparuerit (*in universalis judicii die*) vita vestra *Christus, vera hominum vita, & causa meritoria vitæ novæ in die hoc, quo anima corpori olim separata reunietur, conferendæ.* Tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria: *tunc & Justi corpore glorioso vestiti, verùm in gloria inæquali pro meritorum diversitate apparebunt: ad imitationem ferè stellarum, quæ licèt omnes sint corpora luminosa, & in cælo collocata, quælibet tamen speciali est ornata splendore, una ampliùs, altera minùs fulgida:* Stella differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum. 1. *ad Cor.* 15. *Unde concludit S. Paulus, adhortando fideles ad mortificationem corporum, ut ita disponantur ad ampliorem gloriam recipiendam: suppositâ nunc hâc veritate, quàm libentissimè in memoriam Religiosi revocavi, ipse.*

I.

Consideret quantam sibi videatur diligentiam adferre ad augendam hanc corporis sui gloriam. *Videat*, an illud studeat mortificare, illicita illius desideria, quæ tendunt ad Dei offensam, reprimendo. Quòd si in hoc defecerit, certè non cooperatur ad illius gloriam. Deîn *consideret*, quomodo compescat alios illius appetitus; qui quan-

quàm ſub gravi culpa non fuerint prohibiti , edomiti ta men plúrimum conferunt, ut quis à gravioris Divinæ of fenſæ periculo maximè ſit remotus. Talia ſunt, oculos pro hibere ab aſpectu objecti beneplaciti : linguam continere verbo propriæ voluntatis: guſtum temperare à cibo ben ſapido: aures abſtinere ab audiendis novis &c.

II.

Conſideret, quâ ratione ſe habeat circa modeſtiam , qu virtus eſt poſita in cura ſingulari , moderandi externu corporis habitum. Notum eſt Patres Soc. JESU Regula habere particulares , inſcriptas de modeſtia : quæ ſanct illorum Fundatori multis lacrymis ſteterunt , quarum ob ſervantiam multùm urgebat , utì pluribus refert P. Al phonſus Roderiquez. Unde infero, modeſtiam eſſe præ claram in Perſ. Relig. virtutem. *Modeſtia veſtra nota ſit omn bus hominibus*, inquiebat S. Paulus. Reflectat itaque Per Relig. quanta ſit modeſtia ipſius: quàm ſit compoſita quo ad exteriora, quantæ ſit in elevanda voce moderationis quàm cauta in cuſtodia oculorum , an tam in templo quàm alibi, ubi communitas congregatur; illis liberiùs e vagetur : quâ moderatione in riſu, in inceſſu, in manuum totiusque corporis compoſitione utatur. Speculum ſi proponat modeſtiſſimam Chriſti Perſonam , per quan venerator ejusdem Paulus Corinthios adjurabat inqui ens : *Ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & MODES TIAM Chriſti.* 2. ad Corinth. 10. Videat pariter, quânam ſecum ipſa, dum ſola eſt, modeſtia verſetur, magìs auten dum converſatur cum aliis. Quâ ratione his, cum quibu agit, reſpondeat. Quomodo Superioribus , quomodo æ qualibus, quomodo inferioribus , quomodo ſecularibus ſciat reſponſum audacius, debito deſtitutum reſpectu in currere offenſam ſecularium. *Reflectat*, an ex ore quando que notabilis impatientiæ ſignum elabatur, magìs autem an verbum non ſat honeſtum ſubinde effluat. *Conſider* etiam, an in oblato libero rerum delectu modeſtiæ (id e moderatione) contraveniat, & an meliora ſibi tanquan debita arroget in cibo, loco, habitatione. *Attendat* etiam dum iter facit , quomodo circa memorata, dum offerun tur ab aliis, ſeſe habeat. *Videat* denique, an aliquando ab ſtrahi ſe ſiverit ad lectionem libri alicujus impuri, aut a contemplationem (magìs autem ad detentionem) inho neſta

nestæ picturæ, an comparuerit in scenis impudicis, vel à longè etiam suspectis: an in recreationibus sermonem secularium libertatem redolentem protulerit. O Religiosi nolite permittere, ut in domiciliis vestris Drama aliquod repræsentetur, in quo amores interveniant. Horrorem à talibus semper concipite.

III.

Consideret, quomodo assuefaciat corpus patienter ferre illa, quæ immediatè à Deo adversa proveniunt, in morbis, in habitatione, in æstatis calore, hyemis frigore: item illa, quæ Ordo Religiosus, in quo degit, secum invehit: quo porrò animo toleret paupertatem mensæ, angustias cubiculi, incommoditatem supellectilis, asperitatem victûs, itineris pedibus faciendi difficultatem &c. Quomodo se habeat circa illa, quæ Superiores præscribunt pro correctione defectuum, quomodo circa difficultatem, quam parit vita socialis, in qua differentes genii conveniunt: in qua versandum cum Personis ob senium tetricis ac morosis, aut cum aliis impolitis, & indiscretis, qui in conversando debito respectu, aut circumspectione non utuntur &c. *Consideret*, an corpus suum per rectæ rationis dictamina, & per regulas spiritûs ad supra dicta toleranda excitet. Hoc si fecerit, felix erit: si defecerit, sibi ipsi continuum purgatorium præparat: non enim memoratæ incommoditates omnino innoxiè evitari possunt. Et qui indignè eas ferunt, onus sibi aggravant; ita ut Religiosi hi omnium miserrimi dici possint; siquidem cùm voluntariè se privaverint vitæ hujus voluptatibus, quibus frui in seculo ipsis fuisset licitum, per suum illum mortificationis defectum corpus privant præmiis in altera vita promissis. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus* (si Christo servientes temporalem tantùm corporibus nostris mercedem prætendimus) *miserabiliores sumus omnibus hominibus*. 1. ad Cor. 15. Siquidem non hìc sed illic gaudia Religiosos manent.

IV.

Consideret, an, si occasio offerat, pro servitio Dei, pro monasterii prosperitate, aut pro salute animarum se mortificandi, eam amplectatur: aut verò an è contrario sancta, & Religiosis propria opera negligat, atque ita labori se subducat: *Reflectat*, quid facturus fuisset, si permansisset in seculo

culo gravibus onerandus negotiis ac muneribus, poſit quòd eo illum ſua naſcendi felicitas capacitasque duxiſſe; aut poſito, quòd à natalibus fuiſſet deſtinandus ad laborioſum opificium, officiumve, quo labore fuiſſet deſudaturus ac deîn erubeſcat, cùm viderit ſe laborem, ac patiendi occaſionem in Religione fugere. Audiat, quid Jacob pro commodo temporali in domo Laban ſe feciſſe perhibeat: *Die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis: ſicque per viginti annos ſervivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & ſex pro gregibus tuis.* Geneſ. 31. Legat & Cap. 7. lib. 2. Mach. Quanta cum animi magnitudine ſeptem juvenes Machabæi, ſpe futuræ reſurrectionis corporum ſuorum animati, tormenta maxima ſubîerint.

Peractis his Conſiderationibus, ſtudeat ſibi ſequentes quatuor Regulas imprimere.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Certò ſibi perſuadere, quod ambulando juxta regulas ſpiritûs, mortificationis corporalis ſenſus multùm allevietur. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* ad Rom. 8.

II. Æſtimare, quòd per conſolationes ſpirituales Deus multùm mitiget dolores ac paſſiones corporis. *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ità abundat conſolatio noſtra.* 2. ad Cor. 1.

III. Conſiderare exempla Sanctorum, qui durè habuerunt corpus ſuum: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* ad Hebr. 11.

IV. Nolle ſe accommodare tepidis, qui auſteritates corporales fugiunt: *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, INIMICOS CRUCIS CHRISTI.* ad Philip. 3.

Fac tria hodie propoſita. *Primò*, propone eſſe diligens in viſitandis infirmis tam domi, quàm, ſi licuerit, etiam foris. *Secundò*, libenter velle ferre incommoditatem, quæ poſita eſt in inſtructione Chriſtiana hominū ſimplicium tam domi, quàm ſi licuerit, foris. *Tertiò*, de rebus divinis tam cum ſecularibus quàm domeſticis velle loqui: *Loquela tua manifeſtum te facit.* Matt. 26. Manifeſtaberis eſſe Religioſus, ſi de Deo ſermocinatus fueris: & hoc pacto mille defectus & ineptias evitabis.

Monitum.

Si ad manum tibi fuerit Quadrageſimale P. Pauli Segneri Soc. JEſu, lege hodie concionem de Feſto Paſchatis. Erit hæc lectio utiliſſima.

PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO DIEI NONÆ.

Suppono, quòd in hanc circiter diem incidat meditatio de gloria Paradisi, quare Perf. Relig.

I.

Considerat, quantum meritum fervore suo pro æterna gloria sibi accumulâsse videatur, aut quantum è contra per negligentias suas à tempore vitæ suæ religiosæ perdiderit. Monstravit Deus in variis, quòd intra breve tempus possit quis pertingere ad excellentem gradum gratiæ, atque inde ad sublimem apicem gloriæ; dum plures in juvenili ætate ad talem perduxit; eos nempe, quorum corpora in altaribus adorata, exhibent, ad quàm altum in cœlis locum sint elevati. Tales sunt Sancta Cæcilia, S. Catharina, S. Agnes, paucorum annorum puellæ. Sanctus Martyr Venantius, Beatus Ludovicus Gonzaga, B. Stanislaus Kostka Soc. JESU, de quorum quolibet potest dici illud: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Sap. 4. Ut omnes discerent, brevi etiam vitæ spatio, divinâ gratiâ auxiliante, ad magnam sanctitatem in terris, & gloriam in cœlis perveniri posse. *Consideret* itaque Perf. Relig. quid egerit ab eo tempore, quo in cœnobio vixit. *Videat*, an non oriatur ex proprio ipsius defectu, quòd in tam gravi causa parum lucri fecerit, eò quòd animum seriò non applicârit, aut quia planè se in vanitates effudit? Ineat rationem temporis perditi, atque ineptiarum suarum; omnia unum in cumulum acervando, ac deìn dicat intra se: Tam ergo negligens, tam stolida fui? tam grande poteram lucrum pro felici æternitate comparare, & illud acquirere omisi? ò me miseram! quæ nec signum sanctitatis in me reperio, dum debuissem ac potuissem magnam sanctitatem adipisci.

II.

Consideret, an forsan etiam aliis fuerit obstaculo, quò minùs ad altum in cœlo locum pertingerent. *Videat*, an seduxerit alios ad vanitates suas consectandas: an coram ipsis libertatem laudârit, Regularum observantiam spreverit, an Patribus Directoribus spiritualibus authoritatem abrogârit. *Examinet* se, an meliores se contempserit, an opera, quæ ædificant, commoditatis amore intermiserit, an verbis & operibus hos, qui viam sanctitatis, & perfectionis tenent, improbârit: *Clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Isai. 6. Ita Seraphim illi, qui thronum Dei circumstabant, clamando insinuare voluerunt, quòd Per-

sonæ ex instituto suo Deo consecratæ, cujusmodi præsertim sunt Religiosi cœnobiales, mutuò se excitare, atque exstimulare, vuceque altisonâ (verbis nempe & operibus) alter alterutrum ad sanctitatem animare, imò & lentigradis inclamare debeant. *Consideret* diligenter punctum illud. *Videat*, an bonæ alicui animæ obex fuerit, quò minùs evaderet sancta, sique reum se deprehenderit, sciat severam de hoc rationem à Deo exposcendam. *Sanguinem ejus de manibus tuis requiram.* Ezechiëlis 3.

III.

Consideret, an præter magnæ in cælis gloriæ jacturam, sibi causa fuerit, serò etiam ad eam, quam sperandam habet, pertingendi, dum longo purgatorii igne à tot imperfectionibus suis est emundanda. Præter lucrum cessans, incurret hoc alterum damnum emergens, tum propter se, tum propter alios, quos suî sequaces faciendo per laxam viam duxit. Meretur & illud considerari, multum enim est vivere in religione, in loco pœnitentiæ, & eam non tenere vivendi rationem, ut fundatam sibi spem quis facere possit, aut nullum aut exiguum purgatorium obtinendi. Quòd si debito examine præmisso repererit, quòd sese atque alios à multa in cælis gloria consequenda impediverit, multæq; in purgatorio pœnæ obnoxios reddiderit, videbit illud evenisse ex nugis, crepundiis, ineptiis, de quibus non debet non passione seposita erubescere, quisquis tantopere ea adamavit. *Inhæreat* nonnihil huic puncto. *Videat* quòd, quantum boni amore nugarum omisit, tanto bono per totam æternitatem sit cariturus ipse, atque illi, quos, dum ipse ceu amicos suos observari voluit, unà secum in tepiditatis barathrum præcipitavit. Appendat ad trutinam nomen hoc ÆTERNITAS, dicatque: *Itane per totam æternitatem privatus ero mercede amplissimâ, quâ fruuntur alii, qui in eadem mecum religione vixerunt ac obierunt*, verùm cum illa perfectione, quam ego sectari renui? profectò si locus hic felicitatis capax foret tristitiæ, anima isthic ex recordatione temporis dilapidati tristaretur summè, nec quiete posset frui, eò, quòd indignam se fecerit loco præcellentiore, quàm sit is, quem obtinet. *Violabant me* (Religiosi, quia non sunt conati prout oportuerat, ut se & alios secum ad perfectionem in terris, & ad altam gloriam perducerent in cælis) *propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent ANIMAS, quæ non moriun-*

eriuntur: *& vivificarent animas* (quo nomine hìc significa-ir corpus) *quæ non vivunt.* Ezech. 13.

IV.

Consideret, an jam fini Exercitiorum Spiritualium appro-inquans animo sit parato ad damna illa beatæ æternitatis eparanda,& an velit pro reliquo vitæ tempore id recupe-are, quod per tepiditatem suam neglexit? *Redimentes tem-us, quoniam dies mali sunt.* ad Ephes. 5. *Videat*, ad quid sui ffectus adhæserint. *Examinet*, quis sit actus ille heroicus, quo adjuvante possit redire in viam perfectionis, modò se d eum exercendum velit resolvere, Inveniet, quod totum bstaculum, quò minùs ad veram sanctitatem contendat, ponat, passio aliqua dominans,& præcipuè AMOR PRO-PRIUS, qui cæcè & contra omnem rationem suadet elige-e bonum privatum, verùm tantummodo terrenum, tem-porale, sensuale, animale, non spectando bonum hone-tum, cæleste, spirituale, ac æternum. Hic amor, hic ignis accensus fumo suo prohibet, ut veritates æternæ non prospiciantur, quantumcunque aliàs claræ, sole ipso luci-diores. *Supercecidit ignis*, nempe passionis, *& non viderunt SOLEM* in media luce veritatis æternæ positi. Et quid hinc consentaneum? Tot Luciferi aliàs splendissimi, qui in Novitiatu ad perfectionem heroicam aspiraverant, ex cel-situdine illius gloriæ, quæ in cælis ipsos manebat, propter morum suorum perversitatem decidunt. Dicat nunc sibi anima Relig. pulchra illa ex Isaia verba, prolata ad nobilis-simum illum Paradisi Angelum, postmodum in fœdissi-mum inferni monstrum transformatum: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulne-rabas gentes* (Religiosus scilicet, cujus in principio aspectu corda cæterorum compungebantur) *qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam* (ad summam contendens perfectio-nem) *sedebo in monte testamenti* (saltum faciendo ad altissi-mum verticem, quem pandit Lex Evangelica, & institu-tum Religiosum) *in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudi-dinem nubium. Similis ero Altissimo?* Isai. 14.

Considerationibus his peractis, statuat etiam sequentes Regulas servare.

REGU-

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Erubescat, quòd homines seculares pro lucro temporali amplius faciant, quàm Religiosus pro bonis æternis: *Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Lucæ 6. *Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* 1. ad Cor. 9.

II. Per studium orationis communes vitæ humanæ miserias conferre cum Deo, easque hoc modo mitigare: *Factus in agonia prolixiùs orabat.* Christus ipsa fortitudo. Luc. 22. Siquidem ad lumen veritatis æternæ in oratione expensæ recipiuntur à Deo illustrationes, quæ animam afflictam verè consolantur, efficiuntque, ne in turbatione sua deficiat. O utilem praxin!

III. Contentissimum esse Deo solo mercede laborum suorum, absque ullius creaturæ compensatione: *Ego ero merces tua magna nimis.* Gen. 15.

IV. Persuasum sibi habeat, quod Deus non deserat in laboribus, qui amore ipsius suscipiuntur. Ecce, quid talibus præstet. I. *Justum deduxit Dominus per vias rectas.* II. *Honestavit illum in laboribus.* III. *Et complevit labores illius.* IV. *In fraude circumvenientium illum adfuit illi.* V. *Et honestum fecit illum.* VI. *Custodivit eum ab inimicis.* VII. *Et à seductoribus tutavit illum.* VIII. *Descenditque cum illo in foveam.* IX. *Et in vinculis non dereliquit illum.* X. *Donec afferret illi sceptrum regni,* XI. *Et potentiam adversùs eos, qui deprimebant eum.* XII. *Et mendaces ostendit, qui maculaverunt eum.* Sap. 10. Omnia dicta de Josepho propter justitiam ab invidis fratribus depresso, à Deo autem exaltato.

Tria præsta hodie coram sacra Eucharistia. *Primò*, pete veniam ratione temporis vanitatibus impensi. *Secundò*, propone deinceps omnia illa cavere, quæ profectum tuum spiritualem impediverunt. *Tertiò*, hoc tuum propositum revela Patri spirituali.



PRO DECIMO DIE

PRO TEMPORE MATUTINO.

Hodie finis imponetur exercitiis Spiritualibus. Optem autem, ut exiturus jam ab exercitiis sibi repræsentet, triplicis generis Personas oculos in ipsum conjecturas ut videant, an ex Exercitiis Spiritualibus S. Ignatii talis morum mutatio in ipso provenerit, cujusmodi à tam multis prædicatur. Primi quidem erunt Angeli: secundi erunt homines sæculares: Tertii erunt hi, quibuscum versatur: Spectaculum facti sumus Angelis, mundo & hominibus. 1. ad Cor. 4. *Angeli attendent quomodo coram Deo post tot accepta lumina, & post tot facta proposita sit ambulaturus: seculares conabuntur experiri, quem Spiritum, animumque ipsis exemplo, verbis, ac laboribus suis operam præstandi conceperit. Collegæ observabunt, quâ ratione defectus in Regulari observantia sat ipsis perspectos emendârit. Convenit jam, ut anima Religiosa triplici huic Personarum classi probet, quòd ex secessu suo fructum perceperit. Ad quem finem ut disponatur, exhortor, ut in eum finem.*

I. *Consideret*, Quæ causa sit, cur aliàs non observaverit ea, quæ proposuit. *Videat* an hoc ortum sit ex propria inconstantia, & ex mutatione dictaminum, aut ex metu contemptus, quia audivit se propterea contemni, aut ex tædio prosequendi vitam inceptam, aut ex timore repulsæ ab aliorum conversatione: exemplo Parentum cæci Evangelici, qui bene de JEsu loqui timebant, inducti metu, ne à Synagoga excluderentur. *Timebant Judæos, jam enim conspiraverant Judæi, ut, si quis eum confiteretur esse Christum*, EXTRA SYNAGOGAM FIERET. Joan. 9. Aut denique quia in devotione, & maximè in orationis studio refrixit. *Videat*, Ecquisnam ex his scopulis satìs obviis sit ille, qui progressum suum maximè retardârit, deliberetque de modo, quo eum velit evadere, & cum Patre etiam Spirituali de hoc conferat.

II. *Consideret*, quid maximè impediverit, quò minùs ista obstacula vicerit, quæ causa fuerunt, quòd proposita concepta aliàs non fuerit executus. *Videat* primò. An fortè, quòd nimium de se ipso præsumpserit, & in se ipso confisus non recurrerit ad Deum, sine quo nihil boni potest fieri: *Sine me nihil potestis facere* Jo. 5. Si autem in hoc deliquisset; *proponat* Deo omni die commendare executionem propositorum suorum, poteritque pro hoc determinare tempus matutinum, & quamprimum surrexit, in hunc fi-

nem procidere in genua vel in cubiculo suo, vel coram Venerabili Sacramento in Ecclesia. *Secundò* an fortè inde evenerit, quòd negotiis (*etiam pro commodis monasterii susceptis*) abstractus, tempus debitum rebus Spiritualibus subtraxerit, ideoque eas omiserit, aut frigidè peregerit. *Proponat* has occupationes aliis omnibus anteponere: *quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. 6. Persuadeatque sibi plus ordinis bene fundati interesse, ut floreat hominibus sanctis quàm doctis, aut alio in genere utilibus. *Tertiò* an inde forsan promanet, quia non agit cum Patribus Spiritualibus, ipsis conscientiam suam, cum desiderio paternæ directionis accipiendæ; manifestando, Christus hunc, qui sanitatem expetebat, ad sacerdotem ablegavit, verbis hisce celebribus. *Vade, ostende te Sacerdoti.* Cumque S. Paulus promptam omnia præstandi voluntatem Deo obtulisset, dicendo: *Domine, quid me vis facere?* Non immediatè ex ore Dei voluntatem illius accepit, verùm tantùm mandatum adeundi Ananiam, ad eandem ex ipsius ore percipiendam: *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Act. 9. Si itaque cum Patribus Spiritualibus non satis se egisse Religiosus deprehenderit, statuat sese in hoc emendare, ab iisque consilium & directionem exquirere: aut si aliud etiam motivum ipsum non traxerit, sistat se tantummodò humiliandi suî gratiâ, eritque hæc humilitas in divinæ Majestatis conspectu accepta. *Quartò* an ex acedia sua profectum fuerit, *id est ex negligentia Spirituali in rebus Spiritualibus*, quæ ipsum sensim sine sensu in languorem, tepiditatem, ac laxitatem induxerit. *Cum Spiritu cœperitis* (ita nempe factum est post Exercitia Spiritualia annorum præteritorum: cœptum est cum Spiritu, verùm supervenit acedia, negligentia, ac tædium vitæ Spiritualis) *nunc carne consummamini.* ad Galat. 3. In laxitatem omnem definitur, si ad scopulum hunc offenderit, non evadet, nisi per generosam resolutionem, recordatus illius, quod Christus dicit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Dein bene cordi sumat, quòd, quantò diutius hanc acediam, ac negligentiam excutere tardaverit, tantò labor evadet gravior in ea superanda, semper enim vires illa majores acquiret. Putet hodie, Deum ad cor suum loqui pulchra illa Isaiæ verba cap. 52. *Consurge, consurge,* INDUERE FORTITUDINE TUA (indue aliquid illius animi, quo mundum deseruisti) *Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem civitas sancta:* EXCUTERE DE

E PULVERE, consurge, sede Jerusalem, SOLVE INCULA COLLI TUI CAPTIVA filia Sion: qua rvitutis (verùm liberæ atque hinc miserrimæ) metapho- i optimè exprimitur pessimus ille status, in quo vivit, qui tediosè tractat illa quæ pertinent ad perfectionem.

III. *Consideret* quid sibi videatur Deus postulare ab ipso ro reliquo vitæ suæ tempore, atque hoc ipsum facere roponat. Similiter cogitet, cum quibus personis agat am sæcularibus quàm Religiosis. *Videat* quid conscientia ibi dictet, & in quo deficiat, an in internis per aversio- iem, an quoad externa in defectu respectûs debiti, an per imiam contentionem, asperitatem, partialitatem &c. sive circa superiores, sive circa æquales, minores, officia- es &c. delinquat, proponatque se emendare &c. An pec- et per nimium affectum, adhæsionem, familiarita- em &c.

IV. *Consideret* denique omnia illa, quæ facienda vellet uggerere alteri, quem novit à Deo esse illuminatum, at- ractumque per remorsum conscientiæ, aut modos alios Divinæ motioni proprios. Itaque sibi ipsi hæc dicta velit, quæ vellet suadere alteri. *Qui alium doces, te ipsum non doces* ad Rom. 2. *videat* in quibusnam sit criticus in alios, cogi- tetque non deesse, quod in se ipso censuret &c. His aliis- que considerationibus munitus, exeat ex exercitiis tan- quam hic foret ultimus, aut etiam primus vitæ suæ dies. Et quidem diem hunc æstimans, tanquam primum vitæ diem, felicem illam innocentem continuandam se putet assumere: æstimans autem tanquam ultimum, concludat sic vivere, prout agnovit Dei esse voluntatem, & prout in ultimæ vitæ articulo vixisse se optabit. Itaque excitet se, ad vivendum ità coram Deo, imò & coram hominibus post exercitia, ut multò melior evadat, quàm fuerit ante illorum initium. *Domus repleta est ex odore unguenti.* Ita dictum de unguento à Magdalena super Christi pedes ef- fuso. Cura, ut parem effectum producas in tota domo Religiosa, quam inhabitas. Talis sit suavefragrantia vitæ tuæ ædificativæ, ut delectet omnes: Colligat quivis, quòd ex Exercitiis profeceris. Dein statue observare sequentes Regulas.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Felicitatem suam omnem ponere in bona vita. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris.* Nec malum facere, quia nemo mala tua portabit. *Si autem illusor, SOLUS portabit malum.* Prov. 9. Hæc est veritas, quæ nunquam satis inculcari potest.

II. Non ambiat in hac vita, quod nollet ambivisse in altera, faciat illud hic, quod ibi factum esse vellet: *Opera illorum sequuntur illos.* Apoc. c. 14. ℣. 13.

III. Ad obtinendam etiam vitam humano modo tranquillam in Religione, observet regulas Religionis. *Quicunque* HANC REGULAM (quod dici potest ad omnem Religiosum de Regula sui instituti) *secuti sunt, pax super illos,* ad Galat. 6. *Benedictionem dabit* LEGISLATOR, benedicet fundator Ordinis his, qui Regulam ipsius servant.

IV. Non sit alter Judas inter tot pias animas, quæ ceu Angeli claustrum, quod inhabitant, in cælum commutant; Dum interim Judas aliquis illud mutat in Infernum. *Ex vobis unus Diabolus est.* Joan. 6. Væ illi Religioso, qui perversis moribus suis aliorum infamat honestatem, eorumque famam simul facit pati.

Duo saltem hodie præsta. *Primò* ostende Patri Spirituali facta proposita. *Secundò* Aperi superiori, quid statueris singulariter emendare eorum, quorum es ab ipso admonitus, aut verò, in quibus tibi ipsi videris circa observantiam Regularum deliquisse.



PRO

PRO TEMPORE POMERIDIANO PRO DECIMO DIE.

Finiuntur exercitia per [meditationem de amore Dei : in eum finem.

I. CONſideret perſona Religioſa,an aliquando ſincerè Deo gratias egerit pro inæſtimabili beneficio vocationis ad ſtatum Religioſum. Fortè omnibus benefactoribus ſuis gratias egerit ; *Videat* verò,an etiam Deo unquam cordialem gratiarum actionem egerit pro ſpeciali amore in hoc ipſi exhibito, quòd Domûs ſuæ contubernalem fecerit? Aſſuerus aliquando nequiens de noctu ſummum capere,annales Regni ad ſe perferri juſſit : & reperiens,quòd Mardochæus bene de corona ſua fuiſſet meritus, quæſivit, quid pro hac fide honoris & præmii Mardochæus conſecutus eſſet ? Eſther. 6. Et reſponſum eſt,nihil omnino. *Videat* itaque Religioſus, an aliquo modo conetur tantum ſibi collatum beneficium demereri ; ſtatuat omni die Deo gratias agere. Quidam Religioſi cum peculiari devotione omni anno recurrentem illum diem honorant, quo aut ad Religionem aſſumpti fuerunt, aut quo ſacrâ veſte induti, aut quo vota , aut Profeſſionem Religioſam emiſerunt. Nonnulli dum morti vicini ſacrum viaticum ſuſcipiunt,circumſtantes invitant ad dicendum ſecum,dum poſſunt : *Te Deum laudamus* : in gratiarum actionem pro omnibus vitæ tempore acceptis beneficiis , & comprimis pro beneficio vocationis,ut ita grati per hunc externæ gratitudinis actum è vivis diſcedant.

II. *Conſideret*,quæ ſibi ſigna videatur habere,quòd Deum amet. Is,quem amamus,frequenter nobis verſatur in memoria,in intellectu,in ore. *Videat*, quàm frequenter Dei hujus recordetur , quem in ſponſum animæ ſuæ elegit? *Memor fui Dei mei,& delectatus ſum.* Pſalm.76. *Videat* an ſaltem manè , meridie ac veſperi memoriam illius vivacem inſtauret;an verò multi dies tranſeant,abſque eò,quòd ſeriò creatoris ſui recordatus fuerit, an in laboribus & adverſitatibus,ut conſolationem ab ipſo percipiat ; an in proſperitate, ut ipſi gloriam tribuit. Si parum ipſius recordetur, aut parum de ipſo cogitare ſtudeat , parvum amoris ſignum fuerit. *Videat*,quantum Dei recordetur,& an in recordatione illius gaudium an tædium experiatur. *Videat* , an frequenter renovando bonam intentionem etiam in operibus indifferentibus cor ad ipſum propenſum commonſtret : *ſive manducatis ſive bibitis* (en actiones indifferentes)

sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei (per rectam intentionem ad ipsum referendo) *facite*: tantum à primævis etiam Christianis efflagitabat S. Paulus 1. ad Cor. 10. S. Ignatius Lojola omnia ad gloriam Dei, & non ad qualemcunque, sed ad majorem dirigebat. Quare in Parœmiam ipsius transiit: OMNIA AD MAJOREM DEI GLORIAM. *Videat*, an etiam ita agat, aut verò an quidlibet agat quomodolibet, nihil de Deo cogitando. *Videat* an in recreationibus in conversationibus tum sæcularium tum domesticorum de Deo loquatur. Porrò an sermo de Deo ipsi gratus an fastidiosus accidat, ut etiam eos fugiat, qui de Deo sermonem inspergunt. *Ex abundantia cordis os loquitur* Lucæ 6. & hoc ipsum non loqui de Deo, fortè signum est, quòd Dei non reminiscatur. Nobile est Davidis effatum. *Os justi meditabitur sapientiam* (id est, os justi de eo loquitur, quod cor meditatum fuit, unde oritur, quòd tam sapienter loquatur, ut verba illius Divinæ sapientiæ effata esse videantur, siquidem sunt divina, concernentia Deum) *& lingua ipsius loquetur judicium* Psal. 36. Utinam speciatim Religiosus in hoc puncto emendationem proponat, statuatque de eo loqui, quod revera ipsius est proprium. O quantum ipse, totaque domus, in quâ vivit, emendaretur atque proficeret!

III. *Consideret* an his, quæ Dei honorem concernunt, oblectetur, atque in his, quibus Deus offenditur, ostendat displicentiam. Sancti illi, qui sacra cantica in testimonium gaudii è divinæ Majestatis exaltatione concepti, composuerunt, oblectari se his ostenderunt, quæ Deo sunt gloriosa. Ita sancti illi juvenes in fornace Babylonica cantico suo quod inscribitur: *Benedicite omnia opera Domini Domino*: Exultârunt, gavisique sunt, quòd Deus ab omnibus creaturis gloriam caperet: Et soror Moysis Maria applaudebat sibi quòd Deo benediceretur in liberatione populi sui à servitute Ægyptiaca, quem in finem protulit canticum illud *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*. Exod. 15. Eundem affectum in suis de magnitudine Dei jubilis frequentissimè prodit David. Et suam quidem animi amaritudinem propter offensas Deo illatas præter cætera his verbis testatus est. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam Psal.* 118. *Videat* Religiosus, quem Dei amorem spirent ipsius gaudia, concepta ex audita conversatione infidelium, aut ex magni peccatoris pœnitentia &c. Quanam ratione lætetur de sacræ fidei propagatione &c. qui amat, certè non absque affectu audit illa, quæ sunt gloriosa amato. *Videat* pariter, quantopere contristetur de inju-

tias Deo illatis : quâ ratione ſtudeat illas impedire ſaltem per orationes ſuas: qualem in ſe diſpoſitionem ad labores, imò ad vitam profundendam pro aberrantibus reducendis experiatur. Ex his aliiſque ſignis facilè colliget, quanto in Deum amore feratur.

IV. *Conſideret* quantum ſit paratus facere, & relinquere amore Dei, dum utrumlibet & poteſt & decet : Martyres pro Dei amore ſacrificârunt vitam ſuam, alii ampla patrimonia, alii libertatem omnem. *Videat* an ſaltem paratus ſit illud præſtare, quod propria conſcientia ſuadet faciendum pro amore Dei, ex. gr. ut amore Dei condonet injuriam aliquam ut privet ſe aliquâ recreatione, vanitate, affectu in creaturam. An patienter ferat incommoditatem aliquam, an vincat ſe ipſum, an compeſcat appetitus ſuos &c. *Videat* an tam potens pro amore Dei operandi motivum negligat, ſinátque in ſe amorem proprium aut creaturæ alicujus dominari: an de ſeipſo rebuſque creatis majorem habeat complacentiam, quàm de Deo Creatore. *Videat* an quærat in amore Dei proficere, ita ut magis ſemper ipſum amet, & ab ipſo ampliùs ſemper amari dignus fiat. Utile erit hoc examen, ſervietque ad excitandam tepiditatem, quam per motivum tam nobile ad bene agendum & amandum inflammari neceſſe eſt. Ad duo autem ſigna reflectendum eſt ſtudioſiſſimè, ut Religioſus dignoſcat, quantum Deum amet. *Primum eſt*, ut videat quomodo ſervet legem ſanctam in his quæ ipſum partim tanquam Chriſtianum, partim etiam tanquam Religioſum concernunt: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*: & reciprocum Dei amorem in præmium obtinebit: ideoque ſubjungitur. *Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* Joan. 14. Quare accipiat in manus formulam votorum, & librum Regularum : verumque Dei amorem per exactam horum obſervantiam exhibere ſtatuat. *Juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ.* Pſal. 118 *Qui diligunt Dominum, replebuntur lege ipſius.* Eccl. 1. Alterum quod diſpiciendum, eſt, ut videat quomodo amet proximum juxta regulas veræ charitatis, maximè eos, qui ſunt membra ejuſdem ſecum ordinis: timorem meritò injiciant verba illa Spiritûs ſancti apud Joannem: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt ; qui enim non diligit fratrem ſuum, quem* videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Joan. 1. cap. 4. Quorum verborum ſumma eſt, quòd Deum non amat is, qui non amat fratrem

ſuum

suum. Statuat hic Religiosus fratrum suorum defectus non revelare aliis. Magna enim hæc est violatio charitatis. Si quem in ipso defectum notaverit, suaviter ipsum de eo admoneat. Dum Jetro Moysen supra vires occupatum videbat: ait, *Non bonam rem facis. Stulto labore consumeris: ultra vires tuas est negotium: solus istud non poteris sustinere; sed audi verba mea & consilia, & Dominus erit tecum &c.* Itaque seorsim admonitus defectum emendavit: *Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.* Exod. 18. Multò plus apud Religiosos proficeretur, si cum illa suavitate procederetur. Ad minimum multa in lucem venirent, causæque paterent, cur alter hoc illudve faciat. Quodsi consilium opportunum audire non voluerit, dicat Patri Spirituali, & suaviter eum admoneat, itaque faciet opus charitatis.

REGULÆ RELIGIOSI.

I. Professionem faciat amandi Deum super omnia: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ.* Lucæ 10. *Etsi etiam calamitatibus temporalibus Deus obruerit, etiam me occiderit, in ipso sperabo.* Job 13. Dein amandi proximum, sicut seipsum: juxta illud: *& proximum tuum, sicut te ipsum.*

II. Confundat seipsum, quòd sint, qui plus faciant amore creaturæ quàm ipse paratus sit facere, aut pati amore Creatoris: *Fortis, ut mors dilectio: aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8.

III. Non ægre ferat, quòd ab aliis ceu talis æstimetur, qui gaudeat facere & pati amore Dei: *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio, surgite, eamus hinc:* Ita Christus ex cœnaculo in hortum iturus, & ad passionem accinctus.

IV. Pro certo habeat illud: *Quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* ad Rom. 8. Utile etiam fuerit de anno sæpius relegere puncta proposita considerationum. Concludo verbis illis: *Ama Dominum Deum tuum, & observa præcepta ejus, & caremonias* (sive exterioris Disciplinæ Regulas) *atque mandata ejus omni tempore.* *Deut.* 11. *Si enim custodieritis mandata, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea ut diligatis* (ex amoris Divini motivo) *Dominum Deum vestrum, nullus stabit contra vos: terrorem vestrum, & fortitudinem dabit Dominus Deus vester.* ibidem.

LOCA







LOCA
SACRÆ SCRIPTURÆ
Quæ
Doctis tempore Exercitiorum pro lectione Spirituali servire possunt.



Ulchra hîc quædam sacræ Scripturæ loca adduco, apta ad voluntatem bonis affectibus inflammandam, & distributa in omnes Exercitiorum Spiritualium dies. Poterunt tamen iis uti omnes utcunque sacrarum paginarum intelligentes. Tria autem noto. *Primò*. Non ea legenda esse curiositatis causa, verùm proficiendi desiderio, & cum speciali reverentia (qualis aut per detectionem capitis, aut per genuflexionem præstari potest) considerando, quod sint Dei ipsius verba. *Secundò*, Ne lector terreatur, si nec verba singula, nec omnes sensûs intellexerit: intelliget enim substantiam, videbitque id, quod de aliis literaliter dicitur, applicari possit huic, qui simili est obnoxius consuetudini. *Tertiò*, Quòd, quanquam adducenda sint multa non tamen necesse sit uti omnibus; sed quibus voluerit ac libuerit, quivis utatur.

PRO DIE PRIDIANO Exercitiorum.

POterit legi caput Sextum Epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios, quod ita incipit. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et ex Capite decimo tertio ad Rom. à Verſu undecimo, qui incipit: *Scientes tempus, quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, Uſque ad finem dicti capitis. Et ex Evangelio S. Lucæ Cap. Undecimum à Verſu 31. Qui incipit. *Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione hâc*, uſque ad finem capitis; & ex eodem caput decimum tertium à verſu 6. qui incipit: *Arborem fici habebat quidam*, Uſque ad Verſ. decimum. Et ex Iſaia Caput quadrageſimum ſeptimum, quod incipit: *Deſcende, ſede in pulvere, virgo filia Babylon*, Spiritualiter illud ſibi applicando, quidquid juxta ſenſum literalem dictum fuit aliis. Ac denique caput ſecundum, & tertium Apocalypſeos, in quibus viri alioquin ſancti de defectibus ſuis ſunt reprehenſi, quas correctiones is, qui exercitia eſt obiturus, ſibi poterit applicare.

PRO PRIMO DIE

Manè.

OCcaſione meditationis de fundamento poterit legi caput primum, ſecundum, tertium, & quartum ex Eccleſiaſte, & caput decimum ſeptimum, & quadrageſimum ex Eccleſiaſtico.

Poſt Prandium.

OCcaſione meditationis de PECCATIS poterit legi caput vigeſimum octavum Deuteronomii. Caput decimum ex libro Jobi. Caput vigeſimum pri-

primum ex Ecclesiastico. Quinquagesimum octavum, & quinquagesimum nonum ex Isaia, Caput secundum Jeremiæ, ejusdemque Threni. Caput sextum, Vigesimum, Vigesimum septimum, & vigesimum octavum ex Prophetiâ Ezechielis, Spiritualiter, ut suprà dictum est, illud, quod juxta sensum literalem intellectum de aliis, applicando sibi.

PRO SECVNDO DIE

Manè.

OCcasione Meditationis de MORTE, poterit legi Caput quintum Genesis, in quo ab Adamo usque texitur plurimum Catalogus, qui mortui sunt. Item quadragesimum primum Ecclesiastici. Secundum Sapientiæ, trigesimum octavum Isaiæ. Duodecimum Lucæ à verso decimo sexto, qui incipit: *Dixit autem per similitudinem ad illos*, usque ad Capitis finem. Ex Matthæo caput decimum quintum, Incipiendo à verbis: *Simile est regnum cœlorum decem Virginibus* usque ad finem.

Post prandium.

OCcasione Meditationis de JUDICIO potest legi caput vigesimum quintum & vigesimum sextum sancti Matthæi. Vigesimum primum caput S. Lucæ à Versu 6. Qui incipit: *Hæc quæ videtis: Veniet dies, in quibus non relinquetur lapis.* Poterit totum legi: Item caput quintum sapientiæ: Caput decimum quartum Jobi, Caput nonum Jeremiæ: Caput secundum & tertium Joëlis, Caput primum Sophoniæ: ex Epistola secunda sancti Petri Caput tertium. Ex Apocalypsi Caput vigesimum, uti & sequentia, quæ solet legi in missis defunctorum, diciturque: Dies iræ, dies illa.

PRO TERTIA DIE

Manè.

OCcaſione Meditationis de INFERNO poterit legi ex S. Luca Caput decimum ſextum à Verſu 19. Qui incipit : *Homo quidam erat dives*, uſque ad finem. Ex Iſaia Caput quintum,& trigeſimum Quartum:ex Ezechiele Caput decimum Quintum : ex Apocalypſi decimum nonum, & ex Ezechiele Vigeſimum primum.

Poſt prandium.

OCcaſione Meditationis de filio prodigo poterit legi de tota hac parabola S. Lucæ Caput decimum Quintum ; totum etiam Caput poterit percurri , etſi enim quædam alia illud contineat , totum tamen tendit ad demonſtrandam Dei benignitatem erga peccatorém converſum Caput nonum ex libro primo Eſdræ, à Verſu ſexto qui incipit à verbis : *Deus meus , confundor , & erubeſco* , uſque ad finem. Item Caput tertium Jeremiæ. Et precatio Manaſſis in capite quinto Threnorum. Denique Caput tertium , quartum & quintum ex dulciſſimo Propheta Baruch.

PRO QVARTO DIE

Manè.

OCcaſione Meditationis de Regno Chriſti poteſt legi primus Chriſti ſermo ex Capite quinto, ſexto & ſeptimo Matthæi.

à pran-

à prandio.

OCcaſione Meditationum de myſterio Incarnationis poterit legi ex S. Luca Caput primum à Verſu Vigeſimo tertio, qui incipit. *In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus* & ex Iſaia Caput nonum & undecimum. In ordine ad Meditationem de Nativitate Chriſti poteſt legi ex S. Luca Caput ſecundum, & ex S. Matthæo Caput ſecundum, in quibus commemoratur Nativitas Chriſti, Adoratio Magorum, & perſecutio Herodis. Similiter poterit legi Caput primum ex Sancto Joanne, in quo commonſtratur Verbi Incarnati Divinitas. Poterunt etiam legi, quæ Eccleſia pro hac ſolennitate refert in Miſſali & Breviario.

PRO QVINTO DIE

Manè.

OCcaſione variorum, quæ ſpectant ad doctrinam Chriſti & prædicationem, poteſt legi ex S. Matthæo Caput quartum, decimum ſeptimum, & vigeſimum primum: ex S. Marco caput quartum: ex S. Luca Caput nonum & undecimum. Similiter ex Epiſtola ad Hebræos caput primum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, ſextum: ex Epiſtola ad Romanos caput primum & ſecundum, in quibus omnibus continetur exhortatio ad perfectionem.

à prandio.

LEgi poterit Caput decimum, undecimum, & duodecimum ex Epiſtola ſecunda ad Corinthios. Et Caput nonum, decimum, undecimum & duodecimum ad Hebræos, quæ apta ſunt diſponere ad imitationem Chriſti.

PRO DIE SEXTO

Manè.

POterit legi hiſtoria Magdalenæ converſæ, ex S. Luca Caput ſeptimum: & quod de eadem refert ſanctus Matthæus in capite vigeſimo ſexto: S. Marcus in initio Capitis vigeſimi quarti: ac dein caput decimum, undecimum & duodecimum ſancti Lucæ.

à prandio.

POſtremus Chriſti ſermo poterit legi in Sancto Joanne Capite decimo tertio, decimo quarto, & decimo quinto.

PRO DIE SEPTIMO

Manè.

POterit legi Caput quinquageſimum tertium ex Iſaia: Pſalmus Vigeſimus primus, & trigeſimus: & paſſio Domini ſecundum S. Matthæum.

à prandio.

POterit legi Paſſio Domini ſecundum S. Marcum, & Epiſtola prima ſancti Petri.

PRO DIE OCTAVO

Manè.

PAſſio Domini ſecundùm S. Lucam, & Epiſtola B. Pauli ad Philippenſes.

à prandio.

PAſſiò Domini ſecundum S. Joannem, & prima ejuſdem S. Joannis Epiſtola.

PRO NONO DIE.

Manè.

Ege historiam de Resurrectione Domini in sancto Matthæo Capite Vigesimo octavo. In sancto Marco apite decimo sexto. In sancto Luca capite Vigesimo uinto. In sancto Joanne Capite vigesimo. Ex Ezechiele aput trigesimum septimum, in quo repræsentatur corporum nostrorum Resurrectio. Dein caput decimum quinum ex Epistola prima ad Corinthios : & tertium ad Colossenses.

Post Prandium.

CAput primum ex actis Apostolorum, ubi refertur ascensio Domini : & caput secundum, in quo memoratur adventus Spiritûs sancti. Et ex eisdem caput tertium, quartum & quintum, in quibus promulgatur gloria Christi Crucifixi, ab Apostolis prædicati.

PRO DECIMO DIE.

Manè.

LEgi possunt duo ultima capita ex Apocalypsi : & ex Isaia Caput sexagesimum, sexagesimum primum, sexagesimum secundum, sexagesimum tertium, & sexagesimum sextum.

à Prandio.

CAput decimum tertium libri Sapientiæ : Caput quinquagesimum ex Isaia : septimum ex libro secundo Machabæorum : & Caput quartum ad Ephesios.

Pro ultimo manè.

PRo animo confirmando in bonis propositis poterit legi caput sextum ex Deuteronomio : ex libro primo para-

paralipomenon Caput vigesimum nonum incipiendo Versu sexto *David Rex lætatus est gaudio magno.* Usque a versum decimum octavum : caput octavum ad Roma nos , à versu trigesimo primo usque ad finem capitis Ex secunda Epistola ad Corinthios Caput quintum , & Psalmus centesimus decimus octavus , quo continen tur benedictiones his , qui legem Dei observant , re servatæ.

MONITUM.

Non prætendo , ut Exercitans his tantum legendis, quæ hìc adduxi , sese alliget ; Sunt & alia scripturæ loca tempore Exercitiorum lectu perutilia. Uti liber Proverbiorum , Sapientiæ, & Ecclesiastici , poterit quilibet pro suo gustu hinc etiam sibi lectionem decerpere.



SENTEN-

SENTENTIA FAMOSA CHRISTI

Verbis hiſce contenta:

Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Matth. c. 16.

QUÆ

Tanquam ultimum Memoriale his, qui obiverunt Exercitia Sancti Patris Ignatii, relinquuntur; quæ attentè legantur, antequam quis ex Spiritualibus Exercitiis exeat.

POTERIT HÆC LECTIO LEGI ULtimo veſpere, antequam cubitum eatur.



FAMOSA SENTENTIA
CHRISTI DOMINI.

Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Matth. 16.

VIdetur hæc mihi sententia fortissima esse machina ex omnibus, quæ continentur in nobili illo Sanctorum Evangeliorum armamentario: ideoque non abs re erit, eam enucleatiùs nonnihil tradere, ut Exercitantem (quantum præscripta mihi brevitas permittet) edoceam robur illius ad omnes difficultates superandas, quæ in via salutis, aut ex parte appetitûs concupiscibilis per sensibilium bonorum propositionem, incurrunt, aut ex parte appetitûs irascibilis per objectorum arduorum occursum. Eritque tanquam memoriale his, qui Exercitia finiverunt, relictum: quod rogo, ut subinde attentâ consideratione ruminare velint.

S. Franciscus Xaverius, à S. Ignatio hujus sententiæ meditatione ad viam perfectionis adductus, eam animo perpetuò impressam habebat, eamque meditandam proponendo, aut etiam tantummodo explicando atque inculcando miras conversiones operabatur. In suis etiam ad P. Simonem Rodriquez Apostolicum in Portugallia Operarium literis, desiderium speciale ostendit, ut Rex Joannes III, ipsam cordi insculperet, hunc in modum illi scribens: *Si mihi promittere auderem; quòd Rex fidelissimum consilium meum esset probaturus, rogarē ipsum, ut omni die per horæ quadrantē Divinam hanc sententiam meditaretur* Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur: *Ejusdemque intellectum cum interno animi sensu à Deo postularet; neque aliud optarem, quàm ut esset omnium ipsius precum conclusio.* Ita Indiarum Apostolus. Atque ego ultimi moniti loco, illud te præstare velim, quod S. Franciscus Xaverius tantopere à Rege isto exoptavit.

Hanc expendere poteris, quotiescunque ad votum tuum res temporales fluxerint: dum ex gr. gravem litem evicisti; dum

dum amplam dignitatem aut hæreditatem es adeptus; dum vehementis alicujus passionis uti vindictæ, aut voluptatis desideria aliásve cupiditates implevisti; tum enim verò cogita: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Quid proderunt mihi omnes istæ voluptates, si (*interea Deum etiam solùm venialiter offendendo*) tantum hinc damni essem relaturus, quantum est pœna unius etiam horæ quadrantis in purgatorio (, ut nihil dicam de æternis inferni suppliciis, si in affectibus istis peccatum mortale esset interventurum? quid inquam hæc proderunt? hæc cogita, rogo, atque recogita videbisque nihil hæc tibi profutura. Cogitatio hujusmodi harum consolationum tuarum tempore adhibita, conservabit te in humilitate coram Deo: hinc enim disces agnoscere stoliditatem tuam, quâ tibi complaces in rebus, quæ damnum doloremque tibi æternum possunt accersere.

Similiter reminisci illius poteris, dum adversitas tibi aliqua obvenit. Dum ex. gr. amici cujusdam morte, temporalis alicujus boni jacturâ, aut personæ tuæ depressione affligeris: tum verò teipsum alloquere (idque experrecto animo) *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Quid mihi profuerit, hoc illudve incommodum effugisse, quando eo absente leviter etiam anima mea coinquinata fuisset? nihil certè. Et quid ex eo damni animæ meæ obveniet, dummodo in eo ac per illud Deum non offendam? nihil rursus. Atque reflexio hujusmodi serviet ad te confirmandum in conformitate voluntatis tuæ cum voluntate Divina in omni adversitate.

Quòd si omni die Sententiam hanc meditari volueris, tria ad hoc aptissima diei tempora suggero. *Primum tempus* matutinum. Orationis nempe matutinæ tempore, aut post illam dic sancta ista verba: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur.* Quid mihi proderit totum hodie mundum lucrari, sive in divitiis, sive in honoribus, sive in voluptatibus, si lucrum hoc conjunctum fuerit cum peccato veniali, unde ad acerbissimas purgatorii pœnas condemner: nedum cum mortali, unde anima mea gravissimum patiatur damnum, ad æterna inferorum supplicia detrudenda? QUID PRODERIT? nihil. Serviet hæc cogitatio ad te ab omni peccato absterrendum.

Secundum tempus Sacrificii: sub quo ad elevationem sacræ Hostiæ hæc ipsa verba rememorari poteris, sistendo nonnihil in consideratione hujus: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Servietque adte pro reliquo die porrò immunem conservandum à peccato, aut ad exstimulandum te ad confitendum, casu quo gravi culpæ esses obnoxius.

Tertium tempus serotinum, quo cubitum conceditur: poterisque peractâ consuetâ Oratione vespertinâ reflectere, utrùm de die peccaminosam aliquam voluptatem quæsiveris. Et si te reum inveneris, dic tibi ipsi. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quid proderunt mihi indignæ istæ voluptates, si per illas aut purgatorio ad tempus, aut inferno pro æterno me obnoxium reddidero? nihil. O me stolidum, qui mihi interim sapiens videor.

Poteris *etiam* post Confessionem & Communionem idem cogitare; maximè quia anima hoc tempore magis est purgata, & illuminationis cælestis capacior: hoc itaque tempore repete illud: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur*, (quid hæc omnia, de quibus modò reum me agnovi, quæque ideo confessus sum, proderunt) *animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Nihil.

Denique fructum illius in totam domum dividere poteris, hæc ipsa verba post recitationem Rosarii communiter factam omnibus proloquendo: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* nihil. Deìn spatium unius Pater & Ave in silentio horum meditationi impendatur. Utque clariùs dicti hujus veritas ab omnibus percipiatur, lubet mihi illud ad diversi statûs personas applicare. Servietque uni & alteri, huic ut ad cor redeat, alteri ne invidiam ex felicitate ac vanitate alterius suscipiat. Itaque

PRO NOBILI.

Tempore illo, quo maximè exultat, de honoris alicujus consecutione: de inimici sui oppressione, de facultatum suarum incremento, de voluptatis alicujus illicio, de repræsentatione aut actione aliquâ sibi placitâ exhibitâ in theatro, de victoria in hippodromo, aut in arena gladiatoria, tum verò dicat sibi: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quid

omnes

mnes hæ recreationes mihi profuerint si per illas Dei of-ensam meritus, animam meam sive leviter, purgatorium romerendo, sive graviter, æternas gehennæ pœnas in-urrendo vulneravero? *quid prodest*? nihil. Omnia non nisi anitas: Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

PRO DOMICELLA.

Dum maximè triumphat, sive de conclusis nuptiis, sive de comitatûs sui splendore, sive de nuptialis sui convivii apparatu: aut dum diebus solennioribus omnium se ocu-lis præbet objectum: dum plurium officiis ac salutatione honoratur. Dum vestimentis elegantioribus amicta admi-rationem spectatorum attrahit. Verbo dum in formæ suæ elegantia sibi complacet, séque ceu pulchritudinis ideam venditari & amari intelligit: sibi ipsi dicat: *Quid prodest ho-mini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quid orta hinc mihi complacentia proderit, si aut purgatorium per eandem venialiter, aut infernum mortali-ter peccando merita fuero? *quid proderit*? nihil. Hæc nil nisì vanitas: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

PRO ECCLESIASTICO TUM SÆCULARI TUM REGULARI.

Dum se ad aliquam dignitatem elevatum, dum se hono-rari, ac laudari sibique applaudi viderit; dicat ad se ipsum: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quid memorata mihi dignitas profue-rit, si occasione illius ad purgatorium, aut, *quod pejus est*, ad infernum devenero? *quid proderit*? nihil. Non nisì vanitas mox interitura. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

PRO LITERATO.

Dum in cathedra admirationem sui excitat, dum ceu o-raculum delphicum auscultatur in disputationibus, dum pro excellente in arte sua declamatur, excellens Orator, præstans Poëta, acutissimus Philosophus, optimus Jurista, profundissimus Theologus, præcipuus Advocatus, exa-ctus Mathematicus, Medicus omnium expertissimus, in-genium incomparabile, & totius Universitatis præcellen-tissimum, dicat sibi: *Quid prodest homini, si mundum univer-*

ſum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur? Quid mihi proderit applauſus, ingenium, fama, doctrina profana, dum ex ejuſmodi rebus peccandi ſumpſero occaſionem, atque animam vel ad tantillum purgatorii ſubeundum impulero? *quid prodeſt?* nihil: Hæc omnia vanitas, cum vita terminanda. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

PRO MERCATORE.

Dum mercatura feliciſſimè procedit, negotia ex voto fluunt, & pecunia affluit, dicat ſibi: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur* Quid mihi profuerit, domum totam auro innatare, & vel leviſſimum damnum peccato aliquo animæ intuliſſe? *quid prodeſt?* nihil. Aurum & pecunia manebit in terra, atque inde ego emigrans, videbo, quòd fuerit Vanitas. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

PRO ADOLESCENTE.

Dum per prata omnium deliciarum vagatus, è ſingulis flores collegerit, delicias ex converſatione, luſibus, jocis, cantu, comœdiis, ſympoſiis, prandiis, choreis, ſolennitatibus, dicat ſibi: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Quid mihi proderunt exorbitantiæ, quid amores, quid amici? quid amicæ? non modò, ſi animam meam, mortaliter peccando, peſſumdedero, verùm &, ſi veniali erga Deum offensâ eam læſero: *Quid prodeſt?* nihil. Poſt paucos annos corpus jacebit in ſepulchro: & quid fiet animæ? hæc omnia in ordine ad illam vanitas. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

PRO QUOVIS PECCATORE.

Dum immundæ inſtar pecudis in omni vitiorum cœno volutatur, in quo beſtialem ſuam felicitatem collocat, ſive immerſus avaritiæ, ſive faſtui & luxui deditus, ſive in vindictam aut crapulam effuſus, aliove perverſo affectu ineſcatus, dicat ſibi: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* Quid totius etiam mundi bona, aut voluptatum illecebræ mihi profuerint, ſi interim Deum offendendo, aut purgatorii pœnas acquiſiêro, aut perennem animæ in inferno jacturam adiêro? *Quid prodeſt homini?* quis fructus, quod commodum

um ex tam misera felicitate! nullum. Cùm mecum omnia interiêrint, patebit omnium vanitas. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

PRO QUAVIS PECCATRICE.

Dum ut maximè suum satiare appetitum, aut affectũ explere sibi videtur, dicat sibi: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quid proderunt mihi omnes illecebræ, voluptates, vanitates? si vel in modico se insinuaverit offensa Dei, atque promanans hinc vel levissimum animæ damnum in purgatorio luendum, aut gravissimum supplicium æternæ damnationis? *Quid prodest?* nihil. Detractâ larvâ in morte apparebit vanitas. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

PRO OMNIBUS MUNDI AMATORIBUS.

Dum quis longæ vitæ avidus mundo æternum immorari optat, aut dum magnificentiam palatiorum, divitiarum, honorum sectatur: nataliave sua illustrare satagit, omnemque in iis voluptatem collocat, peccato autem levi, nedum gravi affectum suum inquinari advertit: dicat sibi: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Quid proderit Salomonem superâsse divitiis, Alexandrum felicitate, Augustum potentiâ, Sardanapalum deliciis, Aristotelem doctrinâ, Absolonem formâ; Taidem aliquam lenociniis, Venerem gratiis aut voluptatibus, si propter hujusmodi vel ad diem purgatorii ignis, magis autem, si æternus inferni rogus subeundus fuerit? *Quid prodest?* nihil. Omnia hæc suum habent finem, anima nunquam. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

PRO QUOVIS OPERARIO APOSTOLICO.

Et te ô strenue vineæ Domini Operarie, indefesse Missionarie, Concionator Apostolice, qui per frequentes conversiones tuas cælum animabus reples, dicta concernit sententia. Itaque maturè hanc expende, dum curans alios, teipsum negligis, putasque tibi licitum esse, ut te statûs tui obligationibus subducas. Ut dum Orationis ab Ordine tuo præscriptæ tempus transmittis, aut independentiam à

Superioribus affectas: si hæc faciendo Divinæ offensæ pe riculo te exponis, dic tibi ipsi: *Quid prodest homini, si mundu universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* nihil. E in ordine ad tuam salutem non est minùs vanitas salu aliorum promota cum animæ tuæ jacturâ quàm cætera quæ vanitas sunt respectu mundanorum: hæc bene ex pende, ut charitas tua fiat ordinata, bonumque aliorum promoveas, verùm proprium etiam non negligas: *Alios sa vos fecit seipsum non potest salvum facere.* Matth. 15.

Istud est, quod tibi relinquo Memoriale. Ut autem fru ctuosum tibi evadat, commenda te Deo, invocatâ pri ante meditationem illius S. Francisci Xaverii intercessio ne, ut gratiam obtineas veritatem hanc attentè conside randi, & vivacem illius semper memoriam conservand Vade subinde ad Altare S. Francisci Xaverii eandem medi taturus: institue in hunc etiam finem anno aliquo de cendialem in Xaverium pietatem, ut gratiam tibi impe tret, altâ mente veritatem hanc retinendi. Totum etiam mundum percurrere, responsumque ad præfatam quæ stionem postulare poteris, ut convincaris, nihil esse repe ribile, quod prosit, quo anima damnum incurrit: nih verò hujusmodi repertum est hucusque, nec porrò repe rietur, nec enim datur, aut dari potest. Quapropter verb hæc: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*, pura sunt

DECLARATIO, quod nihil sub ista con-
ditione prosit, & omnia noceant,
non ad tempus, sed pro tota
ÆTERNITATE.

PARS I

PARS QUARTA

SOLITUDINIS SPIRITUALIS,

Quâ continentur Lectiones Spirituales in singulos Exercitiorum dies, prout hi in hoc opusculo sunt digesti.

Lectionum folia, juxta exemplum cæterorum, possunt seorsim separari, ut pro singulis quibusque vicibus, prout & factum in meditationibus & considerationibus, Director illa possit tradere.

Fili hominis, comede volumen istud: & aperui os meum, & cibavit me volumine illo, & dixit ad me. Fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi istud, & factum est in ore meo sicut mel dulce. *Ezechielis* 3. Accipe librum & devora istum: & faciet amaricari ventrem tuum: & cùm devorâssem eum, amaricatus est venter meus. *Apocal.* 10.

MONITUM.



Inis cibi hujus lectionum Spiri-tualium, quas Exercitanti pro-pono, est stabilire veritates a meditandum adductas, & me-ditanti præbere subsidium pr superandis difficultatibus, qu in Exercitiis, factisque eorum tempore propo sitis exequendis, occurrunt. Cura etiam adhib ta fuit, ne, quæ in meditationibus dicta sunt, re peterentur, ad vitandum tædium, uti &, ne in spergerentur materiæ aut superfluæ, aut à prin cipali fine, quem in singulis meditationibu S. Ignatius intendit, abducentes. Quemadme dum etiam veritates ab eodem in libello suo ac ductæ sunt transcendentales (id est nulli Perso narum statui alligatæ] ut omnibus essent com munes, ita & quidquid in lectionibus hisce Sp ritualibus adducetur, ex genere suo omniun commodis servire poterit. Neque aliud aut à D rectore, aut ab eo, qui sibi ipsi manuductor eri præstandum, quàm ut ad particulares necessit tes, vitæque suæ rationes hæc, quæ proponend sunt, applicet, prout sibi expediens fore judic verit. Qui autem integris communitatib traditurus est Exercitia, atque lectiones has p lam prælecturus, poterit pro suo arbitrio ac pr

dentiâ interponere quandam in legendo moram, & addere reflexionem aliquam aut illustrationem, prout Exercitantium commodis aptum fore existimaverit.

Quod si communitas aliqua non habuerit commoditatem secessum hunc Spiritualem instituendi: Ecce consilium: ut fructus ex his aliquis capiatur (suppono enim omnem fructum desiderabilem non posse ab hisce percipi) non sine fructu abiturum puto, si in loco aliquo publico talis Communitatis tum manè tum vesperi prælegerentur meditationes, consideratiónes, & lectiones Spirituales, juxta ordinem hìc observatum, idque per octo aut decem continuos dies. Sed dicet aliquis, quid hoc fuerit? Respondeo: erit traditio Exercitiorum, qualis in talibus circumstantiis fieri poterit; lectio horum cum vocis ad pietatem aliquam inflexæ tono fortè cor animumque attendentium permovebit; atque ex aliis prælectis, de die bona aliqua cogitatio, atque hinc sanctum aliquod propositum exsurget. Fortè pudor etiam ruborque, quem Exercitiorum fama in aliquibus suscitat, abstergeretur, & re ipsá, dum non viderentur ea obire, illa facerent secretò. Ut redeam eò, unde abivi, adhibita est opera, ut lectiones hæ veritatibus complerentur, eo fine, ut Exercitans ratione convictus, nec fallacibus Dæmonis, mundi, & carnis sophismatis abductus, extra Exercitia etiam juxta rationem agat. Nã voluntas à ratione persuasa faciliùs rationabiliter operatur, & bo-

no, ad quod ita movetur, fortiùs, libentiùs, & constantiùs adhæret. Hanc quoque industriam S. Ignatius suis in Exercitiis adhibuit, ejusdémque efficacia quotidiano etiamnum probatur experimento, maximè in iis, qui meliori pollent ingenio. Quapropter, si in iis tantùm valent rationes ex principiis naturalibus atque humanis deductæ, quantò ampliùs valebunt hæ, quæ supernaturalibus, Divinis, atque his quæ fidei sunt, innituntur? Tales autem sunt, quas S. Ignatius in Exercitiis suis adhibet; utì & eorum, qui illa conformiter nobilissimæ illi S. Ignatii ideæ tractant; quam absque ulla mutatione optandum est, ut omnes sequantur: aliter enim Exercitia quidem Spiritualia peragentur, verùm non Ignatiana.



LECTIO

LECTIO SPIRITUALIS
Pro tempore matutino primi Exercitiorum diei.

I.

MEditatus es nobilissimum finem, ob quem optimus Deus te in mundo collocavit. Gratias egisti pro beneficio tam eximio (quale est, quòd te creaverit, ut infinitam Majestatem ipsius laudes, ames, eique servias, & in cælo denique ipso æternùm fruaris) illud etiam assecutus es, quò certè non pertigit Guilielmus aliquis, de quo sequentia referuntur.

Servierat ille diu temporali Domino, Duci Burgoniæ. Verum miser ille servitium suum ad finem creationis suæ minimè retulerat: hic mortem vicinam præsentiens sequens sibi Epitaphium concinnavit, & lapidi sepulchrali insuspendum curavit. *In hoc tumulo situs est Guilielmus, qui vitam suam consumpsit in aulâ, & ex mundo abiit ignarus, in quem finem esset creatus.*

II.

Meditatio peracta *de fine creationis tuæ*, non permittit tibi ansam dolendi aut excusandi te de ignorantiâ. Necessariam, interim adhuc reflexionem tibi esse fateor, attentionemque ad adversarios illos tuos, qui satìs tibi negotii facessunt, quo minùs ad excellentissimum illum finem pertingas. Sunt autem hi partim Dæmones, qui sorti hominum invidi, in quos implacabili odio exardescunt, bonum tam amplum, ne consequantur, omni industriâ alloborant: idque tum per se, tum præsidio alio-

aliorum, *mundi* nempe & *carnis*. Spiritus autem maligni mundi & carnis operâ fulti ut plurimum quærunt pervertere voluntatem, obfuſcando intellectum propoſitis rationibus licet falſis, ceu veris tamen apparentibus, uſque eò, ut finem hunc non curent, quin etiam ad eum contendere faſtidiant: ideoque dum Deum linguâ laudare, corde amare, ipſi operibus ſervire in vita detrectant, à fruitione ipſius in cœlo prohibeantur.

III.

Quare dilucidè exponam, quid agant quotidie Dæmones, ut hominem abducant à fine, ad quem conditus fuit.

Quid itaque agunt Dæmones intellectu perſpicaciſſimi, voluntate peſſimi, & Deo infenſiſſimi, cui optant gloriam illam auferre, qui ipſi advenire poteſt in hoc mundo, in quo ipſum à multis hominibus laudari, amari ac honorari ipſi eſt honorificum; cui pariter invident honorem mundi alterius, ubi magnam beatorum turbam reperiri, qui æternùm de ipſo gaudeant ipsique benedicant, Deo perquam glorioſum eſt; infenſiſſimi pariter Adamææ ſtirpi, quam ab æterna felicitate quærunt arcere, quid faciunt? *Primò* per ſe ipſos hominē tentant: Intellectui cogitationes ac rationes ſuggerunt, per quas verā illam de fine præſtantis creationis fidē moliuntur extinguere. In voluntate excitant deſideria affectuſque contrarios illi, quod ad eundem hunc conſequendum oporteret facere, aut ad illud attrahunt, quo ſuperſedendum foret. Inde naſcitur adhæſio ad res creatas, major earum appretiatio atque amor, quàm ipſis conveniat: hinc denique pluris illæ æſtimantur amanturque ampliùs, quàm ipſe Deus. Utuntur etiam pro inſtrumento phantaſiâ atque appetitu ſenſitivo, inducendo illum ad amandum aut fugiendum ea, quæ ab illis ceu bo-

na

na aut mala repræsentantur, & ad ea denique consectanda, unde non nisi amor rerum sensibilium ac temporalium enascitur.

IV.

Utque mi Lector, veritatem hanc clariùs perspicias, subintra cordis tui arcana: & fatere: nunquid sæpius ejusmodi in te expertus es tentationes? Nonne sæpius in intellectu tuo rationes extiterunt, quæ te induxerunt ad æstimandum ea, quæ Deus statui tuo prohibuit, nunquid sæpe affectus etiam in voluntate, quibus te sivisti abstrahi ad similia amanda? similiter, nonne sæpius expertus es in te suscitari contemptum atque aversionem ab iis, quæ Deus præcipit ac præscribit? Imò certè. Atque hoc est, quod vocatur tentatio, inventio, machina, ars Dæmonis, inducentis ad agendum contra voluntatem Dei, unde contravenitur fini creationis, qui est, ut Deus ametur ac adoretur, ipsius, inquam, voluntas, propriá etiam abnegatâ, impleatur.

V.

Illuminaberis etiam amplius, si cogitaveris, quid hac super re meditatus fueris. Meditatus es, quòd Deus te creaverit, ut *ipsum laudes in hac vita*. Ecce particulam finis, de quo sermo est. Quoties non fuisti irritatus ad eum blasphemiis, maledictis & querelis incessendum, dum ex. gr. non fluebant negotia ad votum tuum? Hæc est tentatio una, cui si quando consensisti, operatus es contra ultimum finem, ad quem Deus te creavit. Abhorrent enim hæc à Dei laude Meditatus es, quòd Deus te creaverit, *ut ipsi servias* (id est ut voluntatem ipsius facias, in quo consistit servitium (verùm quod non vicibus expertus es solicitantem aliquem & interiùs te invitantem ad voluntati huic refragandũ? Hæc mera fuit tentatio Dæmonis cui

cui si consensum præstitisti, egisti contra finem, de quo loquor. Meditatus es, quòd Deus te creaverit, *ut ipsum ames Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Et quid est aliud amare, quàm beneplacitum alicujus quærere? qui proprium beneplacitum anteponit satisfa-ctioni alterius, aut non ipsum amat, aut non tantopere amat. Verùm heu quoties sensisti, ut in casibus suprapositis allegatum est, nescio quem, qui te interiùs illexit ad non quærendum placere Deo, sed alteri alicui (ex.gr. amico, & ut plurimùm uni eidemque) nihil curando Divinam displicentiam! Fuit hæc tentatio Dæmonis, cui si consensisti, egisti contra finem, ad quem Deus te in mundo collocavit, peccâsti, & consequenter æternâ beatitudine reddidisti te indignum: Unde manifestè inferes, quòd Dæmones per seipsos, suasque internas suggestiones quærant te seducere, ne Deum laudes linguâ, servias opere, corde ames.

VI.

Pluribus ut quidem fieri posset, veritatem hanc proponere supersedeo: sufficiat modò in memoriam revocare fraudes ipsorum, dum tædiorum ex operatione ad ultimum finem consequentium imagine territant, dum gaudium fingunt in deviatione ab illo; aliasque strophas excogitant, solerter valdè attendendo ad genium cujusvis hominis, observando circumstantias, & occasiones cujusvis lapsui accommodatas. Unde occasionem nos adhortandi arripuit sanctus Petrus: inquiens *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret.*

VII.

O quàm potentes adversarios agunt Dæmones! O quanto-

quantopere cavendum, ne prævaleant. Non prævalebunt *primò* si animo semper infixæ præsentesque fuerint regulæ ac dictamina fidei Divinæ. *Secundò* si per orationem te ipsum Deo commendaveris. *Tertiò* si amore divinæ voluntatis animum obfirmaveris, nihil faciendi contra eam, dummodo tibi innotuerit, sive circa mandata omnibus communia, sive circa ea, quæ privatum cujuslibet statum contingunt, verùm eam semper exequendi, etsi jactura etiam bonorum, honoris vitæque &c. Subeunda esset.

VIII.

Non sistunt hìc Dæmones, procedunt ulteriùs. Nam *Secundò*. Utuntur mundo adjutore; Malorum inquam contubernio, qui per suggestiones suas, quærunt alios abstrahere à fine illo, ad quem Deus illos creavit. Sunt omnes hi scelerum amantes; eosdemque frequenter adhibent Dæmones. *Primò* horum gaudia ac voluptates exhibendo, qui sese rosis coronant, perque omnium voluptatum prata rosas deliciarum collecturi luxuriosè vagantur, edunt, bibunt, ludunt, saltant, atque similibus tantùm exercitiis distinentur. *Secundò*. Cùm magnus sit eorum numerus, multum authoritatis sceleri ab exemplis accedit. Maximè dum timor conjungitur, ne ab his in occasione deseramur, aut damnum patiamur, ne (quod maximum est irritamentum) derideamur, aut ceu ignari, quid bonum sit, exsibilemur. Hinc consurgit fortis illa machina respectûs humani, ex quo toties contra finem sæpius memoratum delinquitur. Etenim oggeritur illud: *Tot ac tanti, viri docti, prudentes, nobiles, in civitate, in aula præstantes mandata Divina non observant: tam multi non amant Deum &c. Possetne fieri, ut totidem deciperentur? cur non horum insistam vestigiis? Væ mihi, si aliud egero! non audebo aliorum frequentare consortium, ero ludibrio:*

brio: in occasionibus, in necessitate destituar auxilio. Debebo in solitudinem me ipsum compingere.

IX.

Utuntur carne, ejusdemque effrænatis desideriis, inclinationibus & affectibus ad voluptates & delicias, hujus sæculi, vitæ hujus mortalis, positas in quinque sensuum lenociniis. Post primi enim Parentis Adæ lapsum, caro Spiritui rebellat, ideoque sanctus Paulus asserit. *Caro concupiscit* (id est malè & vehementer cupit) *adversus Spiritum: sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Unde enascitur appetitus ille boni jucundi, & horror boni molesti. Quid itaque agunt Dæmones? Idem profectò quod Philishæi, qui Samsonem edomare non valentes, adhibuerunt famosam Dalilam. Quæ cùm inordinatum illius amorem allicuisset, elicuit unà ex ore secretum illud, in quo consisteret inexpugnabilis ipsius fortitudo? quod illa inimicis ipsius aperuit, & hâc eum viâ manibus eorum tradidit. Ità & Dæmones carni, objecta ipsi jucunda, & sensibus delectabilia objiciunt: & ratio quæ ceu Domina carni deberet imperare atque obsistere, exin ad ipsi complacendum se sinit abstrahi voluntatemque persuadet, ut sensuum desideriis obsecundet: atque hoc pacto voluntas Deo nòn servit, sed resistit; non amat, sed displicet.

X.

Utuntur objectis sensibilibus, eaque repræsentando quàm possunt vivacissimè cum omni, quod inest, bono: occultando vero malum, quod comitatur, omnimodè affectum ad ea student extorquere. Bonum hujusmodi sunt ex. gr. honores, quorum proponunt splendorem, vanitatem aútem dissimulant: divitiæ, quarum commoda exhibent, tegunt autem spinas solicitudinum: voluptates, quarum depingunt dulcedinem, fel autem amaritudinis abscon-

abſcondunt. Tale & bonum ſunt familiaritates, conſortia, menſæ, converſationes, luxus veſtium, ſomni ſuavitas, amabilitas vindictæ, lucrum avaritiæ &c. Perque horum imagines efficiunt, ut homo modò illa acquirat; aut augeat, vel conſervet, nihil curet Deo in hoc mundo ſervire, atque in altero beatitudinem æternam obtinere; imò O miſeria! probroſum ſibi Deum adoptet ventrem. *Quorum Deus venter eſt* ac paradiſus in terris; tanquam ſi purè animal, & non animal rationale foret.

XI.

Si itaque, mi Lector, ſerium tibi eſt pertingere ad finem, ad quem Deus te creavit, ſta ſuccinctus & armatus, contra hoſtes à me tibi modò commonſtratos: quod præſtare poteris per ſequentes induſtrias, præter plurimas alias, quas boni tàm præcellentis amor tibi facilè ſuggeret. *Prima*, indies ac ſæpius de die Deum precare, ut finis tàm præſtantis memoriam tibi refricet, detque agnoſcere, an conformiter huic fini agas, nec ne. *Notum fac mihi Domine finem meum, ut ſciam, quid deſit mihi. Secunda.* Intentionem, quam potueris frequentiſſimè, ad Deum dirige, offerendo illi omnes actiones etiam minimas, ac proteſtando, quod vitam tuam ad ultimum finem, propter quem te Deus creavit, velis dirigere: optando, ut omnia tua verba cogitationes opera labores ac dolores huc tanquam ſagittæ ad ſcopum colliment. *Tertia.* Quære gaudium tuum in oratione tàm mentali quàm vocali. Et *Prima* orationis ſpecies conjuncta cum æternarum veritatum conſideratione excitabit voluntatem, ne faſcinari ſe patiatur à Dæmone, mundo & carne. Ex *Secunda* ſpecialem erga Deum affectum acquires, maximè ſi illa animata fuerit verbis ſacræ Scripturæ utì pſalmis, oratione Dominica, ac ſalutatione Angelica, quo genere Deum ſimul laudando, incredibile eſt, quantum animus in amore

Divino

Divino corroboretur. *Tertia* industria. Frequenter confi tere; quò enim sæpius peccata tua, quanquam levia, dete status fueris, hoc ampliùs ab amore rerum caducarum ab straheris, considerans quòd inducant ad Deum, aut gravi ter aut venialiter offendendum.

XII.

Concludo per pauculos versus, quos Italicè simplic quidem sed devotissimo stylo composuit Lopez di Vega quibus simplicissima veritas continetur. Imprime eo memoriæ, serviéntque finitis exercitiis, ad acuendum in te vivum semper desiderium obtinendi ultimum finem propter quem à Deo creatus fuisti: ecce illos in latinos ver sus translatos.

Mortalis! ad quid natus es?
 Lex usque certa mortis;
Carere cælo dura res,
 Heu fata duræ sortis!
Me fata possent volvere
 Heu serò lacrymanda;
Non me velim resolvere
 Ad vana despicanda?
Quid tracto, quid considero
 An sanctus esse quæro?
Caduca si desidero,
 Agor furore vero.



LECTIO SPIRITUALIS PRO TEMPORE POMERIDIANO primi diei Exercitiorum Spiritualium.

I.

EXtra omne dubium eſt, quòd Deus ſummopere exoptet, ut creatura rationalis agat conformiter ultimo fini, propter quem Deus illam creavit. Eſſet enim aliàs finis creationis illius fruſtraneus: quod mens ſana cogitare horret: extra omnem enim controverſiam eſt, quòd Deus & natura nihil faciunt fruſtra. Hoc non obſtante conabor omnibus viribus hoc Dei deſiderium amplius elucidare. Et quanquam ſevera illa de Dæmonibus, Adamo, Eva aliiſque qui ſemel tantùm contra hunc finem peccatum grave admittendo prævaricati ſunt, ſumpta ſupplicia, veritatem hanc ſatìs declarent; quæ tamen & hìc ſuggeram, attento animo ponderari rogo.

II.

Indubitatum eſt, Deum ſeriò velle, ut creaturæ irrationales juxta propoſitum ipſis finem operentur; vult ſolem & lunam ſplendere, ignem calefacere, aquam humectare, terram fructus ſuos producere, & animalia illud præſtare, propter quod à Deo in orbe poſita ſunt. Oportet itaque concludere, quòd pariformiter velit, creaturam rationalem idem præſtare. Idque eò ampliùs, quòd duo hìc comprimis notanda veniunt.

III.

Primum, quòd ſpecialia adjumenta ad finem hunc

aptata ipsi subministravit. Etenim omnes sub cælo crea turæ, quemadmodum hoc manè meditatus fuisti, medi sunt à Deo ad hoc ordinata, ut homini serviant ipsiqu conducant ad operandum juxta voluntatem suam. *Omni subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universos, insupe & pecora campi: Volucres cœli, & pisces maris, qui per ambulant semitas maris.* Psal. 8. Accedunt dona cujusqu propria: Ingenium, judicium, remorsus conscientiæ, sti mulus honestatis, timor pœnæ, inclinatio ad bonum a que alia hujusmodi: non enim omnia vel ex minima part dicendo comprehendi possunt. Quivis ea percurrat anim consideretq; quæ à Deo receperit. Equidē existimo firm ter persuasus, Deum cuilibet id, quod habet, speciali aff ctu deputavisse, eligendo hoc præ altero: ut his aut ill instructus sive vir sive mulier meliùs ad finem creation suæ pertingat. Uni quidem paupertatem præ divitiis: a teri tantas & non majores; uni nobilitatem generis pr ignobilitate, uni ingenii acrimoniam præ hebetudine, a teri verò contrarium, *Omnia in vero judicio fecit: omni in numero pondere & mensura*: atque ita qui natus est e his parentibus præ aliis, noverit, Deum habuisse persp ctum, quòd illud ipsi præ altero (modò beneficio uti vo luerit) conducibilius erat ad consequendum ultimum f nem: *ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

IV.

Præit Deus exemplo Regi sapienti, qui archistrategu destinando ad expugnandam urbem aliquam, eidem pro videt etiam de militibus, armis, nervo bellico, annonâ, au thoritate, deque omnibus necessariis. Ex qua amplâ a varia provisione quivis colligit, quòd seria ipsi sit civitat illius expugnatio, unicus finis, ob quem de tanto ipsi appa ratu providet.

V

V.

Hæc itaque applica & conclude: quòd, ſi Deus non curaret, utrum homo propter finem memoratum agat, ad quid univerſi creatio? Si autem illud creavit, conclude, quòd ſeriò deſideret, ut homo ob idipſum operetur, quod eum induxit ad tot illi adjumenta procuranda ſimul & conſervanda, prout & conſervabit uſque ad mundi finem. Atque hæc quidem dicta, conſideratis etiam tantummodò mediis, quæ continentur intra ordinem naturæ. Quod ſi nunc voluerimus attendere illa, quæ pertinent ad ordinem gratiæ ſupernaturalis, quomodo erit conceptibile, Deum non intendere ut homo in hoc mundo prædicto modo vivat, ut in altero felicitatem æternam promereatur? mediis ipſum quotidie ad hunc finem conducentibus inundat; Tot immittendo inſpirationes, inſtituendo Sacramenta, tot miniſtrando exempla proborum, ut eadem ſequatur, & malorum ac punitorum, ut iis à malo abſterreatur, tot prædicationes, tot admonitiones, tot pietatis inventiones, tot peccatorum condonationes, tot præſervativas à peccati recidivâ: his omnibus conſideratis quid inferri poteſt, quàm iſtud; *Deo verè cordi eſt, ut homo ad cœlum pertingat, poſtquam illum hic in terris laudaverit, amaverit, eique ſerviêrit.*

VI.

Secundum, quod notatu dignum eſt, quod Deus omnia, quæ creavit, ad gloriam ſuam creaverit. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt.* Prov. 16. *Creavit Dominus omnes gentes in laudem & nomen, & gloriam ſuam.* Deut. 26. Unde toties creaturæ in pſalmis invitantur ad ipſi benedicendum: maximè in ultimis tribus pſalmis Davidicis: & in Cantico trium puerorum in fornace Babylo-

bylonicâ, quæ omnia eò tam frequenter in Ecclesia decantantur, ut punctum hoc omnium animis imprimatur, utpote cujus memoriæ renovatio est maximi ponderis. Et quid hinc inferendum? nisì quòd, quantumlibet homo detrectaret esse beatus in cœlo, illud tamen Deus intendat, quoniam ipsum in hunc finem creavit, conservavit, ac redemit, ut ab ipso in æternum gloriam reciperet. Quod ulteriùs explico.

VII.

Magnus à Rege collatus est honor illi aulico, quem primi ministerii dignitate honoravit. Quod si is interim officium suum non satageret adimplere, non excusabitur dicendo, quòd parvi suâ intersit hujus officii ratio. Etenim oggerendum illi foret, quod si tu non curas hanc dignitatem, Rex tamen curat, utpote ad cujus Majestatem pertinet, ut, quotquot aulam ipsius subeunt, videant non deesse ipsi ministrum tam sublimis characteris: ad illius pertinet majestatem splendidum habere comitatum, sumptuosas epulas, pretiosas picturas, magnum famulorum syrma, diversitatem officiorum, Archithalassos, Strategos, Senatores, Consiliarios, Secretarios, Musicos, Hortulanos, Venatores &c. Quibus equidem honoratissimis muniis etsi non esset oblectandus is, qui ea administrat, talium tamen ministròs adoptat Persona ista Regia, quam Majestatis suæ cura tangit, cui debitâ cum magnificentiâ curat in publicum prodire. Idem cum proportione dicendum de Rege illo Regum, de Deo: Posteaquam Deus universum hoc creando, dignatus est sese manifestare creaturis, atque amplam pandere curiam cœli Empyrei, voluit in eo etiam ceu Deus honorari. Eundemque in finem creaturas quasdam condidit, quas intellectu donando capaces effecit cognoscendi ipsius perfectiones, easque per voluntatem amandi; proindeq; quia creaturas reliquas ratione ac liber-

tate

ate orbatas dignitate antecellunt, majorem etiam ab ipsis
gloriam sibi deferri exigit: *Cui plus datum, plus requiretur ab eo.* Creaturas ratione destitutas ex necessitate juxta
inclinationes suas operari acquiescit: ideoque canit David:
Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiant firmamentum: quibus verbis insinuare cupit,
quòd cæli stellæque Deo gloriam tribuant conformiter naturæ suæ splendendo, orbes suos girando, influxusque
proprios destillando, agendoque id quod possunt agere;
quod ipsum potuisset dicere de terrâ, aëre, aquâ, igne,
plantis, bestiis deque omnibus aliis creaturis similibus;
operantur enim omnes ad gloriam Dei, operando juxta naturam suam. Aliam autem gloriam requirit Deus à creaturis suis intellectualibus ac libertate præditis, cujusmodi
sunt homines, & quales fuerunt Angeli in primo instante creationis suæ, consistitque in liberâ & non coactâ,
donec in viâ fuerint, voluntatis Divinæ adimpletione,
quam ubi impleverint, ad statum beatitudinis elevabuntur Deum videndo, itaque ipsum in cælis æternùm glorificando.

VIII.

Ex hoc discursu licet tibi dignoscere, mi Lector, quantopere Deo cordi sit, ut opereris juxta finem, à quo ipse
permotus fuit ad te in mundo collocandum: *In gloriam meam* (omni potest homini dici) *creavi eum, formavi eum, & feci eum.* Isa. 43. Quem si finem Deus non obtinet, ecce quid sequitur? Jacturam adit unius, qui totâ ipsum æternitate, cognoscendo ipsius amplitudinem, amando bonitatem, exaltando magnificentiam glorificet. Et è
contrario æternis ignibus adjudicandus, utpote animâ
immortali præditus, cœli autem incapax peccator, erit,
qui æternùm ipsi maledicat, blasphemet, oderitque, O
casum lacrymabilem, tot Angelorum milliones à Deo

creati, ut ipſum æternum laudent, oderunt eum, æternóque odio proſequentur, & viciſſim à Deo habentur, habebunturque æternum odio. Et idem erit tot hominum millionibus. Equidem conſtat, gloriæ Dei eſſentiali hinc nihil demendum: magna autem gloriæ accidentalis, in quantùm à creatura provenire poteſt, jactura ipſi irrogatur; dum interim eam non eligit, ſed tantummodo permittit ad angelicæ atque humanæ libertatis conſervationem: magna inquam gloriæ accidentalis jactura in tot Angelorum ac hominum millionibus, æternùm futuris in inferno ipſius inimicis.

IX.

Exiſtimo me commonſtrâſſe ſatis, O Lector, quantopere Creatori noſtro cordi ſit, ut ultimo fini noſtro correſpondeamus. Nunc curæ tuæ erit, ut omnibus nervis ad eum aſſequendum contendas. Et ſiquidem conſecutio illius à bono uſu creaturarum dependet, bonus autem earum uſus eſt, dum adhibentur conformiter ſacræ præſcriptæ nobis ab ipſo legi, utere iis tanquam mediis ad finem tàm nobilem, noli eas extrahere à conditione medii, finem in iis tibi proponendo, aliàs enim peccator eris & prævaricator.

X.

In eâdem ſcalâ, quæ Jacobo Patriarchæ exhibita fuit videbantur alii aſcendere, alii deſcendere. Quâ figurâ creaturarum in hoc mundo diverſa exprimuntur ſtudia. Hi qui aſcendebant, repræſentant eos, qui creaturis utuntur ceu mediis, quibus aſcendant ad Creatorem. Et tales ſunt omnes juſti. Utuntur luce Solis & Lunæ, utuntur influxu ſtellarum, utuntur cibo, ſomno, veſtitu, talentis naturalibus, ſenſibus corporeis & potentiis animæ verbo omnibus, utuntur amicis, ſociis, converſatione, divitiis, honoribus &c. tanquam gradibus ſcalæ ducentis

ad Deum ; ad horum largitorem perpetuò laudandum. Contra perversi utuntur eisdem pro descensu ad infernum, ubi æternùm execrabuntur ac blasphemabunt horum donatorem. Qui hæc legis, priorum velis esse è numero, ut post finem vitæ ad mortem properans gaudere possis de bono creaturarum à Deo concessarum usu, ad exemplum viri illius de Societate JEsu. Fuit is frater laicus, officio sartor, nomine Franciscus Hortulani : cujus vita continuum fuit eximiarum virtutum exercitium : mors autem sequentibus fuit memorabilis. Jam jam animam Creatori redditurus avidissimè expetebat, ut illa sibi afferretur acus, quâ tot annis in munere suo usus fuisset, exclamans ; afferte mihi acum, citò præbete mihi acum. Delirium credebant astantes ; verùm tale non fuisse exitus comprobavit, afferebatur ergo acus ; dum interim suspensa erat astantium exspectatio, quis tam fervidæ petitionis exitus esset futurus ; allatâ acu, illicò patuit mysterium, etenim Franciscus animo vultuque lætitiâ perfuso in affectu plenum cum acu sua colloquium erupit, eique gratias egit, quoniam ex usu illius manifesta sibi spes brevì in Paradiso comparendi affulgeret. Quare hanc irretorto aspectabat vultu, reverebatur osculis, apprimebat pectori, ac mille pietatis plaususque affectibus indulgens beneficium ipsius prædicabat, ut quæ sibi tanti in morte jubili foret origo. Volebat omni procul allegoriâ significare, quod bono instrumenti hujus usu, ad finem nempe, in quem Dei voluntate sartorio applicatus officio illud converterat, cœlum sibi lucratus fuisset.

XI.

Hoc tibi exemplum serviat, ut discas creaturis à Deo tibi concessis in statu tuo uti, ut earum in articulo mortis reminiscens, causam etiam habeas easdem prædicandi ac laudandi, ut quæ tibi usui fuerint ad lucrandum cœlum.

XII. E-

XII. Equidem non dubito, quin Josue, David ac Judas Machabæus suis sæpe ensibus benedixerint, eò quòd ei adversus Dei hostes juxta voluntatem ipsius usi fuerunt atque ita gloriam æternam promeriti; Utì & piissima Judith mundo suo muliebri, quo non ad vanitatem usa, verùm pro nobili illo fine, ex quo Holofernis tentorium subivit, ut hostem scilicet gentis electæ capite truncaret. Similiter S. Josephus Sponsus B. V. dolabris suis, malleis, ac securibus, quorum beneficio Sacram sustentavit familiam. Ita S. Thomas aliique Doctores libris suis & calamis. Ita S. Joannes Eleemosynarius nummis suis. Similem, vitas Sanctorum percurrendo, theoriam exerce, atque hinc postea illationem practicam forma; quòd creaturæ [*quarum tibi Deus tantùm usumfructûs dedit*) solummodo tibi debeant deservire ad ipsius in terris voluntatem perficiendam, ut illo porrò gaudeas, ipsumque æternum laudes in cœlis. Quod si non feceris, sub mortem videns te ad gloriam Dei minimè convertisse ingenium tuum, dignitates, thesauros, regalemque potentiam; ingemisces cum Henrico VIII. *Amici perdidimus omnia:* Præservet te Deus à tam desperato sensu: Et licèt similia ore non sis prolocuturus, interiùs tamen conscientia exprobrabit tibi similia, qualia objecit quondam Deus populo prævaricatori: *Tulisti vasa decoris tui* (quibus verbis quàm multa comprehenduntur!) *de auro meo, deque argento meo, quæ dedi tibi, & fecisti tibi imagines, & fornicatus es in eis: & sumpsisti vestimenta multicoloria, & operuisti illa, & oleum meum, & thymiama meum posuisti coram eis. Et panem meum, quem dedi tibi, & oleum & mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis.* Ezech 16. Verba omnia sunt, quibus tanquam in archetypo repræsentatur usus perversus creaturarum, eorum, qui pro fine ultimo sibi statuunt creaturam, utque illi placeant, illamque honorent, Deum despiciunt, ac obliviscuntur. Lege totum caput, utì & Vigesimum sextum ejusdem Ezechielis.

LECTIO

LECTIO SPIRITUALIS PRO TEMPORE MATUTINO Secundi diei Exercitiorum Spiritualium.

I.

SÆpius animum peccatoris considero ac perscrutor; videorque mihi ex ipso colligere, quòd, quantumcunque se de peccatis dolore, eorumque gravitatem bene percipere, protestetur; ipso tamen opere dictis suis non respondeat: Quare magnopere metuo, ne pluribus hujusmodi Deus iratus, respondere possit; *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Ne autem, mi Lector, his aliquando annumerandus venias, propono hìc legenda, quæ verè pœnitentes de peccatis suis aliquando fecerunt. Omnia descripta sunt à S. Climaco *in quinto gradu scalæ suæ.*

II.

Præmittit narrationi suæ Sanctus ille parænesin sequentem: *Concurrite & accedite, venite & narrabo vobis omnes qui irritâstis Deum; congregamini, & videte, quanta ad ædificationem ostendit Deus animæ meæ.* Multa dein pœnitentiæ Spectacula enarrat, è quibus quædam verbis ipsiusmet deprompta excerpam. Itaque ait: *Cùm pervenissem ad pœnitentium monasterium; Vidi revera, si dicere id audeam, quæ negligentis oculus non vidit, aurisque desidiosi non audivit, & in cor pigri hominis non ascenderunt... quosdam enim ex reis illis vidi noctibus totis usque manè sub dio stare pervigiles, pedesque immobiles tenere; cumque somno miserabiliter depressi agitarentur, vim naturæ inferre, nullamque sibi ipsis requiem omnino indulgere, sed se ipsos increpare, ignominiisque & contumeliis*

afficere atque excitare... alios in oratione existentes ac re-rum in morem vinctis post terga manibus humi lurid... facies suas inclinantes.., nonnullos in pavimento strato ci-licio & cinere sedentes, ac faciem genibus operientes, fron-temque in terram collidentes. Alios jugiter pectora tun-dentes, animamque suam ac vitam suspirio ingenti revo-cantes. Ex his alii quidem pavimentum madefaciebant lacrymis, alii verò quia lacrymarum imbres non haberent, seipsos miserabiliter lamentabantur... Vidi ego illic non-nullos habitu & cogitatione & actu, quasi à semetipsis ex-cessissent, ac stuporem mentis incurrissent , veluti ænei quosdam summo ex mœrore effectos, totos tenebris obsitos, & ad omnia vitæ hujus veluti insensibiles factos... Vidi illi animas humiles & contritas & præ gravi pondere incur-vatas ac dejectas , quæ vocibus illis suis ad Deum emissi lapides quoq; ipsos ad compunctionis sensũ emollire potuis-sent. Ita enim *defixis in terram luminibus ajebant: novi-mus sanè, novimus, omnibus jam pœnis ac cruciatibus nos esse dignissimos. Et meritò quidem: neque enim idonei jam sumus, qui pro debitorum nostrorum multitudine satisfa-cere possimus , etiamsi orbem universum, ut pro nobis lu-geat, convocaverimus. Istud solùm oramus, istud depreca-mur, id totâ animi intentione supplicamus , neque in ira tua arguas nos, neque in furore tuo corripias nos , neque justissimi judicii tui legibus excrucia nos....* Illic *profe-ctò, O dulcissimi amici, verba David rebus ipsis cernere-tis impleta, ærumnis affectos homines , atque usque in fi-nem vitæ incurvatos , totisque diebus mœstos incedentes & ex putrefactis corporis partibus fœtorem exhalantes qui quasi sine ulla carnis cura degerent , obliviscebantu comedere panem suum, potumque aquæ cum gemitu misce-bant , & cinerem cum pane manducabant. Adhæserun illorum ossa carni , ipsique ut fœnum exaruerant , nec quidquam apud illos audivisses, nisi hæc verba: Væ! væ*

me

e miserum! Juste, juste, parce, parce Domine. Nonnulli iserere dicebant: alii miserabiliùs clamabant, ignosce, nosce Domine, si possibile est: Vidisses in illis æstuantes nguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alii sub rdentissimo solis æstu se ipsos cruciabant. Alii contra acerrimo frigore se affligebant. Quidam modicum aquæ degu-antes ne omnino siti exarescerent, ita quiescebant. Non-ulli cum panis exiguum quid accepissent, reliquum ma-u longiùs projiciebant, indignos se, qui rationali cibo ves-rentur asserentes, quippe qui irrationabiliter egissent.... eterum jugiter ad Dominum clamabant, solaque oratio-is vox audiebatur: alii enim pectus validè manibus cæ-entes, quasi jam ad ipsam astarent cæli januam, ad Do-nium dicebant: aperi nobis Judex januam. Aperi nobis, x quo illam nobisipsi per peccatum clausimus. Clamabat lius ostende faciem tuam tantùm, & salvi erimus. Alius contra appare his, qui in tenebris & umbra mortis sedent umilibus tuis. Alii rursus: citò anticipent nos misericor-liæ tuæ, quia pauperes perimus, quia desperavimus, quia imiùm defecimus.... Pergit porrò: quid autem est eo-um, qui Dæmonibus arripiuntur, si illis conferatur, af-lictio? quid mortuos plangentium amaritudo? quid mœ-ror in exilio degentium? quid parricidii reorum pœna? nihil sanè est illorum pœna suppliciumque, quo inviti afficiuntur, si voluntariæ istorum pœnæ conferantur. Sed quæso fratres, ne ea, quæ dicta sunt, fabulas existimemus. Rogabant nonnunquam isti magnum istum Judicem, Pastorem, dico, inter homines Angelum, ut ferrum ac torques collo ac manibus imponeret, pedesque patientium constringeret ligno, nec eos priùs inde solveret, quàm sepulchrum succederet; immò verò nec sepulchrum quidem. Neque enim profectò hanc quoque beatorum illorum reverà mirabilem ad Deum charitatem atque pœni-

tentiam abſcondam. Quoties ad Dominum profecturi, & incorrupto tribunali Judicis ſiſtendi erant, felices illi regionis pœnitentium cives, hoc per eum, qui ſibi præerat, adjurantes à magno illo ſummis precibus petebant, ne ſepulturâ humanâ dignarentur, ſed brutorum inſtar aut fluvialibus undis traderentur, aut in campum projecti beſtiis devorandi permitterentur.... cùm verò extrema illorum hora adveniſſet, terribile omnino miſerandumque ſpectaculum cerneres. Nam cum eum, qui ſe præceſſiſſet, efflare jam animam ſenſiſſent, ſocii ſenſu integro adhuc vigente circumſtabant illum ſiti æſtuantes & lugentes ac deſiderii pleni, miſerabili omnino habitu mœſtioreque ſermone capita ſua commoventes, efflantem jam animam interrogabant, miſericordiaque flagrantes ajebant ad illum: quid eſt frater? quonam modò tecum agitur, quid dicis, quid ſperas? quid ſuſpicaris? percepiſtine ex labore tuo, quod quærebas? aut non valuiſti? perveniſti ad portum, aut nondum potitus es ſpe tuâ? accepiſti certam aliquam fiduciam, an adhuc incertâ ſpe fluctuas?... ullane tibi vox intrinſecus facta eſt, dicens: ecce ſanus effectus es, aut dimittuntur tibi peccata tua, aut fides tua te ſalvum fecit? illamne tibi adhuc vocem audire videris: convertantur peccatores in infernum? & ligatis manibus & pedibus mittite illum in tenebras: & tollatur impius, ne videat gloriam Dei? quid ais frater? dic nobis, oramus, ut & nos ſcire poſſimus, quidnam illic nos maneat: tuum quippe tempus jam clauſum eſt, aliudque de cætero in æternum non invenies. Ad hæc quidem alii dormientium, Benedictus, ajebant, Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum; alii verò gementes dicebant, forſitan pertranſibit anima noſtra aquam intolerabilem. Quod nondum confidentes ajebant, ſed conſiderantes, quàm ſit pavendum illud terribile, incertumque judicium. Alii verò etiam mœſtius quiddam reſpondebant ac dicebant: Væ animæ illi, quæ non ſervavit profeſſionem ſuam integram & im-

& immaculatam, hac enim tamen horâ sciet, quid illi præparatum sit.

III.

Narrationem istam hìc posui, non alio fine, quàm ut videas, quid de vel uno peccato mortali sentiant animæ verè pœnitentes, quaq; temporali etiã pœnâ illud dignum existiment: neve admisso aliquando peccato mortali (& quid dicendum si illis totus coopertus fores, sine cura illius vivas, nihil solicitus post hæc pro eodem Deo satisfacere. O miseram hominum cæcitatem! O vilem peccati æstimationem! dum quidam, tanquam nunquam peccâssent, pœnitentiæ vivunt immemores, quin & concessum pœnitentiæ tempus peccatis multiplicandis impendunt: de quibus verum est illud Jobi cap. 24. *Dedit ei spatium pœnitentiæ, & eo abutitur in superbiam.* dicit *in superbiam*: Est enim talis in veritate: maximâ enim sæpe peccator elatus est superbiâ, tumidus suî æstimatione: ad minimum despectum maximè sensibilis, maximè in personam suam delicatus, maximè amans commoditatum, maximè voluptatibus deditus, totus in quietem otium, delicias propensus: verbo, talis, quasi nil Deo deberet, quasi primo se peccato obstringendo imò plura reiterando mali nihil admisisset.

IV.

Dum interim potiùs ceu verba sibi propria adhibere deberet illa S. Pauli: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo!* aut verò illa Davidis. *Peccatum meum contra me est semper.* Animam perpetuò contritam, quia Deum offendit, exhibendo: *Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum.* O Petre, quam tu Personam assumpsisti, negato à te Magistro tuo! *Egressus foras flevit amare.* Et tu Magdalena pœnitens? *Ut cognovit, lacrymis suis*

ſuis rigavit pedes ejus. Et tu rurſum David? *per ſingulas noctes lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Verùm quantùm heu abſumus à tam præclaris exemplis? Exercitia Spiritualia tranſibunt; meditatus fuiſti de gravitate peccati mortalis, perages de iis confeſſionem generalem, non auſim interim mihi promittere, quòd non ſis rediturus ad priſtinas iterum ſpurcitias, *canis ad vomitum.*

V.

Attende itaque, ad quid te adhorter: hortor illud, quod hortatus eſt Præcurſor Domini. Lavabat ille peccatores ad ſe accurrentes, *confitentes peccata ſua*, verùm non acquieſcens confeſſioni huic ac lotioni facili & tranſitoriæ, monitum jungebat ſequens, *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Lucæ 3. Id eſt: geras ita te quoad exteriorem etiam ſpeciem, ut interior appareat pœnitentia, ſæpe plangendo peccata, ſæpe deteſtando, ſubtrahendo tibi licitam etiam aliquam voluptatem, perferendo adverſitatem, infortunium, dolores, atque acerbitates de die occurrentes: affligendo corpus pœnitentiis, jejuniis, diſciplinis, ciliciis cum conſilio Patris Spiritualis: præ omnibus verò omnes peccandi occaſiones vitando: conare tantum ſaltem boni facere, quantum feciſti mali; peccati odium & amorem Divinæ gratiæ nunquam ab animo dimitte: ad hæc itaque te exhortor: quibus interim ſervatis etſi multum adhuc abfuturus ſis ab his, quæ relati ſupra monachi ſancti Climaci peregerunt, ſaltem feceris aliquid, unde appareat te eſſe pœnitentem, de peccatis contritum, amarâ peccatorum memoriâ occupatum, quæ propria eſt peccatorum medicina: *Nullum peccatorum invenitur tale remedium, ſicut eorum continua memoria.* Teſtante ſancto Chryſoſtomo homil. 33. in cap. 12. ad Hebr.

VI.

VI.

Quod ſi hac ratione peccata conſiderares, crederem te magìs fore ſolicitum de lucrandis indulgentiis, de intranda Congregatione aliqua pœnitentium, de miniſterio obeundo in noſocomiis, de repetendis actibus contritionis, de examine conſcientiæ, deque aliis exercitiis pietatis abſque omni timore reſpectûs humani: Verè enim pœnitens illo nihil terretur: cujus exemplum illuſtre habes in S. Franciſco Borgia, qui cùm cognomen peccatoris adoptâſſet, ſéque ut talem gereret, omnes peccatoribus debitas pœnitentias affectando & implendo, nihil hominum movebatur judiciis aut ſermonibus, optabatque, ut contra ſe procederetur tanquam contra eum, qui aliquando fuiſſet Dei inimicus & contemptor. Hic verus eſt pœnitentis affectus cujuſvis peccatoris animo inſculpendus. Peccavi: & an Deus peccatis meis veniam indulſerit, ignarus ſum: verùm indulſerit; vel ſolum periculum recidendi, meritò me perpetuo contineat in timore: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu; & ne adjicias peccatum.*

VII.

B. Aloyſius Gonzaga innocentem vitam duxit, unicum illius peccatum fuit, ante ſeptimum ætatis annum enuntiâſſe verba aliqua indecentia, qualia audiverat ex militibus Marchionis Sereniſſimi ſui Parentis, non intelligens interim, quid loqueretur: & nonnihil pulveris eorundem ex pyrothecis abſtuliſſe, interim ſatis perſuaſus erat quod ſibi petituro ille non fuiſſet negandus. Verùm quid fecit? primam faciens confeſſionem animo toto contrito, & per reliquam totam vitam pro grandi peccatore ſe accuſavit, & ceu talem aſperis pœnitentiæ inſtrumentis ſeſe caſtigavit: inſpice, & fac ſecundum exemplar,

ſer-

ſerviêrunt hæ pœnitentiæ Aloyſio ad præſervandum ipſum à lapſu : pro nobis ſervient ad perſeverandum,& ad ſatisfaciendum : ſervient porrò homini Deum animanti ad commonſtrandum hominibus in terris, Angelis in cælis, Dæmonibus in inferno, quantum ipſi diſpliceat offenſa Dei infinito amore digni : *pœnitet* (profanus canebat poëta) *& facto torqueor ipſe meo.* Ama itaque tormenta tibi inferre peccatorum tuorum causâ, ut cælo gaudium concilies : *gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente* : Modoque etiam ſpeciali, Deum obligabis ad ad peccata tua condonanda, gratiamque concedendam, ne relabaris.

VIII.

Hæc & multò majora à te præſtanda ſpero. Dum interim plangis peccata tua, non huic planctui acquieſcas, verùm ſemper peccata tua in memoriâ circumfer, idque ſtudioſiſſimè tibi commendatum peto, prout illud magnæ alicui Dominæ commendavit Gregorius Magnus : *Secura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cùm jam die vitæ tuæ ultimo plangere minimè valebis ; quæ dies quouſque veniet, ſemper ſuſpecta, ſemper trepida, metuere culpas debes, atque eas quodidianis fletibus lavare.* lib. 6. Reg. Epiſt. 22.



LECTIO

LECTIO SPIRITUALIS PRO TEMPORE POMERIDIANO Secundi diei Exercitiorum Spiritualium.

I. Meditatio de morte, in lectore meo, suum, uti spero, propriumque ipsi effectum sortita fuerit, qui est: disponere meditantem, ut omni tempore sit paratus ad mortem, semper in gratia Dei & à peccato lethali immunis: In quo substantialis ad tremendum hunc articulum præparatio consistit. Quia autem plurimis indulget Deus in lecto, præeunte morbo mortis prodromo, mori: ita ut mors ipsis aut non inopinatò accidat, aut saltem non repentina videatur, de puncto quodam maximi momenti hìc mihi videtur monendus exercitans. Estque hoc: quod multi malè vivant, cum proposito, rationes cum Deo ineundi, cognito migrationis instantis tempore, itaque securè in gratiâ Dei ex hac vita ad cælum migrandi. Quantùm verò ad purgatorium attinet, curâ omni sese exsolvunt, confisi in agnatorum præsidio, quod procuratis sacrificiis, ad quæ ex testamento obligabuntur, brevi sint liberandi: quòd si etiam diuturnas ejusdem flammas ad multos annos subeundas habuerint, consolantur se earum fine. Ita illi.

II. Auditâ hac loquelâ, nemo non, qui aliud non noverit, meritò cogitabit, grandi aliquo negotio hujusmodi homines distineri, propter quod dignum æstiment, exponere sese gravissimis pœnis purgatorii, periculo inferni, & jacturæ omnium meritorum tot vitæ annorum. Qui autem attenderit ad ea, quibus sermones isti tam malè fundati, consiliumque fallacissimum innituntur, stupore merito defixus hæreat, sicque aliquo salutis animarum zelo tangatur, amarissimè meritò indolebit. Et quid est istud, quod in tam inconsultum tales consilium impellit? dicam;

cam; sola ad peccatum, cui tot annis assueverunt adhæsio, hanc ab illis loquelam exprimit.

III. Ego autem exclamando percontor ab iis: an ergo peccatum res est tam præstans, tam excellens tam gloriosa, tam utilis, tam honorifica, ut te inducere possit ad propositum vitam virtutibus vacuam ducendi, teque purgatorio obnoxium faciendi, aut etiam inferni post mortem periculum adeundi? Propter unam inhonestatem (quam modò solam tango, quia heu! nimis quàm verum est, hoc peccatum maximè frequens esse, & infernum damnati implere) propter unam inquam inhonestatem, vitium tam abjectum, ut natura & decentia non permittat illud palàm committi, tantùm amas periculum, tam grave discrimen adis? propter inhonestatem aliquam, quam quivis in alio detestatur, senes in juvenibus, juvenes ipsi in senibus? itane ergo pro una inhonestate magnam illam cæli mercedem, lucrum amplum, præmium inexplicabile repudiabo ita quidem, ut ex hac vita ad alteram transiturus, videm me in perpetuo Dei odio vixisse, excepto hoc unico ultimo vitæ articulo, in quo confido me habiturum occasionem ritè confitendi, omni interim totius præteritæ vitæ merito destitutum me eligam deprehendere: unde permisso, quòd post longas purgatorii pœnas cælo potiturus sim ergone loco interim omninò humili velim persistere, totaque æternitate vivere orbatus gradu altissimæ gloriæ quam alioquin bene semper viventi Deus erat paratus tribuere? pro una, inquam, inhonestate? quis istud serio perpendens non verecundetur, de amentia sua in æstimando objecto tam indigno, aut de perversitate affectûs tali inordinati, aut de animi sui abjectione in tam fœda cloaca, tam indigna absurdaque voragine perseverare volentis.

IV. Nunc porrò videamus, an illi fidere liceat, quod inhonesti prætendunt affectus: quod si aliis peccatis, quem ad

admodum vindictâ, injustitiâ aliave culpâ implicatus fueris, applica id, quod exempli loco dico de sordissimo illo impuritatis affectu (quod si verò Religiosus fueris, applica ad habitualem tuam tepiditatem & regularum transgressiones) videamus quàm securum sit, emendationem ad ultimum usque differre. *Primò* quidem hi, qui sic rationantur, videntur mihi pergere per viam eorum, qui Deum habent ludibrio, cælumque nihili faciunt, ut genio tantùm suo indulgeant. Quòd si autem mors secura illis promitti potest, ad quid tantopere Dominus, vitæ commendavit integritatem, ad quid tantopere ad sectandam ubique justitiam, mandatorum observantiam, in omnibus operibus perfectionem adhortatus fuit? quo vitam Christiana Religione dignam tantopere perpetuò commendat? cur omnibus Christi voluntas prædicatur? nunquid præstaret tacere illa in Cathedris? nonne sat foret proclamare, quòd quivis possit ad genium suum vivere, cælum obtineri unâ alterave horâ sub finem vitæ impensâ confessioni? Verùm *Deus non irridetur.* Novit Deus hanc plurium peccatorum malitiam, & nôsse se insinuavit, & quid ipse facturus sit addidit. *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* & verò pueriles sunt fabulæ adducti illi suprà peccatorum discursus, *& stulti ea, quæ sibi noxia sunt, cupient?* sunt deliria, *& imprudenter odibunt scientiam?* sunt temeritates. Vera ad DEUM conversio non est procrastinanda. *Convertimini ad correptionem meam: & proferam vobis Spiritum meum, & ostendam vobis verba mea.* Quid porrò inquit, quid dicit Deus? *quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo vos, & subsannabo cum vobis id, quod timebatis advenerit: cum irruerit repentina calamitas & interitus quasi tempestas ingruerit,*

quando venerit super vos tribulatio, tunc invocabunt me, & non exaudiam; mane consurgent, & non invenient me, eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ: comedent igitur fructus vitæ suæ, aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos. Proverb. 1. *Ecce agnoscit Dominus, quòd peccator velit ipsum deridere, verùm ludibrium non suffert. Deus non irridetur.* Protestatur à se in morte deserendos & abjiciendos esse, qui animum obstinarunt ad inimicitias tàm diuturnas contra ipsum. Novit Dominus confessionem hujusmodi non ex sincero ipsius amore profecturam, utpote ab his, qui ipsum spreverunt, neque ex vero peccati odio, quod perditè deperiêrunt; verùm ex puro putoque in infernum delabendi timore; timore serviliter servili. Proindeque simili ratione Deum tractanti eveniet id, quod Antiocho Regi sceleratissimo evenit. *Dei virtutem in semetipso contestans, ita ut de corpore impii, vermes scaturirent, & viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius, & fœtore exercitus gravaretur: & qui paulò ante sydera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divinâ admonitus plagâ, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus, ita ait: Justum est, esse subditum Deo* (ita tunc se coram Deo humiliabat) *& mortalem non paria Deo sentire.* 2. Machab. 9. Et nihilominus tot contritus doloribus, Divinæque sese misericordiæ commendans (O verba terribilia, sed verissima) *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* Quid tibi videtur, mi Lector, de hoc eventu? est hic de fide, Deusque ad instructionem nostram, memoriam illius in sacris litteris superesse voluit: quare acclamo tibi: cave, ne idem te maneat exitus: *In peccato vestro moriemini,* dixit

dixit Chriſtus, quia nec vult nec poteſt derideri aut haberi ludibrio.

V. Timeo, ne horâ illâ de plangendis peccatis tuis minimè ſis futurus ſolicitus: nimiopere illis adhæſiſti, quomodo itaque ſpondere tibi poteris, te eas eſſe voluptates habiturum odio, pro quibus tanta feciſti, tam multa expendiſti? quo pacto poteris tantam affectûs tui mutationem præſumere: nulla illius eſt veriſimilitudo. Tu ipſe, ſi quis ſordidis illis lubricitatibus implicatus tibi ſimilia eſſet propoſiturus, qualia mihi das in Reſponſum, eadem eſſes illi replicaturus, quæ modò tibi dico.

VI. *Tertiò*, ſanctus Auguſtinus ſententiam nobis tranſſcripſit, quæ me facit non ſine fundamento dubitare, utrùm modo prædicto conſtitutus, habiturus ſis facultatem ſufficientem, in morte ſalutarem pœnitentiam operandi: ſalutarem inquam; pœnitentiam enim fortè ages, ſed qualem Judas, quæ in deſperationem te rediget: *Videns Judas, quòd damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos, dicens: peccavi tradens ſanguinem juſtum.* Judam ecce pœnitentem: *& projectis argenteis in templo*: ecce averſum à nummis, qui ad peccandum ſeduxerant. Sed quid ſequitur? *Abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 27. Simile quid de te metuo: ne ſcilicet acturus ſis pœnitentiam, verùm non quæ procedat ex motivo ſupernaturali; Cauſa autem datur ſequenti à S. Auguſtino ſententiâ. *Iſta eſt peccati pœna juſtiſſima, ut qui rectè facere cùm poſſet, noluit, amittat poſſe, cùm velit.* lib. 3. de liber. arbit. c. 18.

VII. Idem confirmo hiſtoriâ, quam refert P. Paulus Segneri Soc. Jeſu. Nobilis aliquis clarus natalibus, ſed ſordibus moribus, amore puellæ alicujus irretitus, domi eam ſuæ pluribus nutrierat annis, & ad impura ſua deſideria explenda abutebatur, ſpretis omnibus tum ſeveris Sacerdotum monitis, tum ſuavibus amicorum dehortationibus. Eò etiam delapſus, ut, à quibuſcunque jam ſti-

mularetur ad scortum illud abdicandum, contemptibil dimitteret responso, inquiens. NON POSSUM tanquam persuadere voluisset, necessitatem id esse factum naturæ, quod electio erat libidinosi affectûs: Dum interim obscœnum hoc contubernium non vult dimittere mors illud diremptura advenit. Ætate versans in florida in morbum incidit, desperatus habetur à medicis: dum in vitæ mortisque versatur confinio, accedit eum Religiosu ut ad periculosum istud æternitatis iter eum disponat adit lectum, morbidum salutat, modoque prudente sese in affectum ipsius insinuat. Equidem, ait, Domine mih persuadeo, ampliorem esse sperandi causam, quàm timendi; multi similem morbum, quo modò laborat, evaserunt. Interim quantumcunque speremus, quòd ex eorum etiam numero futurus sit, quid potest obesse, ut sese ità disponat, tanquam contrarium eventurum esset? ad hæc animosè reposuit infirmus: quid mihi ergo faciendum suggeris? libenter obediam. Equidem sat ipse agnosco gravitatem periculi, in quo versor, vobis etiam tacentibus: & quantumcunque flagitiosam vitam duxerim, nihilominus feliciter ex hac vita discedere, toto corde exopto. Mirùm, quantùm verbis istis bonus ille Religiosus animatus fuerit. Optâsset hic quamprimum securim ad radicem poni, lapidemque illum offensionis tolli, quem magno animi dolore atque indignatione continuò in moribundi cubiculo præsentem aspectabat, expelli nempe lenam, quàm modò sub obsequii prætextu, modo sub alio semper sibi vicinam volebat: Interim prudentia ipsi dictabat, per faciliores ipsum propositiones ad graviora ac difficiliora esse disponendum. In hunc ergo modum ait: quandoquidem tam bene te animatum deprehendo, debitâ cum animi libertate ea dicam, quæ & habitûs mei sanctitas, & salutis tuæ amor mihi dicenda suggerunt. Medici pariter de vita tua conclamatum esse affirmant: quod si animæ tuæ rationes disponerè, sique conscientiam ex-

expurgando ad ſanctum te abitum vis comparare, paucæ ſuperſunt horæ:tantò itaque magis, reponit alter, acceleremus, & quid faciendum? an alicui quærit Pater, es debitor,cui ſatisfaciendum ſit? fui, reſpondet, ſed ſatisfeci: an aliquid in bonis tuis aut depoſitis, quod reddere debeas? ille ad hæc; habui, ſed & reddidi. Quod ſi odio aliquem fuiſti proſecutus,nonne illud deponis? & ille, depono, inquit: nunquid offenſas etiam remittis. Ille: remitto. Nunquid optas extremis muniri? ſuſcipiam, ait, libentiſſimè. Noſti autem, hæc adminiſtrari non poſſe, niſi lenam illam abdices. Tum ille: non poſſum,mi Pater,non poſſum. Heus tu: quid ais? non potes? & quare non potes? & potes, & debes. Mi Domine, nonne animam tuam Salvare cupis? Ille rurſum:dico,quòd non poſſum. Pater:an non conſideras, quòd jam jam ad longam æternitatem tibi migrandũ? quid hoc magnum, illius ſtatuere liberam abdicationem, quod mox ex neceſſitate deſerendum? Non poſſum, ait, non poſſum. Et quì hoc? amori Dei pro te crucifixi (exhibebat hìc ipſi crucifixi imaginem) gratiam illam, quam ille à te modò expoſcit,negabis? ecce ille amore tui vulneribus conſciſſus, cruentatus, mortuus fuit. Ecce illum: reſpice: feralem ille cantum ſuum redorditur, inquiens, non poſſum: non ergo ſuſcipies Sacramenta;non poſſum. Hoc modo cælo exſors fies. Non poſſum. In æternas gehennæ flammas te ipſum abiges. Non poſſum. O miſera anima conſidera & attende: nonne præſtat puellam ſolam deſerere quàm cum ea ſimul honorem,corpus,animam,vitam, æternitatem, ſanctos, Mariam Virginem & paradiſum unà perdere; ſimulque poſt mortem excommuncatione fulguritum in Sterquilinio ſepeliri? adhæc miſer altum tollens ſuſpirium cœpit rurſum exclamare, non poſſum; non poſſum. Infirmaſq;, quæ ſupererant, vires colligendo, brachio perfidam arripuit lenam, vultuque efferveſcens in ſequentia erupit verba: hæc mea fuit in terris gloria, hæc mea in morte gloria, & hæc mea erit gloria per totam æter-

æternitatem. Exinde arctè illam amplexans adſtringensque, per hanc motûs violentiam, affectuſque agitationem malo incrudeſcente in obſcœno amplexu deſperatam animam evomuit.

VIII. Ecce quò denique adducantur peccatores, hi etiam qui morbo præmoniti in lecto, aſſiſtente Patre Spirituali moriuntur. Et tales etiam clamare: *Non poſſum*. Et quare hoc? an non poſſent ſi verè vellent? neutiquam: à veritate illud abhorret, nulli enim gratia ſufficiens negatur ſaltem eam petenti. Verùm ad malum inveteratum, ad peccatum conſuetudinis extirpandum, amplius aliquid requiritur, quàm gratia ſufficiens. Requiritur gratia, quam S. Auguſtinus victricem vocavit, eſtque illa gratia efficax. Verum hæc ejuſmodi eſt, quam nemini Deus dare obligatur; poteſt cuilibet negare. Nec tibi juſtum videbitur, illis iſtam negari, qui cùm toties eam lucrari potuiſſent, non æſtimârunt? *Dixerunt Deo, recede à nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Job. 21.

IX. Et hodiedum congredere nonnullos, hortareque ad emendationem. Quid reſpondent? *Non poſſum*. Si modò mulierculam hanc dimitto, do occaſionem querelis. Reſtitue iſta iniquè poſſeſſa bona. *Non poſſum*. Si enim reddo, me exſpolio. Repara hanc famæ detractionem; *Non poſſum*. Si enim fecero, fidem & honorem mihi adimo. Remitte hanc injuriam: *Non poſſum*. Et ſic ſemper per ridiculum illud ſuum non poſſe, quod liberè in vita elegerunt, ſe in ſtatu impotentiæ in morte ſimul poſitos queruntur, aut potiùs non volunt poſſe. Ecce fructum principalem, quem è mortis meditatione decerpendum habes. Noli emendationem ad hoc uſque temporis differre. Quòd ſi diſtuleris, quis terror, quis horror adventante mortis articulo te ſubibit, cùm Sacerdotem videris ſacrum viaticum afferentem! *Videre eum, quem contempſiſſe ſe meminit, judicem formidat.* S. Greg. homil. 13. Evangel.

LECTIO SPIRITUALIS PRO TEMPORE MATUTINO TERTII Diei Exercitiorum Spiritualium.

DE duplici judicio particulari & Universali hodie meditatus fuisti: Ambo omnino sunt formidabilia: quia unum atque alterum instituendum est à Judice æquissimo, sapientissimo, potentissimo, inappellabili. In quorum uno anima aut damnationi æternæ aut salvationi transscribenda, in altero sub ultimum judicii diem corpus pariter unitum animæ aut æternis ignibus, aut æternis gaudiis perenniter adjudicandum manet. Quòd si veritatem hanc esse meditatum sufficeret, atque ex ea bene perspecta fructum debitum percepisses, non esset, quod ulteriùs laborarem. Verùm nescio quid timeam, & timoris causas è sequentibus intelliges. Narrat Cardinalis Sforza Pallavicini de illustri Concionatore, & viro magni zeli in aureo suo libello, quem inscripsit de arte Perfectionis Christianæ, quâ ratione in quadragesima ad concionem frequentissimam de ultimo judicio aliquando prædicaverit. Quod ipsum vivacissimè descripsit, debitisque è sacra Scriptura coloribus adumbravit, & vigore illo, quem fusæ in hunc finem ad Deum preces inspirabant. Dum jam oratio ipsius terribilibus eventibus ac narrationibus funestis condita ad finem devolvebatur, repentè substitit: assumpto alio vocis tenore Personam induit, ceu miri aliquid novique dicere affectantem: atque in hunc modum progressus fuit. O Auditores mei! scitote, quòd quantumcunque de extremo judicio discurrerim, nihil tamen hujusque vobis incredibile, nihil inauditum dixi, nunc verò veritatem vobis aperiam memorabilissimam ac mirabilem: tantùm attendite, & me verum dicturum brevi deprehendetis. Hìc tibi imaginare alto silentio omnia composita, ad inusitatam novamque veritatem ex ore sacri præconis excipendam. Per-

gebat ergo: & exclamabat: Maximum prodigium pauc intra dies ſpectabitis, audite, quale ſit futurum. Ad ea, qu me dicentem hucuſq; auſcultâſtis, hæſiſtis omnes attonit Verùm quid dicam? poſt paululum abibitis, & hora no effluet, quòd plures è vobis dictorum à me obliti vitar ſurſus inſtituent, tanquam nec Judicium, nec Judex, ne quidquam eorum quæ dixi, ipſos concerneret. Et his dicti, magna illa hominum turba dejecto capite & compunct abivit; utrùm nunc idem eventus ſecutus fuerit, quer Prædicator ille prædixit, non poſſum definire. Optem eg ne ſaltem illud poſt inſtitutam de utroque judicio medit tionem, in te verum fiat. Opto, ut talem ex eis fructu colligas, qui conſtanter in te permanens ſpem præbeat fu datam bene ſubſiſtendi in particulari & univerſali judici Alioquin enim meritò dicerem; *ut quid perditio hæc?* a quid perditum tempus meditando veritates tam momen toſas? imò meritò ſubjungam: O quanta tibi ratio redde da Judici de hac ipſa præbita tibi à Deo bene te tam peri culoſum iter diſponendi commoditate! quis autem ille f fructus, qui hinc educendus, bini ſancti Scriptores amb Canonici nos edocent: primus eſt innocens ille Job: alte eſt S. Paulus Doctor gentium. Dicebat Job, quòd ſibi ip perpetuo eſſet timori, quòd omnes actiones ſuæ metum ſ bi injicerent: ſiquidem exploratum haberet, nec cogitatio nem, nec verbum nec factum ullum, imò nec omiſſione ullam debito ſupplicio immunem abituram eſſe: *Vereba omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.* S Apoſtolus Paulus, ſe innoxium agnoſcebat, ſaltem ſecun dum id, de quo teſtimonium ipſi perhibebat conſcientia *nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum juſtificatu* Cauſamque ſubjunxit: *Dominus eſt, qui judicat;* Quæ co gitatio eam ſuſcitavit ſententiam monitumque, quod to communicavit Eccleſiæ, iſtud nempe: *Si noſmetipſos judi caremus, non judicaremur.* Atque hoc ipſum eſt, quo

volu

volui commendare. Redeundo itaque ad Jobum tibi etiam atque etiam consulo, ut eundem imiteris in subtili, rigoroso, critico maximéque solicito examine cogitationum tuarum, verborum, operum, imò & omissionum. Id quod tantummodo urgent verba patientis Prophetæ: *Verebar omnia opera mea.* Hac enim exactitudine, rigore & accuratione ipse Deus cùm judicandus veneris, tecum procedet: non ille rationes tantùm superficiales exiget: neque perfunctoriè aut rudi, ut ajunt, minervâ, verùm cum omni subtilitate rem tractabit. Nec est, quòd tantam accurationem mireris, agitur enim de æternitate aliqua, aut beata aut infelice. Beatam quidem æternitatem quod attinet, cùm Deo sis æternum in paradiso conjungendus, pro certo habe, quòd non nisi puræ ab omni scelere animæ illuc sint admittendæ: *nihil coinquinatum intrabit.* Revoca in memoriam, quæ de civitate sancta Dei enuntiavit Apocalypticus, & hieroglyphicis istis veritatem hanc exprimi, agnosces. Omnia purissimo stant auro, ad ipsa usque fundamenta, margines omnes pretiosissimis gemmis illustrati: & portæ singulæ candidissimis elaboratæ margaritis: & licèt nulla illic consurgat aurora, nullus inclinetur dies; splendidissimæ tamen semper lucis meridiem sol illic accendit nulli subjectus eclypsi, nullis mergendus tenebris, sol ipse author solis agnus immaculatus, sanctissimus Dei filius. Et quid sibi vult totum hoc compositum tam dives auro, tam lucidum gemmis, tam præclarum margaritis, tam luce conspicuum procul omnis maculæ nævique conspersione, nisi quòd illuc non potest subire anima, nisi purissima. Quod bene à sanctis viris penetratum, effecit eos tam exactos, seu, ut mundus ait, scrupulosos, tam in omnibus vitæ suæ actionibus discutiendis accuratos ut ad amussim ultimi finis, propter quem sese creatos esse noverant, actiones omnes exigerent: etenim rationes à Deo in uno perinde atque altero judicio dandæ consistent in examine Judicis exquisitur[1], utrùm

utrùm omnes noſtræ cogitationes, verba, opera, omiſſiones fini huic conformata fuerint, nec ne ; in diſcuſſione item, an mediis, cujuſvis ſtatui ſinguliſque conformibus abundanter oblatis, quiſquis in ordine ad dictum finem debitè uſus fuerit. Proinde eſto accuratus, attentus, & exactus invigila tibi. *Contendite intrare per anguſtam portam* juxta ſtatum, in quo te Deus collocavit: juxta ſtatum, inquam tuum: quod addo, ne Lector ſæcularis exiſtimet, quaſi exactitudinem ſibi etiam clauſtralem à me commendatam putet: non illud volo, vivat tantummodò conformiter vocationi ſuæ, ſiquidem Dominus varia videndi genera ad mundi gubernationem opportuna diſtribuit. Rex vivat Regem, nobilis nobilem, Prælatus Prælatum, Domicella Domicellam; Scholaſticus bonum agat Scholaſticum miles militem, Mercator Mercatorem, Eccleſiaſticus Eccleſiaſticum: Regularis Regularem, interea norit quivis communem eſſe omnibus obligationem, ad ſanctitatem in ſtatu ſuo contendendi. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra: eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum; eſtote perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Omnia hæc ſacræ ſunt Scripturæ oracula adimpleta ab omnibus, quotquot diverſorum ſtatuum alumni modò beati in cœlis regnant. Quòd ſi ſacros Eccleſiæ faſtos volueris perluſtrare, omnis conditionis ſanctos, non unum ſed plurimos deprehendes quos ſacris in altaribus ipſa exponit venerandos. Unde concludes, quòd cum Dei gratia vita etiam ſancta poſſit extra clauſtrum duci. Attende Belliduces Moyſen, Joſue Gedeonem, pugiles, qui Dei hoſtes deleverunt, ſanctitate conſpicuos. Attende Joſephum, Davidem, Ezechiam ad thronum regium elevatos ac divitiis potentes ſimul & ſanctos. Ecce Rebeccam, Rachaëlem, Eſtherem, Judithan maritatas, viduas, divites, pulchras & ſanctas. Ecce Danielem, Tobiam, Ananiam, Azariam, Miſaëlem animoſo juvenes & in aula verſatos, & ſanctos. Conſidera to alios, quorum Eccleſia Catholica à Chriſti temporibus uſ

qu

que huc meminit. Qui autem morientes non perinde immaculati reperiuntur, quid agit cum illis Deus? si maculis, tantùm tincti, si à peccato inquam mortali expurgati, gratiæque Divinæ restituti, amandat illos ad purgatorii flammas expurgandos, aut aurum à scoria depuretur. Qui autem fœdati, inquinati, totique conspurcati, id est culpæ gravi obnoxii deprehenduntur, haud superest pro illis misericordia, quæ tantùm in vita non autem diutius fuit participabilis; hos tantùm manet justitia, & secundum hanc ad æternas inferni flammas detrudentur: ut te itaque & à carcere infernali, & à pœnis purgatorii securum constituas, *Verere omnia opera tua, sciens, quia Deus non parcet delinquenti.* Idque tantò ampliùs, quia fortè non es ex innocentum illorum numero, qui à peccato lethali immunes vixerunt: non es Hyacinthus, non Ludovicus Gonzaga, non Catharina aliqua Senensis; es è numero miserabilium illorum, qui peccârunt sæpius, & quidem mortaliter. Dum autem certus es de peccato admisso, incertus de obtentâ veniâ, speciali modo illis es annumerandus, de quibus Spiritus Sanctus ait: *Nescit homo, utrùm odio an amore, dignus sit.* Unde ad amplius aliquid teneris, quàm hi, qui à peccato mortali vixerunt immunes, quosque conscientia non redarguit inimicitiæ unquam cum Deo contractæ: debes, inquam, specialem curam gerere, ut cogitationes tuæ, verba ac opera, tam quæ omnibus Christianis communia, quàm quæ statui tuo sunt propria, tam bene & exactè procedant, ut Judex ille æternus non reperiat, quod in illis carpat. Atque hæc eruenda ex verbis illis Jobi. *Verebar omnia opera mea*, & ex illis Pauli. *Si nos judicaremus, non judicaremur.* Author tibi fui, ut quotidie non semel tantùm, sed sæpius tribunal domesticum erigas, cui te ipsum sistas, tanquam si coram supremo Judice compareres. Praxin facilem suggerò: bina conscientiæ examina, quorum unum generale, alterum particulare vocatur, de quibus in

prima parte mentionem feci, judicii possunt habere speciem; hæc optem tibi familiaria reddas. Generale examen versatur circa omnia peccata de die commissa, quæ utinam nunquam sint mortalia: hoc, suadeo, vesperi semper ante somnum adhibeas, itaque cum animo tuo reputa: quid si hac nocte à Judice meo ad rationes reddendas essem evocandus, illo dicente: *redde rationem.* Quis fructus, quod lucrum horarum hodiernæ diei, quod talentorum mihi concessorum, quomodo illa impendi? quâ ratione usus sum commoditatibus bene agendi mihi suppeditatis? quomodo gratiis mihi oblatis usus sum? quàm paratus inspirationes factas acceptavi? &c. Serviet examen istud ad frænandas passiones, ad implorandam veniam defectuum notatorum, ad propositum animam Sanguine Christi per confessionem, ut primùm occasio erit, abluendi capessendum. Examen particulare versatur circa defectum particularem in te magis contumacem, quo à profectu magis impediris, estque, ut ita dicam, Goliath, turbas ciens in exercitu cogitationum tuarum: aut verò idem tendit ad virtutis alicujus consecutionem (exercendo frequenter actus illius proprios, *ex gr.* humilitatis, constantiæ, charitatis, victoriæ humani respectûs, aut aliarum) à quarum frequenti exercitio dependet noster in via Dei profectus. Horum autem examinum, quæ tantopere à S. Ignatio commendantur, diligenti exercitio, scias te plurimùm ad hoc adjuvandum, ut conscientiæ tuæ rationes semper quoad substantiam perfectæ paratæque sint futuræ. Quòd si etiam juxta exemplum S. Ignatii post singula opera, *ex. gr.* post auditionem aut oblationem Missæ, post prandium, post cœnam, post peracta negotia, post reditum domum, post conversationes, &c. Hujusmodi breviter à te ipso rationem esses efflagitaturus, opera hæc in eundem finem plurimi fructûs essent futura; & majoris adhuc, si ad pulsum cujusvis horæ breviter teipsum discuteres, quomodo hæc

ipsa transacta fuerit, quod absque contentione facillimè fieri potest. *Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur*. Præ omnibus verò suadeo, ut frequenter te sistas sacro Pœnitentiæ tribunali. *Ex necessitate* quidem, quoties te culpæ gravioris reum agnoveris: nec verò colubrum hunc diu in sinu tolera, plures enim alioquin generabit; majoremque semper ad confitendum animi resistentiam invenies. *Pro bono verò meliori*, & ad præservandum te à noxa lethali, ut plurimum omni, si fueris sæcularis, octiduo; omni etiam die festo, cum approbatione Patris spiritualis; ad sacram simul Synaxin accedendo. Si Religiosus fueris, nescio quid non suadeam: si præsentiam non habes Confessarii domestici, suadeo confessionem toties fieri, quoties facere potueris. Plurimos novi, qui quotidie de imperfectionibus suis sese sacramentaliter accusabant; indeque fructum illum retulerunt, ut à peccato mortali remotissimi, à veniali etiam deliberato immunes non nisi in imperfectiones inciderent: tribunal hoc sacrum Pœnitentiæ repræsentat aliquam speciem judicii Divini; siquidem Sacerdos in eo refert Personam Christi Judicis: etenim ipsi licet exprobrare, carpere, castigare ac pœnam infligere. Tu verò dum præmisso debito examine, tanquam reus tribunal adis & ruborem suffers, contra te ipsum personam sustines, quàm in altero judicio tua aget conscientia; aut vero etiam, quam Christus examinator obit, dum integrè, fideliter, nullâ excusatione aut defensione tui adhibitâ te ipsum accusas, nullâ immixtâ fraude aut tui ipsius deceptione. Quod si ea, quæ modò suggessi, in praxin deduxeris, constans & stabilis fructus erit, quem è meditatione de judicio particulari & universali collegisti. Demades celeberrimus causarum Advocatus, optimè gnarus perorandi ac causas etiam desperatas vincendi, interrogatus, undenam artem tam præclarè perorandi addidicisset, hæc verba reposuit: *Magistro tribunali*. Volens insinuare,

quòd

quòd ita profecisset exercitando continuò seipsum seorsim tanquam si coram Judice foret perorandum, verbaque ea concipiendo, dicendo, aut omittendo, quibus animos permovendos prævidere poterat: Idem fructus erit è continua præparatione ad bina hæc judicia, in ordine ad bonas rationes conficiendas. Vive ità semper, tanquam si coram supremo Judice omni momento tibi comparandum foret Cogita, aut non cogita, dic aut tace, fac aut omitte, e quæ fides, conscientia aut illustratio superna te docet Deo placere, aut displicere, probari aut improbari. Eâdem praxi usus est S. Hieronymus, qui de se testatus est, sive dormiret, sive vigilaret, sive oraret, sive ederet, sive studeret, sive cum hominibus versaretur, verbo in omni actione auribus suis insonare sonum illum tubæ *Surgite mortui venite ad judicium*, quâ excitaretur ad dandæ aliquando rationis, coram supremi Judicis tribunali memoriam instaurandam. Sed inquit aliquis, quanta hæc coarctatio quanta illa servitus! Verùm respondeo cum antiquo Magistro artis gladiatoriæ Vegerio, qui accuratissimus erat in tradendis legibus tractandi gladium: ità autem ille *nulla diligentia superflua, ubi de salute certatur.* Agitur de tota æternitate, aut misera aut beata, quis autem legibus se putet onerari, quæ ducunt ad primam evitandam, ad secundam obtinendam.



LECTIO

LECTIO SPIRITUALIS PRO TEMPORE POMERIDIANO Tertiæ diei Exercitiorum Spiritualium.

HUgo Princeps quondam Toſcaniæ, nobiliſſimo Ottonum ſanguine progenitus, à matre ſua Vivilla pientiſſimè educatus, primos ætatis ſuæ annos cum magna vitæ integritate tranſegit: verùm poſtmodum à blandientis fortunæ illecebris abſtractus in juvenilem licentiam ſeſe effudit: nihilominus in tanta vitæ morumque lubricitate propenſum erga Beatiſſimam Virginem animum cum ſingulari erga ipſam devotione conſervavit. Erat autem ex illis devotis, qui affectam erga Chriſtum vellent libenter ſeparare ab affectu erga Beatam Virginem, animo experiendi, an feliciter poſſit ſuccedere honor impenſus plantæ, dum interim fructum arboris indecenter tractant. Contigit interea, ut aliquando ad venationem propè valdarnum ſeſe conferret: totus hìc laſſatus, ac faucibus ferè ſiti præfocatis; dum refectionem aliquam avidè exoptat, occurrit illi virgo cœleſtis offertque ipſi lancem præſtantiſſimis fructibus cumulatam, qui interim ſordibus ita conſpurcati erant, ut nauſeam aſpectanti parerent. Injecit interim Hugo manum uni, ut ori admoveret, verùm victus nauſeâ reponit, fugiens dentes infigere. Quo viſo Beatiſſima Virgo, quæ hanc formam induta apparuerat, ait ad ipſum: hujuſmodi eſt tua erga me devotio: bona quidem de ſe, verùm corruptis moribus tuis ſordidata? quomodo ergo vis eam mihi placere? quo dicto diſparuit. Quis non cogitaret monitum tale ſat efficax futurum fuiſſe ad Principem devium à diſtorta ſemita in rectam viam reducendum? attamen iſtud non ſuffecit. Erant mali habitus extirpandi, verùm malæ occaſiones, illecebræ variæ ac lenocinia non multò poſt ad effrænes iterum cupiditates irritârunt, remedia er-

go potentiora Diva Virgo ſtatuit adhibere. Accidit iterum ut Princeps in monte Senario venationi vacaret, cùm ecc repentè cælum nubibus obducitur, támque copioſus im ber cælo depluit, ut Principem cogeret interrupto vena tionis curſu latibulum aliquod exquirere. Eques itaqu ad ſpelæum aliquod feſtinat, antrumque ſubeunti terrib le oculis ſpectaculum ſubjicitur. Clibanum aſpicit ar dentem, & circumſiſtentes fabros Vulcanorum more e parte nudatos, & è flammis non ferrum, ſed Calvarias corda, oſſa, aliaque confracta hominum membra educen tes, quæ ſuper incude ictibus decumanis contunde bant. Ominabatur Hugo fabros hoſce eſſe magos in lati bulum hoc congregatos; cumque hujuſmodi hominum fæci eſſet infenſiſſimus, atroces in eos cœpit crepare minas pœnas debitas juratò intendens. Vix eas protulerat, cùm unus eorum ſemper ſpelunca eminens, & torvo ſuperci lio formidabilis, lentè, lentè, reponit, non nos, inquit, ſumus quales auguraris eſſe, magi aut malefici: Divinæ ſumu miniſtri juſtitiæ, & eâ, quâ cernis, methodo noſtræ tra ctamus poteſtati conſignatos impuros carnalis voluptati venatores, operimur interea certum Hugonem, hujus ter ritorii Dominum, qui ſi in manus noſtras inciderit, ha in incude ſuas etiam luet ſpurcitias. Hæc medicina ſuffe cit ad infirmum noſtrum curandum: Hugo reflexit e quum, totuſque immutatus diverſuſque ab eo qui fue rat, ad ſuos rediit: Obfirmavit ſerio animo pœnam inter tatam effugere, quin & ſtatuit publicam peccatorum ſuorum confeſſionem facere Firentiæ. Die ergo quo dam, medius inter Archi-Epiſcopatum Ravennatem pra ſtantem id temporis Legatum Pontificium, atque Euſta chium Archi Epiſcopum Firentinum proceſſit ad Eccle ſiam Cathedralem, & coram conferta hominum turba un dequaque affluente in hæc erupit verba: *Non ampliù ero Hugo, non ampliùs ero Hugo*, quod & opere exple

vit

vit, dum mutatâ vitâ hominem alium induit. Notemus bene hæc verba: *Non ampliùs ero Hugo*, *non ampliùs ero Hugo*, finemque obſervemus, ob quem hiſtoria illa ex tertia parte libri, qui inſcribitur Chriſtianus inſtructus à R. P. Paulo Segneri, deſumpta eſt ex diſcurſu decimo quarto.

II. Pœnæ inferni à te, mi Lector, recenter expenſæ ſpectaculum certè præbent terribilius, quàm conſpecta illa à memorato Hugone fornax, furvique iſti cyclopes, quos exhorruit, & malleorum ictus, qui auditum terruerunt. Sunt & majoris certitudinis; pœnæ enim inferni, cum omnibus atrociſſimis ſuis circumſtantiis, maximumque quod eſt, earum æternitas, articulus ſunt fidei, quod de enarrata paulò antè hiſtoria dici non poteſt, quanquam propter authoritatem ſcriptorum tanquam veriſſima recipiatur. Nunc verò ſi ſpectaculum prænarratum Hugonem ita commovit, ut eo viſo propoſuit, non ampliùs agere Hugonem peccatorem, ſed Hugonem pœnitentem, & à ſtatu peccatoris ad ſtatum pœnitentis per vitæ mutationem translatus propoſitum ſuum verè obſervavit; qui fieri poteſt, ut poſtquam inferni ſupplicia credidiſti, & meditando expendiſti, non ſtatuas efficaciter non ampliùs eſſe ille, qui fuiſti, & ex nunc in hoc loco, ubi verſaris, exclames: *Ego non ampliùs ero idem ego*: non ampliùs ero peccator idem, qui fui: non ero ampliùs homo iſte ſenſualis, non ampliùs vindicativus, non ampliùs Sacrilegus, qualis fui toties in Sacramento Pœnitentiæ. Niſi reſolutionem ſimilem ceperis, qualem Hugo ſapienter capeſſivit, oſtendis aut te non credere, aut tantùm ſuperficie tenus meditatum eſſe pœnas illas, quæ in carcere infernali peccatores manent. Interea ſi illas attentè ponderâſti, ſi fide vivâ credidiſti te illas eſſe promeritum præteritis peccatis, eaſque illo temporis mo-

mento, quo te peccato obſtringis, à Divina juſtitia poſſ inſligi, ſi ſubitò te è vivis vellet tollere, non ita te puter infenſum tibi ipſi; tuæ animæ, corpori, honori tuo, ut no vel ſolo etiam timore infernalium pœnarum, tam mult aliis inflictarum, ad meliorem vitæ frugem te eſſes receptu rus.

III. De fide eſt, quòd, ſi ſemel inferni damnandus fo res, æternùm eſſes perditus quoad animam, æternùn quoad corpus, æternùm quoad honorem tuum. Anim unà & corpus erit in medio ignis atrociſſimi, qui ab affla tu omnipotente irati Dei ſemper accenſus manebit, in qu titionis inſtar ſemper ardentis ambo ardebunt. Atque it honor tuus proculcatus erit; ut improperium atque abje ctionem in hac vita concipere non poſſis majorem illâ, qu in abyſſo hac jactandi ſunt damnati.

IV. Animæ, corporis, ac honoris memini, his enin comprehendi puto omnia, quæ cor hominis etiam in re probum ſenſum dati, modò ſaxo durior non fuerit, poſſin permovere. Qui animæ ſuæ amore non tangitur, tangitu ſaltem illo erga corpus is, qui ad blandiendum illi omnes etiam brutales voluptates ſectatur: quare talis ſerio conſi deret, quòd corpus illud ſecum, ſi inferno eſſet adjudican dum, æternis rogis omnique malorum genere ſit excruci andum, abſque omni ſpe aut mitigandi doloris, aut leviſſi mæ etiam voluptatis, cujus amore interim ſe perditum ivit. O ignis! O æternitas malorum! Mi chare lector, hæc attento animo pervolve.

V. Interea tam multi ad blandiendum corpori inferno ſe reddunt obnoxios. Nunquid ità? certiſſima hæc eſt veri tas. Et cur non ad cor redeunt, vivamque in ſe fidem ani mando ſe ipſos alloquuntur hoc ſimilive modo. O me mi ſerum! parumque corporis mei ſtudioſum! nunquid æ ternæ eſt veritatis oraculum, quòd ſi modò ipſi momenta neas illas indulgeo voluptates, quas Deus nobis prohibet, nunquam fruiturus ſim cibo mihi placito, nunquam potu mihi

mihi delectabili, nunquam lecto quieto: nunquam amico consolante, nunquam musicâ recreante: nec levissimam unquam gaudii partem percipiam per totam æternitatem, quin è contrario per totam æternitatem atrocissimos dolores in omni parte corporis, & in ea maximè, in qua ampliùs peccavi, persentiscam. Crede mihi, quòd si hanc tam manifestam tam indubitatam veritatem altè animo ponderaturus esses, vel solo etiam corporis tui, ejusque sensuum amore inductus omnes prohibitas voluptates illi negare, animum esses obfirmaturus, ut ità tormentis æternùm aliàs sufferendis ipsum eriperes.

VI. Qui verò animæ corporique suo infensus fuerit, non erit saltem hostis honoris sui (pro quo animi maxime generosi tantopere sunt zelotypi) itaque jacturam hujus aliquantulum pensemus. Quid autem erit de honore illius, qui in probrosum inferni carcerem conjiciendus est? Quid erit? attende. Multitudo damnatorum tum Dæmonum, tum hominum, in comparatione nostri est propè innumerabilis. Unde infero, quòd si infamia crescit pro ratione nūmeri eorum, quibus delictum innotescit; contemptus damnati ex hac etiam parte erit gravissimus & intolerabilis, siquidem coram tanta creaturarum turba, qualem nemo nostrûm facilè conceperit, damnatus infamis proclamabitur. Milliones & milliones eorum considera, ac dein dicito: si huc ego delapsus fuero, ab omnibus istis explodar, deridebor, abjiciar: omnes in me jacient convitia, cudent injurias, sannas excogitabunt, ab omnibus vilipendar, tanquam spuma ac peripsema tractabor. Peccata mea cujuscunque speciei, quantumcunque occulta, omnia mihi exprobrabuntur, & in faciem oggerentur. Titulo omniū ac singulorum contemptissimè ab omnibus habebor vilipendarque, tanquam ingratus in Deum, tanquam contemptor sanguinis filii Dei, tanquam indignus nomine Christiani, tanquam proditor mei ipsius, tanquam transgressor legis divinæ tam sanctæ, tam rationi conformis, à

tam multis obſervatæ, & per tam multas gratias obſerva tam facilis redditæ, deniq; abominationi ero, tanquam q accedam pœnarum in cæteris auctor & nova ignis materi, tanquam palea ſtupaq; & oleum balænæ flammis affuſu.

VII. Et quia conſcientia mea teſtimonium perhibe, quod quidquid objiciendum eſt, futurum ſit veriſſimum: O quæ confuſio faciem meam cooperiet, quis pudor vultum ſubibit, quantus hinc contemptus, verùm abſque ſp omnis remedii: eoque confundêris ampliùs, quò ſæpius, momentis ſingulis in te ipſum furore exardeſcens, hæc ti oggeres. Hìc ſum, hìc hæreo, quia ſtolidè cæli minas deſpicatus hanc manſionem, hanc confuſionem elegi. Quo uſque in vivis degi, Deus creator meus, modò ſuavibus, modò amaris mediis, modò inſpirationibus internis, modò externis, modò proſperitate modò adverſitate, in ſumma mille charitatis ſuæ adinventionibus conatus eſt me avertere, ne huc deciderem.

VIII. His ſummatim uſque huc adductis, redeo ad Hugonem atque ita concludo: quòd ſi ille ad aſpectum fornacis hujus atque fabrorum mutato illico conſilio vitaque emendatâ dixit. *Hugo non erit ampliùs Hugo*, & vitam Sanctam elegit; nil minus debet proponere, quicunque virtute imaginativâ ſibi repræſentavit, memoriâ recogitavit, intellectu perpendit, & voluntate exhorruit pœnas inferni. O quàm illæ terribiles, teſte per omnia ſacra ſcripturâ! per quas tollitur ſpes omnis Deum unquam videndi, ad quod ceu finem ultimum ſumus creati, à quibus dolor omnis in corpus derivatur, omne malum ſive conceptibile, ſive inconceptibile, omnes animæ potentias ſenſuſq inundabit, & quàm diu iſta? *In æternum & ultra.* His, inquam conſideratis nunquid meritò, talis proteſtetur dicatque: *non ero ampliùs is qui fui*: non ampliùs peccator, ſed ſyncerè pœnitens ero.

IX. Quare hæc pœnarum inferni meditatio ad ſequentia præſtanda te meritò exſtimulet. *Primò*, ad dolorem de peccatis, quæ te dignum reddiderunt loco illo, in quo malorum ſupre

upremum eſt,inimicitia Dei.*Secundò.*Ad exactam confeſ-
onem omnium,quorum te mordet conſcientia,tanquam
norti eſſes vicinus, peragendam. *Tertiò.* Ad excludendum
mnem timorem eorum, quæ te abſtrahere poſſent ab a-
endâ perfectâ peccatorum pœnitentiâ,& ad amplectenda
a,quæ poſſunt huc conducere, qualia ſunt jejunia,diſcipli-
æ, cilicia, & quidquid poteſt à relapſu in præterita præſer-
vare : cujuſmodi eſt fuga occaſionum , frequentia ſacra-
nentorum,exercitia pietatis ac devotionis, atque horum ſi-
nilia. *Quartò.* Eadem te abſtrahat ab amore creaturarum,
quæ tibi cauſa fuerunt tam grandis mali, dum incentivum
præbuerunt ad peccata. *Quintò.*Gratias continuò age DEO,
qui te ab inferni pœnis vindicavit, & quidem toties,quo-
ties eas peccando promeritus es. *Sextò.* Ceu favorem ſpe-
cialiſſimum,quem à Deo potes petere,roga quotidie,ut te à
peccato mortali præſervet. *Sept.*Imitare comprimis Hugo-
nem in ſuâ hac Chriſtiana generoſitate, quòd quanquam
nobiliſſimi eſſet ſtemmatis, proindeque maximè ſubjectus
æqualium ſuorum dicteriis, jocis ac ludibriis, eò quòd à
conſueta vivendi norma deflectens, deveniſſet, ut ajunt ,
ſanctificetur, his non obſtantibus publicam in Cathedrali
Ferentina coram innumero hominum affluxu fecit prote-
ſtationem hanc. *Hugo non amplius erit Hugo.* Ad pro-
teſtationem ſimilem re ipſa, & ſi occaſio tulerit, etiam ver-
bis facienda hæc inferni meditatio te animet ; ità ut in po-
ſterum quivis dignoſcat, quòd peccatorum te numero ex-
emeris, quòd pœnitentem agere , & in gratia Dei vivere
elegeris, ne infernum adeas.

X.Sed fortè hæc pagina non contingit Religioſos? vide-
bitur ad eos non pertinere,cùm ſint Religioſi. Verùm con-
trarium affirmo. *Primo* enim,& plures ex iis erunt,qui pec-
cata ſecum gravia è ſæculo detulerunt. Iſtis meditatio de
inferno prodeſſe debet, renovando memoriam obligatio-
nis erga Deum pro translatione ipſorum ad locum pœni-
tentiæ.*Secundò.* Non quia quis religioſus,hinc & ab omni
mortaliter peccandi periculo ſecurus, nec verò etiam data
eſt

eſt abſque ſpeciali revelatione ipſis ſecuritas,de peccatis ſa
culi remiſſis. *De propitiato peccato noli eſſe ſecurus, & n*
abjicias ultrà peccare· Quare hæc incitet ad frequente
expetendam remiſſionem peccatorum. *Tertiò* Quotus no
tentatur à Dæmone ad ſtatûs ſui faſtidium, à quo abducer
eum conatur:Meditatio de inferno vires ad perſeverandu
addit. Confirmavit ejuſdem memoria in vocatione ſua ju
venem nobilem, divitem & complexione delicatum, quer
cùm ad religionem auſteram ſe ſtatuiſſet conferre , ho
quidam modo aggreſſus fuit: quid intendis juvenis ? tu de
licatiſſimus , atque ordo iſte rigidiſſimus. Subintuli
adoleſcens; cùm ſim delicatus, religionem meditor, & quide
auſteram. Etenim ſi in mundo permanens, à morte inferno e
ſem adjudicandus, quâ ratione ego, quem delicatum vocitas, do
lores infinitis partibus majores,quàm ulla ſit Regularis diſciplina
ſufferre poſſem ? *Quartò*. Nimis quam ſæpe evenit,ut Religioſu
in regularis diſciplinæ obſervantia intepeſcat, aut etiam regula
difficultas querelas aut faſtidium provocet ; lamenta hæc infer
nus ſopiet, recordatione eorum, quæ promeritus fuit, ſiquiden
mortaliter peccavit.Quod ſi Religioſus innocentem ſemper vitam
duxerit, *primò* ampliùs etiam eum ex inferni meditatione profe
cturum aſſero, ſiquidem agnoſcet magis gratiam ſingularem, qu
Deus ipſum à peccato mortali præſervavit. *Secundò*. Proderit ipſ
plurimùm ad intaminatum innocentiæ ſtatum conſervandum ,
qui ſtat, videat, ne cadat, ne quando admittat, unde infernum in
currere mereatur. Ideoque S. Ignatius libello ſuo Exercitiorum
inſeruit meditationem de inferno, nulla facta meditatione purga
torii, quia hanc æſtimavit remedium eſſe magis univerſale, tùm
ad innocentiam conſervandam , tùm ad noxam expurgandam
utiliſſimum arbitratus , quemvis in infernum vivum deſcendere
His pariter , qui invigilant ſaluti proximorum , quantum non
adjumenti attulerit iſta meditatio ad accendendum ipſorum ze
lum ſtudiumque conandi, ne quis illuc decidat : horum valet in
flammare in prædicando ardorem, patientiam confortare in con
feſſionali, diligentiam accendere in aſſiſtendo moribundis, affe
ctum etiam valet promovere erga miſſiones : quàm non ardente
denique preces funderent ſinguli, quot non adhiberent pœniten
tias pro peccatorum converſione, ſi inferni pœnas eoſdem expe
ctantes ſeriò meditarentur.

LECTIO SPIRITUALIS PRO TEMPORE MATUTINO

Quarti Diei Exercitiorum Spiritualium.

I. NEque legitur in Evangelio de filio prodigo, quod à Parente ipsi sint minæ intentatæ, ut domi eum suæ contineret, & à turpi fuga inhiberet, prænuntiando ipsi futurum, ut suæ ipsum amentiæ pœniteret, neque etiam legitur, quòd Paternæ gratiæ reconciliatus, ad pravam vivendi normam redierit. Itaque sequendo textum Evangelii asserere licet. *Primò*. Non esse prædictam ipsi calamitatem, in quam patrimonio per crapulam, lusum & luxuriam dissipato esset deventurus: *Vivendo luxuriosè* uti de hoc dilapidatore fortunæ suæ es meditatus. *Secundò*. Ex textu licet inferre, quòd postquam factus est erroris sui pœnitens. In eundem non fuerit relapsus. De multis Christianis omnia prorsus opposita licet dicere. *Primò* Enim certum est, quod ante admissionem primi peccati, quo innocentia baptismalis labefactata fuit, conscientia ipsos ab eo retraxerit certas ingeminando voces, etiam intelligibiles illi ætati, dum primum in ea peccatum mortale admittitur, prænuntiando pœnitentiam post factum secuturam. Idem applicari potest primis Religiosorum deficientium à fervore in Novitiatu concepto transgressionibus. *Secundò*. Quoties rectam de peccatis confessionem obivimus, toties de illis dolorem elicuimus. Verùm quoties post actam pœnitentiam itum est in antiquam silvam ac recidivi facti sumus, & de eorum numero, qui in sacris paginis antonomasticè dicuntur inimici Dei: *inimici Domini mentiti sunt ei*. Psal. 80. Quibus verbis S. Augustinus subjungit ista S. Petri verba: *canis reversus ad vomitum, & sus lota in voluntabro*. 2. Petri 2. v. 22. dein concludens: *hoc est: inimici Domini mentiti sunt ei*. Quòd si volumus homines agere, & magis si Christiani esse volumus, dum agnoverimus in nobis reperiri memoratas duas circumstantias generosum nobis capessendum est

est propositum non committendi id, quod pœnitentiam post se tracturum esse prænoscimus.

II. Profectò remorsus conscientiæ motivum est tam efficax, ut secluso etiam lumine fidei, sola natura absterruerit gentilem aliquem in materia morum. Scortum ille aliquod offenderat, à quo ad peccandum illiciebatur: percontanti autem, quantum pro actu turpi deberet persolvere, impudens mulier magnum exegit pretium: gentilis conscientiæ latebras ingressus pro responso dedit famosam illam sententiam: *Tanti pœnitere non emo.* Ceu vellet dicere, equidem nisi actus ille spurcitiæ, ad quem me provocas, pœnitentiam doloremque induceret, fortè exponerem, quòd à me postulas; Verùm cùm certus sim, quod postquam voluptatem hanc gustavero, de eo dolor in animo sit nasciturus, supersedeo impensâ hac stolidissimâ. En agnitionem, en dictum animosi idololatræ. Optem illud inscribas cordi tanquam Regulam sapientissimam, dicasque sæpe: Nolo adjuvante divinâ gratiâ in ineptias illas relabi, quarum quemadmodum me modo pœnitet, ita certus sum, quòd si rursus eas admisero, pœnitentiam in animo sint progeneraturæ.

III. Atque ut regula hæc profundiùs in animo tuo radicetur, necessum erit explicare, quæ sit hæc pœnitentia, quam comminor: dico itaque: pœnitentia est improbatio ac condemnatio illius, quod quis malè, id est contra rationem, voluit: est retractatio voluntatis pristinæ, nostri ipsorum objurgatio, dolor & amaritudo animi ex eo suscepta, quod perperam elegimus: conjuncta cum desiderio annullandi, si fieri posset, & infectum reddendi factum commissum. Hanc pœnitentiam Ovidius, cùm librorum suorum obscœnitate Augustum Imperatorem offendisset, hoc versu expressit: *pœnitet, & facto torqueor ipse meo.* Tormentum crudele & carnificinam internam animi his verbis testificatus. Atque ita cruciatus illi, quos sancti viri de peccatis suis verè pœnitentes ad macerandum corpus suum adhibuerunt, indicia, effectus, atque argument

menta fuerunt interni doloris, quem verè in animo sentiebant propter offensum Deum.

IV. Itaque pro certo habe, quod quotiescunque peccato te obstrinxeris, illius pœnitentia atque remorsus sit subsecuturus: cujus ratio est, quia repente natura rationalis, quâ quidem es præditus, ob oculos tuos turpitudinem facti proponet, quâ peccando te contaminâsti. Turpitudinem, inquam, quia respectu hominis omnis actio est turpis & sordida, quæcunque repugnat rectæ rationi, quæ omnem difformitatem à rectitudine, & quidquid sano sensui est contrarium, nauseat ac perhorrescit. Poterit quidem passio contemptum inhonestatis inducere, eámque palliare nomine hilaritatis, & vindictam nomine generositatis, quæ nobilem deceat obumbrare (atque idem dicendum de cæteris sceleribus, quæ mundus approbat) verùm is qui illa admittit, ipsius naturæ lumine ac instinctu indecentiam facti agnoscit, frustráque sibi ipsi mentiri quærit. Hinc de Adamo & Eva Spiritus Sanctus ait, quod postquam pomum vetitum manducârunt, *aperti sunt oculi eorum*, quibus verbis insinuat, quòd facti commissi turpitudinem agnoverint; cujus argumentum fuit agnitio nuditatis, hominem moratum indecentis: erubescentia autem à nuditate corporali incussa indicium fuit agnitæ Spiritualis nuditatis, quam incurrissent, innocentiæ veste se ipsos hoc facto privando. Idem evenit omni peccatori: peccat volenter, sed dolor continuò sequitur, & dum sibi ipsi fit irrefragabilis ac inculpatus Judex, se ipsum severissimè condemnat; dicitque cum Davide: *peccavi, injustè egi*, dum latratum ac remorsum conscientiæ experitur, quæ intrepidè ipsi obmurmurat, magna cum authoritate objurgat, ac manifesto clamore exprobrat, quòd malè egerit; unde consequitur studium illud excusandi, dum peccatum optaret palliare, negare, expurgare, aut ratione aliquâ conquisitâ defendere; nemo enim amat videri egisse contra illud, quod est conforme rationi, vitæque, in qua à Deo constitutus est.

V. Idem per fabulam, ad mores tantùm aptatam eluci- do: Præbet eam Prometheus, de quo Poëtæ comminiscun- tur, quod sequenti pœnâ in inferno torqueatur. Vultur aliquis crudelissimus, acutissimo rostro suo cor ejus con- tinuo rodit, verùm eventu mirabili, ut consumptum nem- pe continuò renascatur, ac toties quoties atteritur, revi- viscat, itaque in parte tam delicata corporis dolor æternus semper renovetur. Simile est supplicium omnis peccato- ris: vultur est conscientia, aut potiùs vermis ille, quem Christus immortalem nominavit inquiens: *Vermis eorum non moritur.* Vultur hic semper fodicat, vermis hic usque rodit cor, dum continuò scelus, & quidquid con- tra jus fásque perpetratum est, conscientia molesta og- gerit. Exprobratio ista acerbissimus est dolor intra secre- tos rationis cancellos animam excarnificans; verbaque hæc expressit Romano Philosopho. *Maxima est peccati pœna fecisse, nec quisquam graviùs afficitur, quàm qui ad supplicium* (observa nomen, quod sequitur) POE- NITENTIÆ *trahitur.* Seneca lib. 2. de ira. Quod si a- trocis hujus supplicii, cujus te aliquando peccatum tu- um damnavit, totiésque damnaturum est, quoties itera- veris pœnitentiæ inquam sequacis semper memor fueris, vel ex sola etiam tui ipsius commiseratione confido, te il- lud non esse repetiturum, solâ etiam ratione contrarium suadente.

VI. Nunc verò multùm crescit motivum non peccan- di, aut relabendi, accedente lumine fidei supernaturalis. Longè enim major exigitur dolor ac pœnitentia à pecca- tore, si à Deo peccatorum suorum veniam exspectat: non sufficit ad eam impetrandam dolor naturalis, dolor re- quiritur è motivo supernaturali procedens; de quo gen- tilis supra memoratus nihil intellexit, vi autem illius do- lere debes ampliùs, quàm doleres de quocunque bono caduco perdito, aut de quovis malo temporali tibi im- portato. Nunc considera, an comparari possit gaudium peccati cum dolore illo, qui succedere debet, siquidem

noxam

noxam tuam deteſtando dolere volueris, ſicut oportet.

VI. Atque hinc colligere poteris, quàm ridiculum & enorme ſit conſilium eorum, qui audent dicere: *volo peccare, quia poſtea de illo dolebo*. An ſanum eſſe crederes qui tibi diceret, *furabor* & poſtea dolebo, poſtea amaritudinem de furto concipiam? minimè ſane, non enim quis furatur ut doleat (id eſt, ut intellectu, voluntate ac opere ſi fieri poſſet furtum annullatum velit) verùm ut eo, quod furatus eſt, gaudeat. Similiter *occidam* inimicum meum, & poſtea dolebo, deque homicidio affligar. Et inſanus hic eſt ſermo: homicidium enim patratur, ſpe ſatisfactionis habendæ, ex vita inimico ablata. Alius dicet *mentiar*; poſtea dolebo, & mendacium me cruciabit. Et quomodo id cohæret? nonne mendax mendacium commentus eſt, animo fructum ex eo capiendi, quem ſibi inde ſecuturum effinxit. Et latro, & homicida, & falſiloquus ſi dolorem ſecuturum præconciperet, nec iſte furaretur, nec ille occideret, neque hic mentiretur. Dic amabo, dum quis dehortatur volentem malè agere, interminando, quod indubitato animum ipſius ſubitura ſit facti pœnitentia, quid alter monitus reponit? non reſpondet in hanc formam: *pœniteat me, nihil refert*: verùm ſecurus ſui dicit: NON *me pœnitebit*. Nunc quæro ex te, mi Lector, quomodo ergo potes gaudens & volens peccatum tam deteſtabile admittere, nullâ habitâ ratione graviſſimæ Dei offenſæ, & ſimul dicere POSTEA POENITEBIT? *poſtea*? itaque tibi ipſi blandiaris, tibi ipſi illudas neceſſe eſt. Ut paucis dicam, id quod eſt rei, peccas, quia amas peccati voluptatem; interim pœnitentiæ, nauſeæque mox ſubituræ cogitatio haud mentem ſolicitat: Quæ recordatio ne mente excidat, tam ſolicitè veritatem de ſecutura pœnitentia explicavi, eámque pro antidoto adverſus peccatum toto pectore à te combibi efflagitavi. Non equidem hortatus te ſum, ne pecces, eò quod debebis poſtea confiteri, etenim perſpectum quoque eſt mihi, quod, ſi præter ſimplicem neceſſitatem confitendi aliud non ſe-

quereretur,non magnæ illud futurum esset difficultatis. Ca-do rei in hoc vertitur, quòd præter synceram confessio-nem,verus de peccatis dolor conjungendus est. Quare a-id,quod est peccati maximè afflictivum, redeamus, cuju-cruciatum nemo sanæ mentis est, qui peccando velit elig-re ex quo certus est redundaturum in se dolorem.

VII. Quod verò Dei offensam attinet,attende quali-dolor requiratur ad hoc, ut veniam mereamur. Duplex e-doloris genus,unus perfectus,qui vocatur *contritio*, & a-ter imperfectus,dictus *attritio*. Uterque est vera & corda-ta voluntatis displicentia, residens in superiore animi par-te,vi cujus quis peccatum tanquam malorum omnium ma-ximum detestatur,perhorrescit, & abominatur super om-nia mala,quæcunque sunt odibilia. Ambo sunt actus supe-naturales,tam ex parte principii,sive ex parte impulsûs Spi-ritus sancti, unde illi procedunt, quàm ex parte motiv-pœnitendi, quale est ipsa malitia peccati, per fidem agnita-Nec alia est differentia, nisi quod *attritio* dolor est, qu-peccatori displicet peccatum, aut timore supplicii à De-peccatoribus intentati, aut spe bonorum, quæ Deus justi-appromisit, aut propter ipsius peccati turpitudinem ex fi-de agnitum. *Contritio* autem dolor est,quo homo dolet d-peccato purè,quia Deum summum bonum,infinito amor-dignum offendit,vi cujus uti nullum est bonum,quod De-præferat,ita nullum est malum, quod æstimet malum i-comparatione mali, quod Deum quoquo modo concer-nit; talis est omnis inobedientia & dehonoratio Dei,nequ-est malum,quod huic malo non postponat: atque hoc e-ad Deum se convertere toto corde,totoque animi affectu-*Cum ductus* POENITUDINE *cordis reversus fueris ad Do-minum in toto corde tuo,& in tota anima tua.* Deut. 30-Quod si peccatorum tuorum remissionem expetis, necess-est,dolor tuus ad unam ex utravis specie referatur, firmum-que simul nunquam relabendi propositum elicias. Quò-si autem dolor tuus imperfectus fuerit, id est,si ille fueri-

attritio

attritio, necessarium est ut illum comitetur confessio Sacramentalis.

IX. An itaque tibi hoc parum ac facile aliquid videtur? erras, si ita judicas: etenim si ante peccatum cogitares de dolore, tum de illo, qui ex natura rei peccatum subsequitur, tum de isto, quem serium liberumque debes elicere, si de utroque, inquam, ante peccatum cogitares, neque consideratus ut homo, neque ut Christianus animum ad grave ullum peccatum committendum induceres.

X. Adde, quòd ad actum tum *contritionis*, tum *attritionis* ad hoc, ut evadat utervis actus supernaturalis, requiratur gratia Dei ad tales eliciendos, quod punctum est speciali consideratione dignum. Hoc itaque supposito dic tibi ipsi: quantamcunque sperare debeam gratiam ab infinita Dei bonitate, habet tamen semper peccator, quòd timeat, sciens obtinendam esse remissionem peccatorum ab illo, quem graviter offendit, qui gratiam efficacem meritò negare potest: & quâ ratione filius prodigus verè indigebat Patre tam amabili ac benigno, qui post injurias ab eo acceptas benignitate suâ vinceret infelicis juvenis nequitiam, ac intra sinum suum ipsum reciperet, ita & peccator. Pulchram adfert similitudinem S. Augustinus, inquiens: *Homo quando vult ægrotat, non quando vult surgit*. Homo se ipsum fataliter potest ferire, non potest fatalem semper curare plagam: *Ut jaceret, intemperantiam suam habuit necessariam: ut surgat, necessariam habet artificis medicinam.* in Psalm. 98. Dic amabo, quantas ad angustias redigendus esset is, qui ad mortem foret infirmus, si pro recuperanda valetudine non nisi unicum posset nancisci medicum, & quidem quem gravissimè offendisset? Itaque peccator cui ad obtinendam peccatorum suorum veniam (cui in pœnam damnatio æterna debetur) necessarium est auxilium Dei, quem tam graviter læsit, postponendo etiam vilissimæ voluptati, quomodo de illius à se alienatione dubitans, non dicat meritò cum David toto cordis affectu: *Nunquid continebit misericordias suas?* nunquid certus

sum,

sum, quod tempus pœnitendi mihi concessurus sit ? & non potiùs me improvisò ex hoc mundo sublaturus? miserator & misericors est, sed & novi quia justus est. Quare est, quod non minùs ipsius speret pietate, quàm à justitia ipsius sibi timeat. *Misericordiam & judicium cantabo.* Unde ut finem illi, quod hucusque fectavi imponam, te rursus adhortor, ut si te, qui modò in Exercitiis peccata tua planxisti, Dæmon rursus, mundus ac caro tentaverint, diligenter reminiscaris, quod peccatum admittendo, rem pœnitendam admissurus sis, uti commonstravi. Quare tentatori responde, uti supra ille respondebat impudicæ mulieri ? *tanti pœnitere non emo*: absit in hoc consentire, cui dum peccaminosum consensum præbuero, pœnitentia atque amaritudo modò e-scripta insequetur. Et sive secularis, sive religiosus fueris, noli admittere eas transgressiones sive mandatorum Dei, sive consiliorum, votorum, regularum, quorum observantiam profiteris, noli inquam horum transgressiones, quibus conjuncta manet necessitas indispensabilis pœnitendi. Dein profundè insculpe cordi tuo illud Spiritus Sancti monitum : *Fili* : [sive in seculo, sive in claustro degis) *peccasti* ? *non adjicias iterum peccare.* Satis est, & nimium, quod hactenus peccasti : sufficiunt, & abundant transgressiones hactenus factæ, mala præbita exempla, merita perdita, pœnæ promeritæ sive in inferno, sive in purgatorio : *Sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Pro eo, ut nova deliberes peccata perpetrare, ora Deum, ut præterita dimittat : *ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum Domine.* Singulariter autem pete veniam primi peccati mortalis, in quod incidendo innocentiæ baptismalis jacturam fecisti uti & primarum transgressionum tum regularum tum votorum religiosorum. Veritatémque hanc tibi imprime ac reimprime : MINORIS est laboris non peccare, quam de eo postea dolere ac confiteri : nec satis tibi sit inferioris animæ tuæ partis desideria implere (quæ implendo GAUDEBIS MINUS, voluptas enim & gaudium temporale est actio peccaminosa, atque inobservantia regularis) verùm gaudium hujusmodi spernendo incomparabiliter, *minus dolebis.* MINORIS stat semel ac paucis vicibus peccasse, quàm post frequentes recidivas iteratò debere dolere ac redolere, toties nempe quoties reinciditur.

* * * *
* * *
* *
*

LECTIO

LECTIO SPIRITUALIS
RO TEMPORE POMERIDIANO
Quarti diei Exercitiorum Spiritualium.

VUlgatissima est sententia: *qui dicit se in Christo manere debet quemadmodum ille ambulavit, & ipse ambu-aro.* Quorum verborum sensus uti apertissimus, ita & vo. issimus pariter hic est: quod hi, qui profitentur nomen hristianorum, & de quibus asseritur illud, *qui dicit se in hristo manere*, ipsius vivendi normam conformiter statui uo, in quo ipsos Deus collocavit, imitari debeant, imlendo illud, *debet quemadmodum ille ambulavit, & ipse mbulare*: Tantundem enim absque omni exaggeratione st, bonum esse Christianum, atque Christum imitari, ad uod nos ipse designanter adhortatus est, dum ait: *Exemlum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faiatis.* Neque illud peregrinum videri debet; siquidem S. Augustinus fideles suos ad sanctorum Martyrum imitaionem exhortans, postquam sibi ipsi objecisset in hanc ormam: *dicet aliquis, & quis est, qui possit sanctorum Martyrum vestigia sequi*: ita respondet, *huic ego responleo, quia non solùm Martyres, sed etiam ipsum Dominum, cum ipsius adjutorio si volumus, possumus imitari. Audi non me, sed ipsum Dominum generi humano clamantem: discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Audi & Petrum Apostolum admonentem: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Serm. 47. de Sanctis. Et S. Bernardus in Sermone suo de laudibus S. Victoris ait: quod Christus *in terris visus est ut esset exemplum.*

I. Monstrabo autem hic, in quibus Redemptor tibi sit imitandus: quod facturus abstergam simul errorem eorum, qui sibi aliisque persuasum esse volunt, tanquam si virtutes Salvatoris magis in se ipsis admirabiles sint, quàm à nobis imitabiles: quem in finem adhibenda est distinctio virtutum; ali uæ enim sunt, quæ respectivè ad alias sunt

sunt excellentissimæ,&in gradu summè heroico à Christo exercitæ: qualis est invicta ipsius patientia in acerbissimis passionis suæ doloribus perferendis: extrema in quâ natus est,vixitque rerum omnium inopia: austerissimum quadraginta dierum jejunium: indefessa assiduitas,quâ Judæam prædicando percurrit, aliæque similes. Non à quovis Christiano harum virtutum imitationem efflagitat, verùm ab iis tantùm, quos dum ad sublimissimam professionem vocat, specialem etiam eidem conformiter vivendi gratiam concedit. Hujusmodi fuerunt sancti Apostoli, aliique horum successores viri Apostolici: tales fuere sancti Martyres,Eremitæ sancti, aliique quorum aliqui omnibus sæculis floruerunt virtutibus communes limites supergressis conspicui, quorum & semper quidam ex omni hominum genere reperientur: etenim *non est abbreviata manus Domini*. Sunt autem & aliæ virtutes à Christo exercitæ, ad quarum imitationem fideles suos pro diversitate eorundem statûs ac conditionis diversimodè etiam obligat. Atque hæ dicuntur virtutes (sive actus, quorum frequentatione gignuntur habitus virtutum) dicuntur, inquam, virtutes communes, quarum exercitium nemo bonus Christianus potest detrectare. Hujusmodi sunt humilitas, synceritas, fidelitas, mansuetudo, obedientia, patientia, amor filiorum in Parentes, & Parentum vice versa in filios: conformitas cum voluntate Divina, abnegatio desideriorum carnis, remissio injuriarum,reverentia in locis sacris:castitas statui cujusque conveniens, sive Virginalis, sive conjugalis, sive vidualis, sobrietas, modestia,studium orationis, fortitudo, justitia: ac præ omnibus binæ illæ, quæ dici possunt complecti ceteras, charitas erga Deum, & charitas erga proximum; atque aliæ nonnullæ,quarum, dum Christus ob unionem Divinæ hypostasis cum natura humana capax non fuit,Christianis tamen omnibus usum inculcatum voluit. Sic enim non fuit in Christo fides Divinorum mysteriorum ob evidentiam, quam de his habuit: neque spes obtinendæ à Patre æterno gratiæ utp-

cujus se compotem noverat;nec, quia erat impeccabilis,
pliciorum æternorum timor , eandemque ob causam
c pœnitentia de peccatis. Ab Evangelii tamen sui au-
toribus easdem exerceri voluit : itaque commendatum
bis esse voluit exercitium fidei,spei, timoris Divini,pœ-
entiæ,aliarumque hujusmodi.Itaque etiam atque etiam
hortor , ut Christi benedicti Domini virtutes imitan-
s his in Exercitiis præfigas virtutes rectæ ra-
oni conformes , & ab ipso tanquam peridoneas ad ulti-
ium creationis nostræ finem consequendum & ad excel-
im in paradiso gloriæ gradum obtinendum edoctas. At-
ue in hunc finem sequentem præmitto instructionem,ad
ropositum finem multum conducturam.

II. *Primò* itaque noveris , imitationem earum Christi
irtutum, quæ fidelibus omnibus sunt communes , ad ni-
il insolens aut extravagans obligare,siquidem sive nobi-
s, sive Domina, sive dives, sive pauper, sive Princeps sive
acerdos sive alterius cujusvis characteris fueris , non est
quod propterea metuas jacturam ullius rei, quam quidem
ex divina statui tuo indulget , cujusmodi est commoditas
n victu, vestitu,lecto,famulis, palatio,prædiis,recreationi-
bus,mercaturâ,in iis quæ decorum spectant,aliisque simili-
bus,in quibus non intercurrit Dei offensa. O facilem ergo
imitationem ! quæ cujusvis se conditioni accommodat,ne
quis eam sub prætextu , quod ad destructionem status sui
ipsa vergat, audeat detrectare, Sic enim viri nobilis cha-
racterem certè servare quis potest, dum pietatem profite-
tur,dum misericordem se exhibet, sincerum , mansuetum
&c.Et Dominam simul potest mulier agere,dum casta est ,
fœcunda,humilis &c.

IV. *Secundo.* Ad hanc Christi imitationem præter gra-
tiam Dei (quam Deus benignè elargitur , ex parte nostra
necessaria est cooperatio. Atque in hoc differunt virtutes
morales,quarum nobis imitatio à Christo præscribitur , à
virtutibus cæteris ; tendunt autem ad perficiendam vo-
luntatem,cujus est eligere bonum , quod quantò melius
est

eſt ac perfectius, tantò ampliùs illam perficit, dependen que à voluntate Divino auxilio adjutâ. Aliæ autem virtu tes ſunt intellectuales tantò in quolibet ut plurimum pe fectiores, quantò perſpicaciori prædirus eſt intellectu. Ali vocem requirunt canoram, utì muſica, aliæ robur corpo ris, utì ars gladiatoria, aliæ certam menſuram, utì art mechanicæ &c. Virtutes autem in Chriſto imitandæ no aliud expoſcunt, quàm quod dictum eſt, & ſiquidem re bene expenderis, non aliter eſſe convinceris.

V. *Tertiò*, Virtutes hæ hominem Deo hominibusqu amabiliſſimum reddunt: Deo quidem, ſiquidem ipſe i gloriam ſuam, noſtrumq; commodum illas nobis præce pit, in finem ſimul corrigendæ noſtræ corruptæ naturæ hominibus verò, quoniam is, qui eas exercet, omnem in præſcindit diſſidii occaſionem, dum omnes, una quiden hoc, alia altero modo miniſtrant charitati, cujus propriun eſt, non ſectari propria tantùm commoda. *Charitas no quærit, quæ ſua ſunt.* Dum autem aliorum ſe quis accom modat voluntati, dum aliorum ſuccurrit neceſſitatibus dum proximi diſſimulat defectus, dum aliorum quis gau det felicitate, dum, ut paucis dicam, facit aliis, quæ ſibi vel let fieri, illa verò non facit aliis, quæ nec ſibi vellet fieri, dum inquam, quis ita verſatur cum proximo, quis taliter con verſantem non videt omnibus reddi amabilem, ita ut illud de ejuſmodi dici poſſit: *Dilectus Deo & hominibus.* Profectò ars obtinendi amorem, eſt iſtud Chriſtianarum virtutum exercitium.

VII. *Quintò.* Non eſt, quòd quis metuat, ſeſe hac imitatione ad vilitatem aliquam redigendum, aut aliquid admiſſurum, quod pro ACTIONE inhonorificâ poſſit accipi: quid enim in infamiam adulterii aut furti præcipitat, quid ad inhoneſtatem proditionis aut ingratitudinis ſeducit, niſi inordinatæ alicujus affectionis, aut effrænis paſſionis imperium, quam imitatio virtutum Chriſti refrænat. Huic proprium eſt homini inſpirare rationabilia deſideria ab ſtrahere à modo operandi beſtiis communi, & ad operan

dum

um ſecundùm rationem , & magis adhuc ad vivendum xta principia fidei attrahere. Atque ideo S. Balbina,cùm rox illi crimen objiceretur à tyranno , in faciem illi auſa ſit oggerere. *Apud Chriſtianos nihi mali agitur* indicare olens,nulli impietati Chriſtianum debere eſſe obnoxium.

VII. *Quintò*. Quare imitator Chriſti certus ſit , quod ullius hominis convitium aut exprobrationem metuendi auſam habeat. *Primò* ſiquidem omnibus virtus in aliis lacet,etſi eandem à proprio domicilio proſcribant, neque nim ulli virtus eſt in commodo niſi ſoli vitio & vitioſo. *ecundò*, Licèt ipſa improbanda foret ab omnibus, ſtat pro pſa Chriſtus , qui unus valet omnes : qui dum exemplo ræivit, virtutemque ſectandam eſſe docuit, judicio oris ſui mnium contradictorum ora obſtruit. Hanc veritatem ptem bene ponderes, altéque cordi inſculpas,ut eam ſe-quaris , ſequeris autem, ſi attendere volueris,nullam un-quam creaturam pertingere poſſe ad excellentiam Chriſti, quare vel ſola illius authoritas obſcurat, extinguitque om-nes, quotquot aut verbo aut opere doctrinæ ſe ipſius op-ponunt. *Ipſe dicit* : hoc unum ſufficit ad omnem doctri-næ illius authoritatem ac ſanctitatem aſſerendam.

VIII. *Sextò* Nec verò etiam imitator virtutum harum vel in minimo imprudens aut parum ſapiens videri de-bet qui pro ſimplice & deceptu facili reputari aut vilipen-ſioni ſubjacere poſſit. Minimè hæc in illum cadunt : etenim *prudentem me feciſti mandato tuo*. Celebre item eſt illud Redemptoris effatum. *Eſtote prudentes ſi-cut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ*. Quorum ver-borum ſenſus literalis eſt, quod fidelibus ſincerè, juſtè , & ſine fuco cum proximis verſandum ſit , non ſecùs ac ſi in-nocuæ columbæ forent. O quàm pulchra hæc virtus,ſed dicet aliquis neceſſe eſſe , ut qui ita agit, fraudibus pateat, omniumque ſeſe illuſioni objiciat ? minimè gentium. Sub-jungit enim Chriſtus , oportere eſſe prudentes ſicut ſerpentes , ne quis eos in fraudem inducat. Non vult Do-

minus, ut sui decipiant, sed neque vult, ut decipi se sinant. Quin & ego ausim asserere, hominem probum, virtutibusque Christianis instructum fore, *cæteris paribus*, prudentiorem illis, qui iis sunt destituti: etenim præterquam quòd faciliùs habeat Dei auxilium intellectu etiam est magis sereno, utpote non obducto à nube vitiorum, ideoque magis illuminato ac perspicace. Quòd si Evangelicam volueris historiam percurrere, variis in locis reperies acutissima, sagacissima prudentissima Christi responsa, nec in hilo tamen adversantia veritati, fundamento illi solidæ prudentiæ, quibus ipse adversariorum suorum technas illusit, duplicitatem enervavit, cavillationes confudit. Et quid dicemus de ingeniosâ replicâ, quam nolens captiosam quæstionem à Judæis propositam ad votum ipsorum decidere, adhibuit: dum *abeuntes Judæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone*, percontantes, *si licet censum dare Cæsari an non?* & quid Jesus reposuit? *cognita Jesus nequitia eorum*, audi quàm sapienter respondit, *ait: ostendite mihi numisma censûs, at illi obtulerunt ei denarium, & ait illis Jesus: cujus est imago, & superscriptio hæc? dicunt ei: Cæsaris: tunc ait illis: reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Quo responso confusi abierunt tum Herodiani, tum Pharisæi. Quòd si & vitas Sanctorum examinare volueris, offendes tum verba tum facta sapientissima, quibus suorum illi adversariorum astutiam confuderunt, atque ita falsissimum evadit, quod virtutes, quibus suos Christus fideles vult inclarescere, ad imprudentiam devient, eosque facili deceptioni objiciant.

IX. *Septimò.* Summam animæ pacem paremque serenitatem conciliant, dum veras cordis turbationes, mœstitiam, melancholiam exterminant, atque hic est proprius earum effectus; dumque in gratiâ divinâ, sine quâ nulla vera Christiana virtus subsistit, radicantur, crescente unâ atque alterâ, accrescit pariter in ipsis robur animi, quies, gaudium, serenitas spiritûs, animique tranquillitas. Quare nemo dicat, quòd animum ad virtutem adjicere, sit sibi ipsi aliisque

ses

ese fastidiosum præbere : à veritate illud quàm maximè abhor-
et. Addo ego, quòd is, qui virtutibus Christianis est præditus, in
casibus illis, quibus alius esset affligendus, læto etiam futurus sit
animo. Et quid videtur tibi de SS. Apostolis à Judæorum fæce
ludibrio expositis: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati.*
Quid de SS. Martyribus triumphantibus in atrocissimis suppliciis?
quid de Personis Religiosis utriusque sexûs, tam senibus, quàm
adolescentibus, qui quò graviora perpetienda incumbebant, hoc
ampliori lætitiâ perfundebantur. *Regnum Dei non est esca & potus.* Mundanus homo non in alio gaudium collocat, quàm in
esca & potu, in cantu & saltu, in obscœnitatibus &c. *Sed justitia*
(quam hic nomino actus virtutum, unde quies animi & tranquillitas enascitur) *& pax, & gaudium in Spiritu S qui enim*
(rogo observa verba notatu digna) *in hoc servit Christo, placet Deo &* PROBATUS EST HOMINIBUS. Ad Rom. 14. Vide
an molestus ac fastidiosus evadat aliis is, qui virtutis studiosus
est.

X. *Octavò* Ascendit ulteriùs virtutis pretium, dum & signum
est prædestinationis nostræ, quantum quidem de eâ in hâc vitâ
nobis constare potest, incerti enim semper de eâ, seclusâ revelatione, vivimus. Is enim, qui eidem sese dedit, illud Apostoli Petri monitum exequitur: *Satagite, ut per opera vestra bona, certam faciatis vocationem vestram.* O quàm dulcis, quàm gratiosus
iste est virtutum Christianarum fructus. Inventio hæc mihi Divina videtur fuisse filii Dei, qui tenerrimo amore naturam humanam complexus, per hanc vitæ suæ imitationem, artem ipsi tradidit cum gratiâ Dei ita vivendi, tanquam si in statu, ut ita loquar,
innocentiæ versaretur. In ætate illâ felici vixissent homines absque ullâ passionum rebellione, prout Christo placitum; adversùm quas quot non adjumenta Christus nobis porrigit, orationis
maximè & sanctorum Sacramentorum præsidio, utinam tantùm
homines Christo crederent, atque dictorum experimentum amarent capere, quanta pax obtineret familias, quanta in civitatibus
quies, quanta in regnis tranquillitas, quàm læta atque amabilis
vita foret in universo mundo. Impleretur illud ubique, quod JEsus ait: *Veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

XI. Et hæc quidem, quæ hucusque dixi, eò à me adducta sunt,
ut objectiones illas dissolverem, quas Dæmon solet obtrudere, ut
fideles ab exercitio virtutum earum, quas omnibus communes
Christus operatus est, & quarum ille tam internos quàm externos
actus potest à subditis suis, tanquam Rex eorum spiritualis, exigere, nequiter absterreat. Atque hæc eadem sufficiunt ad eli-
dendas

dendas plures alias difficultates, quas præfixa mihi brevitas finit adducere. Noveris autem in communi, memoratas virtutes, non solis esse proprias Religiosis aut Ecclesiasticis, ve & justâ limitatione adhibitâ, Christiano cuivis communes debere.

XII. Neque obliviscaris verborum, quæ ex ep. ad Rom. c. 8. sumpta sunt, *quos præscivit; & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Parùm fert, ut intendas hic speculationibus scholasticis in textum h subtilissimis, sufficiat tibi scire, quòd qui ad cælum adoptati sunt, Christo debeant assimilari: & in quo, nisi in virtute? I exemplar est, & qui cælum cum ipso subire cogitat, illius exhib copiam necesse est. Et quanquam varias ipse exercuerit virtutes sublimissimas, virtutum tamen communium (siquidem alt non omnibus erant imitandæ) plura exhibuit specimina, pluri enim annis in earum exercitio versatus fuit, dum annos ante p dicationem 30. in vitam privatam insumpsit, in domo Jose ceu filiusfamilias conversatus. Illic exercuit humilitatem, patie tiam, obedientiam, aliasque virtutes, quarum suprà catalogu retuli. Ex quibus omnibus concludo, imitationem communiu Christi virtutum punctum esse substantiale, quare suadeo, ut du vitam Jesu, tuamque subinde inspicis, reflectas simul, utrùm co ditioni tuæ conformiter *Vita Jesu manifestetur in corpore vest mortali.* 2. ad Corinth. 4. dic ad te ipsum, an & ego humilis, p tiens, obediens, quanquam non eâ perfectione quâ Christ fuit (novimus enim ad eam neminem pertingere posse) an saltem perfectione qualem per gratiam Dei posses consequi, qua lisque ab eo efflagitatur, qui eum se imitari profitetur: Præcla eum imitatus fuit S. Franc. Assisias, strenuus passionum suaru domitor, pauper, mortificatus, patiens, Jesum in cruce fixum imi tari maximè ardebat, unde & cum aliquando ad pedes illius subs steret, rarum meritus est favorem, dum brachio altero à ligno re fixo, Franciscum Christus peramanter amplexus fuit, eumque pe ctori suo appressum tanquam suum singulariter Franciscum com mendavit, inquiens: nunc verò compos sum voti, dum tibi jun gor, nunc obtinui, quod spectavi. Qui dicit se in Christo manere debet quemadmodum ille ambulavit & ipse ambulare. Utilissi mum fuerit, ut à te ipso, dum injuriâ afficeris, subinde rationem exigas, ac perconteris, quomodonam hic Christus se gereret? quid faceret, si quod mihi, idem illi imperaretur, si studendum, si prædicandum, si dormiendum, si prandendum, si laborandum, quiescendum ipsi modò foret, uti mihi. Hoc pacto multùm pro fectò nobilitares actiones tuas quotidianas.

LECTIO

LECTIO SPIRITUALIS PRO TEMPORE MATUTINO

Quarti Diei Exercitiorum Spiritualium.

APparere volens in terris Dominus, egressus è Virginali matris suæ utero, in stabulo Bethlehemitico priùm apparuit. Et cùm ad nos veniret, ut conversaretur obiscum, ut salutis nostræ negotium promoveret, primo uo in ingressu non aliud expetiit, quàm quod quivis pro rbitrio suo pro libera voluntate, ac beneplacito suo ipsi ellet præstare. Angeli quidem operum Dei ministri solerissimi, Christi pariter ac salutis nostræ amantissimi hymnum gloriæ honori illius decantârunt: *Facta est multitudo militiæ cælestis exercitûs, laudantium Deum & dicentium: gloria in excelsis Deo.* Felicia deinde auguria de nascitura ex adventu illius, justorum salute ediderunt: *Et in erra pax hominibus bonæ voluntatis.* Pastores, gens inocens, tacito Angelorum, signa cælestis infantis reperiendi edicentium mandato obsecuti: *invenietis infantem positum* infantem mundi Salvatorem. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi,* devotè sese ad speluncam sacram contulerunt Reges orientis, scientiâ, divitiis, magìs autem pietate nobiles, cælesti stellâ instructi pariter Bethlehemium, ipsius adorandi causâ, advolârunt. Reliqui omnes, quorum plures fuerunt, mysterium tam grande minimè ponderârunt; ait enim S. Joannes: *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit:* quin & proprius ipsius populus Hebræi, unde ortum duxerat, inhumanitate portentosâ ipsum non receperunt; *In propria venit, & sui eum non receperunt*, & dum ab extraneis sine numero Hierosolymam ad pendendum Imperatori Romano tributum affluentibus, domus hospitiaque saltem publica nullo excluso occuparentur, non aliud nativitati suæ domicilium reperit, quàm stabulum. *Reclinavit eum,* quemadmodum de matre ipsius testatur Matthæus, *in præsepio, quia non*

erat ei locus in diverſorio. Ediſſeram nunc motivum fi-
nemque, ob quem præſentem fecerim reflexionem ad filii
æterni nativitatem in Bethlehem: eſt autem ſequens, ut ad
imitationem ipſius in heroico quodam omnibus verò e-
iam neceſſario actu te inducerem. Varias quidem, ob cau-
ſas in virtutum exercitio flacceſcimus, una interim ex his
indubitata eſt, quia ut plurimum à paucis natura ipſius
cognoſcitur, & à paucis vitæ probæ pretium æſtimatur, à
paucis ipſa probatur; & dum contemptores illius damna-
mus, ipſorum interim veſtigiis inhærentes, nimis quam
ſæpe intepeſcimus, ita ut & omnem ad virtutem animum
abjiciamus. Quare fervorem hìc lectoris excitare ſtudebo,
propoſitâ quâdam regulâ ſive maximâ, è memorato my-
ſterio deducenda; eritque ſequens: contemnere judicia
atque affectus quorumcunque, nec propter ſimilia, virtu-
tis ullius Exercitium intermittere.

II. A mortali infirmitate non licet expectare, ut om-
nes evadant Angeli, boni Paſtores, ſancti Reges. Quare
nobis ſuffecerit, quod cæleſtis aulæ inquilini, Deus, An-
geli, ſanctíque omnes bonis noſtris operibus infallibi-
liter ſint applauſuri, quòd & in terra nonnullos commu-
nis conditionis homines, ſimiles ex. gr. paſtoribus Beth-
lehemiticis, nonnullos etiam è nobilibus, nonnullos è
divitibus, quoſdam è doctis, aliquos ex Eccleſiaſticis,
nonnulloſque alios, qui in Regum Orientalium perſona
repræſentantur, bonarum noſtrarum actionum appro-
batores nanciſcamur. Regulariter non licet amplius ex-
ſpectare: popularem viam conſiderando oportet ſuppo-
nere, quòd maxima hominum pars non agnoſcat vitæ vir-
tuoſæ pretium, nec æſtimet ſciátque æſtimare aut appre-
tiare illud, quod in eorum etiam commodum vergit,
aut ex ignorantia, aut ex malitia, aut ex inepta vere-
cundia, aut ex aliis propriis ipſorum motivis, aut etiam
ex divina permiſſione. Sed quid faciendum, *Nunquid
de ſpinis colligunt uvas, aut de tribulis ficus*? An tu cona-
tum tuum eò voles intendere, ut de ſentibus botros elicias

ut è vepribus ficus producas ? hominésne indolis præfra-
tæ, vitiisque corruptos dum virtutem sectaris, à partibus
uis stare jubebis? si istud te obtenturum putas, erras gravis-
mè. Mundum enim tibi repræsentare debes, tanquam
ompositum è diversissimis geniis, complexionibus, ac
nclinationibus: varia item illum ingenia, varii mores ob-
inent: sanus in aliquibus, infirmus in aliis reperitur in-
ellectus; ingenii sunt alii recti, alii distorti, & moribus
plurimi dissimillimi: mala bonis abundanter permiscen-
ur: & quanquam non foret immensa isthæc in terris va-
ietas, non esset tamen defuturus amplissimus numerus
tultorum vario modo desipientium, peccatorum variè
celeratorum; nugacesque alii diversimodè inepti, utì &
probi diversimodè probi; unde ne lento gradu in via
Christianæ virtutis, quam exercitiorum tuorum præsen-
ium metam statuisti, progrediaris, necessum est, ut nul-
am habeas rationem judicii aliorum, nihilque penses cu-
uscunque affectum, genium aut inclinationem. Quin
ta te ipsum potiùs compella: equidem veritatis æternæ
umine à Deo collustratus, viam salutis agnovi, media
cœlestem gloriam per Christi imitationem amplificandi
didici, nemo itaque ab hoc me proposito debet dimove-
re: *unus quidem sic, alius autem sic, unusquisque abun-
dat in sensu suo.* Ad Rom. 14.

III. In quem finem motivum hìc suggeram, quod sim-
plex quidem videbitur, solidum verò, si attentè ponderave-
ris, comperies. Dic amabò, aliine, quorum tantopere judi-
cium, crisin ac improbationem pertimescis, judicio tuo,
censurâ, aut improbatione moveri se ostendunt ? ulteriùs
quæro: an iidem pariter terrentur judicio, censurâ ac
improbatione bonorum, judicio conscientiæ propriæ,
Christique judicis ? respondebis, quòd non terreantur?
& ego repono, eccur itaque vel intra solos rationis aut na-
turæ limites sistendo, ampliorem tu illis respectum velis
exhibere, quàm iidem tibi ipsi præstent ? eccur in tantum
te illis subjicere, qui nullam tui, tuique similium nec ipsius

Christi rationem habet ? profectò hoc modo nimiùm abjicis,nec grandis illa mulierum infamium, scortatorum, helluonum, vindicativorum similisque farinæ hominum turba non curat sermones eorum, à quibus corripiuntur: eccur itaque tu velis terreri sermonibus hominum in non approbantium, quod sis atque esse velis bonus Christianus ?

IV. Hortatus te fui in lectione hesterna pomeridiana, ut Legislatoris nostri & Regis supremi, Christi Domini authoritatem bene ponderares:idem hodie repeto. Christus imponens præceptum de remittendis injuriis, & diligendis inimicis,duas tantùm solidissimas illius rationes attulit.Prima est: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros,benefacite illis qui oderunt vos*:altera: *ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est: qui facit oriri solem suum super bonos & malos.* *Primum* motivum fuit motivum obedientiæ.Dum idem sonat ista sententia,tanquam fideles suos hoc modo compellâsset: quantumcunque difficilis sit O fideles mei! injuriarum remissio,nihilominus illa à vobis facienda est,siquidem ego sum vester Dominus:& qualis Dominus? Dominus est,qui me creavit, redemit conservavit, atque is ipse mandavit. *Secundum* motivum ab utilitate propriâ remittentis est petitum, ut nempe mereamur adoptari in filios Dei,salutemque æternam obtinere. *Ut sitis filii Patris vestri,qui in cælis est.* Frequenter illud tibi ipsi ingeminare debes: improbet, calumnietur,& pejus etiam aliquid intentet,quicunque voluerit: illa vivendi norma quam tenere statui,à Christo est dictata: *Ego autem dico*: nec solùm dixit,sed & exemplo docuit: *Exemplum dedi vobis,ut quemadmodum,ego feci,ita & vos faciatis.* Ipse virtutes,quas verbo tradidit,exemplo docuit:ipse crisin subivit,censuram tulit,sustinuit reprobationem ac obmurmurationem majoris hominum partis, adeò ut etiam impleverit illud: *signum,cui contradicetur.* Et tu aliud quæres quis sicut Deus? nunquid & hæc recta est ad cælum via? *Ut sitis filii Patris vestri,qui cælis est.* Quandoquidem ad salutem

lutem necessarium est Exercitium bonorum operum, hæc autem in substantia sunt virtutes, maximeque hæ, de quibus loquimur, quæ ad sublimem in cælis gloriæ gradum perducunt: *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5. An simile aliquid contradictoribus meis placendo exspectandum habeo? dum horum ego voluntati condescendo, minimùm acerbo me purgatorio obnoxium reddo.

V. Horatius, in unâ satyrarum suarum, senem aliquem inducit lucro suo magnopere intentum, quem populus conviciis lacessebat, illud proprii lucri studium sorditiem vocitans. Hinc prodeuntem è domo, in plateis aut circulis publicis comparentem, aut palàm aut secretò deridebat ceu Euclionem. Quid autem ille? ridebat istas subsannationes, dumque oneratus ludibriis domum redux acquisitos de die nummos in arcam reponebat, & saccum exonerans lucrum computabat; ajebat ipse: *Populus me sibilat, ast ego plaudo ipse domi, simul ac nummos contemplor in arcâ.* Vilis plebecula pressa domesticis angustiis, spuma populi, ad dilapidandum æs meum, volens me seducere me subsannat; magna res; quid enim? ego, dum denarios meos in dies accrescentes reputo, facilè abstergo dolorem, gaudeoque, horum ineptiis nihil turbatus, & resumpto animo accingor ad negotia mea, ut antè, prosequenda. Tu fabulam ad rem tuam applica, poterit enim & in rem tuam esse utilis. Te populus moribus tuis dissimilis, exsibilet, convitietur, jaciat dicteria, quid verba sunt, nisi aërem verberantia? Erecto esto animo, vitæ probæ conscius, gnarusque thesauri in cælis accumulandi. *Populus me sibilat?* Varii de communitate dicteriis me proscindunt, illuduntque: Verùm leve illud malum, & quidem purè tale existimatum, amplioribus longè bonis compensatur: *nummos contemplor in arca*: meliorem hoc modo redditum animæ statum deprehendo: meritorum rationes coram

Deo exaggeratas invenio: thesaurum in cælis amplificatum reperio. Quod si ita rationes inires, dubio procul ab incepto tramite non esses deflexurus.

VI. Quòd si reflexiones etiam hasce supernaturales voluerimus omittere, consideranda tamen fuerit conditio vitæ humanæ, necessitate quadam, humanarum voluntatum diversitatem inducentis, quibus omnibus satisfacere est impossibile. Perspectam se eam habere monstravit Salvianus Episcopus, dum ait: *Maxima causa est discordiarum diversitas voluntatum, quia fieri omnino non potest, aut vix potest, ut illam rem in alio quisquam diligat, à qua ipse dissentit.* Lib. 8. de prov. Quare, quomodo audes sperare, ut omnibus satisfacias, omnibus placeas, omnes præcones habeas? nónne & vides, quòd, si voluntati eorum repugnaveris, quos non delectat piè vivere, illud, quod ipsi amant, invadas? Is qui cum Esau sentiebat, Jacob adversum se irritaret necesse erat; & qui à partibus Jacob stabat, concitabat contra se Esau. Joseph pariter Parenti pio Jacob adhærens, & vitiorum inimicus apud fratrum aliquem impingebat, odiumque propterea incurrit fratrum etiam cæterorum. Quid ageret? fieri non poterat, ut & cum Parente & cum fratribus consentiret; unde adhærendo ipsi, displicebat aliis: & siquidem his sese adjunxisset, abalienâsset à se parentem. Felix autem eventus comprobavit in rem ipsius fuisse non consentire cum ipsis: etenim licèt multis ab iis injuriis affectus fuerit, cesserunt tamen illæ in ipsius gloriam, & in vituperium aliorum. Ipsi enim ad vice Regis dignitatem elevato fratres supplicare debuerunt, suósque retractare errores; quæ fortuna manere solet innocentes: atque hæc justa sors est, quam & tu adipisceris in bono perseverando, nec adversantium contradictionibus animum frangi patiendo: isti ad tempus solummodo tumultuantur: *Hæc est hora illorum, & potestas tenebrarum.*

VII. Deus virtutem, ceu aurum in camino per contradictiones volens purgari, iis patienter toleratis consolationem

sub

submittet. Hi ipsi, à quibus contradictiones passus es, te sapienter, se verò insipienter egisse, olim confitebuntur, dicentes: *Erravimus à via veritatis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Sap. 5.

VIII. Atque illud usque adeò verum esse in profanis passim historiis comperitur, in quibus invenies ut plurimum viros magnos, virtutibúsque licèt naturalibus tantummodo ac politicis præditos, diversis variorum hominum geniis, studiis ac judiciis exagitatos fuisse. Et quidem Fabius Maximus, Romanæ Reip. Columen, nemo facilè crediderit quot contradictiones sustinere debuerit *Primò* quidem à Minutio Magistro equitum, qui cautum ipsius ingenium, quo Imperatorem Carthaginensium Hannibalem debellare studebat, impudenter sugillavit: *dein* ab ipsomet senatu, qui nimiùm credulus, multas ipsi molestias suscitavit; ille verò amore patriæ sustinuit omnia, & manifestas decoxit injurias. Et quis fuit exitus? Minutius denique ad Dictatoris Fabii pedes accidit, ac temeritati suæ veniam exoravit: errorem ille suum confessus est, & Roma virum hunc, malè priùs à se tractatum, ceu patrem patriæ salutavit: ex quo collige, non bonam tantùm probi Christiani vitam subjacere adversariorum censuris, dicteriis, atque horum gravioribus, verùm & idem evenisse, evenire, atque eventurum cuicunque, rectè agere volenti. *In igne probatur argentum; homines verò in camino humiliationis.* Eccl. 2. In fornace inquam contradictionis, rectè agentibus injuriæ sunt à malis tolerandæ. Finitis exercitiis Spiritualibus, nobilissimam de hac materia concionem lege apud P. Paulum Segneri in admirabili suo quadragesimali.

IX. Quoniam autem in oblata hodie lectione, cœpi agere de Mysterio Nativitatis Dominicæ in Bethlehem; redeamus eodem. Jesus ab instante Nativitatis suæ cœpit idem facere, quod in op-

portuna postea occasione verbis etiam enuntiavit: *non quæro g-*
riam meam sed ejus, qui misit me, tanquam voluisset dicere: om-
nes fructum suum capiunt ex me, ex mea humiliatione, ex me
paupertate; sufficit mihi placere æterno Patri; neque enim alid
curo, neque aliud quidquam est præstantius. Ipsi placuit, ut è plu-
ribus nascendi methodis pro salute humani generis eligerem hu-
miliationem, à qua ipsa tanti hominum sermones provocandi, tot
adversarii mihi excitandi sunt, sicut Domino placuit, ita factum
est: sufficit, modò illi satisfiat. Scio, Pater æterne, quod impii ho-
mines mihi obtrectaturi sint: *Maledicent illi, & tu benedices.* Is.
108. Atque hoc ipsum animum meum tranquillat, recreat, exs-
tiat. Idem tibi sentiendum, *maledicent illi*: Vocabunt te aliqui sim-
plicem, timidum, excordem, inhumanum, pusillanimem, & mela-
cholicum, intractabilem, & graviora etiam in properabunt: *& t*
benedices. Verùm Deus, Christus, Angeli, probi ac timorati Chri-
stiani te bene fecisse prædicabunt. Hæc omnia non tantùm sim-
pliciter sufficere, sed & consolationem tibi afferre debent.

X. Marcus Tullius in consulatu suo maxima cum integritate
versatus fuit, ac potissimùm in detectione conjurationis, à Catilin
ac nefariis illius sociis ad opprimendam libertatem Romanam
suscitatæ, irritabat ipse conjuratos hosce eorumque fautores, quo-
rum unus Antonius in concione publica adversus Tullium, con-
sulatum ipsius dicteriis proscindendo, insurrexit, omniaque i
eum mala conjecit. Tullius animosus adversario concessit, quod
voluit; consulatum nempe suum non placuisse Antonio. Hoc
ipso verò gavisus, adduxit plures, majoris authoritatis ac fidei vi-
ros, qui suum prædicâssent consulatum, quos inter allegavit Pom-
pejum id temporis Romanæ Reip. Principem. *Non placet Anto-*
nio consulatus meus? ac si voluisset dicere: & quæ illa infamia
Antonio viro scelerato consulatum meum displicere? placere illi
dedecus fuerit, sufficit tot aliis egregiis viris omnibusque bonis
eundem placere. *At placuit Publio Servilio: placuit Lucio Catu-*
lo. placuit duobus Lucullis: Marco Crasso: Quinto Hortensio: Ca
Curioni: viris omnibus præcellentibus, *maximè verò consula-*
tum meum probavit Cnejus Pompejus. Simili prorsus idioma
tibi est utendum, quòd si honesta tua vivendi norma, quam ser-
vare statuis, impudicis, ambitiosis, vindicativis, &c. non placuerit,
nihil refert: idipsum laudi tibi fuerit. Placebit illa Sanctis in
cælo, placebit bonis in terris, placebit Angelis custodibus, placebit
Religionis tuæ fundatori, placebit Sanctissimæ Matri Mariæ Vir-
gini, placebit Christo, placebit toti sanctissimæ Trinitatati. Qua-
re quicunque hæc legitis, *Consolamini invicem in verbis istis.*

LE

LECTIO SPIRITUALIS
PRO TEMPORE POMERIDIANO QUINti Diei Exercitiorum Spiritualium.

AN aliquando expendisti versum illum Davidis Ps.118. *Ordinatione tua perseverat dies?* Prodigio simile esse videtur, quod post tot annorũ chiliades, dierum noctiumque vices eædem in hunc usque diem suis respectivè temporibus perseveraverint, idem planetarum cursus, eædem stellarum orbitæ post tot sæcula, ante quæ David hæc verba cecinit, decursæ. Verùm cesset omnis admiratio, considerato verbo illo *ordinatione*; modo allegato. Quæ enim causa admirandi, quod cursus iste tam perfectè observetur, postquam novimus, dies, siderum, cœlorumque cursus nunquam extra regulas suas exorbitare, nunquam extra limites à Deo illis præscriptos extravagari. Et paulo quidẽ priùs memoraverat David, quia terra, *in æternum permanet*, conformando se Divinorum decretorum ordini, qui fuit, ut esset immobilis: atque hunc sequendo statum suum conservavit. Idem voluit Deus in cælis esse constantis motûs fundamentum; ut nempe non violarent ordinem à Deo in creatione illorum ipsis præscriptum.

II. Reflexio hæc, mi Exercitans, te admoneat, & tibi certos à Deo subjectionis, tum erga se, tum erga vicarios suos, limites esse præscriptos, atque illud vitæ genus, ad quod à Deo vocatus es, certis esse terminis arctatum. Intra hos itaque te deinceps contineas necesse est: quod, si per auxilium Divinum præstiteris, perseverabis in bono, quod cœpisti. Corrupta equidem natura, uti & Dæmon omnes nervos contendent, ut à sanctis his cogitatis te dimoveant, teque assiduè urgebunt, ut jugum omne subjectionis, servitutis, dependentiæ omniaque vincula abjicias: dictum illud perversorum quorundam apud Davidem à te etiam extorquebunt: *Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* dum verò videris te expositum pe-

riculo ut ab hac suggestione decipiaris, tu sequentia sub
infer verba. *Nonne Deo subjecta erit anima mea; ab ips*
enim salutare meum: quæ verba protestationis loco erunt
quâ protesteris te velle vivere in subjectione illa, in qu
Deus tanquam Dominus universalis omnium vult omne
vivere.

III. Ut verò punctum istud, quod mihi substantiale vide
tur, meliùs capias; scias necesse est, id, quod nomine invi
dioso subjectionis significatur, hìc aliud non esse quàm re
gulas, instructiones, directiones tum ad piè vivendum
cum gratiâ Dei, tum ad proficiendum in eâdem. Quemad
modum & omnes artium Professores regulas quasdam
præscribunt, quarum usu discipuli atque opifices perficiun
tur; utì patet in arte pictoria, architectura, musica aliisqu
artibus: quisquis has sequi detrectat nauseatve, utì schola
res impatientes amant facere, artifex certè perfectus nun
quam evadet. Idem de virtute dicendum. Certa quædam
vitæ virtuosæ principia sequaris necesse est: ex. gr. non om
nem evagandi licentiam oculis debes permittere, non quid
libet audiendi potestatem auribus, nec quidlibet effutiend
facultatem linguæ, nec, quidquid manibus libuerit palpa
re, liceat; nec quolibet eundi copia fiat pedibus: nec cu
riositati fræna omnia permittantur: Regulisque hisce t
submittere debes, quantuscunque etiam fueris.

IV. Inspice vitam privatam Christi, quam brevissim
Evangelista expressit solo nomine subjectionis. *Et erat sub*
ditus illis. Verùm quanta paucis continentur! Insinuat a
minimum Sacer historicus, quod hoc tempore nolueri
manifestare infinitam illam sapientiam suam, qualem tem
pore prædicationis suæ commonstravit; neque omnipo
tentiam, quam postea miraculis edidit, dum in public
comparuit. Quid ergo subditus Josepho & Mariæ egit
servavit triginta annis præstitutum sibi privatim vivend
modum: quâ factâ ultroneâ electione, propositum non
immutavit. Idem tibi statuendum est: certæ quædam dein
ceps regulæ tibi observandæ, sub quarum directione quæ
dam

dam agas, quædam omittas: omittas, quod in præcipitium te potest adducere; agas, quod à lapsu te valet prohibere.

V. Hoc utilissimæ subjectionis principio, Divinaque gratia suffultus, lucrum sacro Exercitiorum tempore collectum tum conservabis, tum augebis. Jam suprà dixi, Deum tibi præscripsisse limites aliquot tum immediatæ erga ipsummet subjectionis, uti & posuit naturalem suum fluminibus alveum; tum submissionis erga alios, quos loco suo substituit, possuntque hi comparari aggeribus, qui arte præcisè humana egeruntur ad fluminis impetum coërcendum, ne extra terminos à creatore ipsi præfixos evagētur. Quâ ex similitudine duplex subjectionis memoratæ genus condiscas velim. Immediatam primò erga Deum, quæ consistit in adimpletione mandatorum ipsius, in Decalogi & præceptorum Ecclesiæ observantia; quò spectat fuga septem peccatorum capitalium, utì & obligationum cujusque status propriarum impletio; quæ singulatim discutere non mei est propositi, nimiùm enim prolixus evaderem. Quivis plura, quàm dicenda, novit. Noto tantummodo, plures parùm reflectere ad necessitatem particularem evitandi scandali, quod tam facilè præbent; & præbendi è contrario boni exempli, quod dare illos oporteret. O acerbam sententiam! *Cui plus datum est, plus requiretur ab eo.* Legent has fortè paginas viri illustres, Ecclesiastici, ad gradus promoti tum seculares, tum Religiosi: utinam omnes hi considerent apprehendantque eminentiam suam super alios, atque nascentem hinc felicem necessitatem, non præbendi inferioribus scandalum. Ad quod evitandum, à quibusdam, illis de cætero, nisi in gradu hoc forent collocati, licitis, abstinendum est. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Patri familias, superiori alicui Monasterii, & quicunque sive capacitate naturali, aut muneris dignitate, sive in Magistratu sæculari sive Ecclesiastico, sive ætatis privilegio præcedit, cavendum ipsi est scandalum, caveant hi aut mala agere, aut bona intermitte-

te, unde exemplum ipsorum authoritatem sceleribus conciliet, aliique ad malè eos imitandum provocentur. Subjectionem hi amplectantur necesse est, de qua modò locutus sum. Quoad exteriora pariter nonnulla, exemplo prælucere debent, quale multum valet ad alios pertrahendos ad bene vivendum. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Præbeant exemplum reverentiæ in Ecclesiis, frequentiæ & attentionis in concionibus, curæ Nosocomiorum, solitudinis pro doctrina Christiana, circumspectionis in sermone; omnia hæc sunt species quædam subjectionis, de qua sermo est. Persona similiter Religiosa, vivens in communitate, accurrata imprimis appareat in observantia disciplinæ regularis, manè tempestivè surgendo, chorum frequentando, conventiones ad pietatem pertinentes non negligendo, adhibendo opera pœnitentiæ, & ita de cæteris. Atque in hujusmodi fortè quadrat illud dictum Christi ad S. Petrum, *Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quò non vis.* Joan. 21. Ætas Petri qualis hìc intelligatur, satis intelligitur ex verbis sequentibus: *Hæc autem dixit, significans, quâ morte esset glorificaturus Deum.* Idem applicari potest his, qui aut ætate aut dignitate majores sunt: *cùm esses junior*: dùm ad ætatem nondum illam venerabilem pertigeras, non ita attendebatur ad parvos tuos defectus, supponebaris enim adhuc esse imperfectus. *Cùm autem senueris*; verùm dum modò ætate provectus, ministerio aliquo aut gradu conspicuus: *extendes manus tuas.* Atque illæ nodis vinculisve illigabuntur, ut non pro libitu eas, verùm tantùm ad bonum exemplum & ad ædificationem exerere, tibi futurum sit licitum. *Et alius te cinget.* Superiores tibi proponentur ætate ac meritis te inferiores, ita enim fert cursus Divinæ humanæque gubernationis, te ligabit, id est, exiget à te observantiam rerum illarum, quam tu, si fores superior, ab

aliis etiam esses exacturus. Porrò non hi tantùm juniores superiores, sed & tota communitas in te jam viro sene, viri perfecti exemplum desiderabit. Ideoque *ducet, quò non vis*: in necessitatem adduceris faciendi ea, quæ non vis, commoditatibus quibusdam à te optatis tibi erit abstinendum; verbo: multis aliorũ ad te attentionibus subjicere te debebis. Sapiens aliqua Ducissa de Patribus Societatis audita est dicere, quòd Religio ipsorum à Novitiis exigeret maturitatem senum, & à Senibus accurationem Novitiorum: quod aptè dictum ad propositum meum. In eadem Societate nostra in magna sunt veneratione B. Aloys. Gonzaga, qui cùm Princeps esset à natalibus, & ut plurimum corpore infirmiori, nullam unquam instituti sui regulam violavit, uti & Joannes Berchmannus, & P. Fabius de Fabiis. Qui & postremus Romanæ natus urbe ab antiquis Fabiis celeberrima, & ultimus, ut creditur, ejusdem antiquissimæ familiæ: Societati adscriptus, honorificentissima pleraque officia administravit*: & cùm plurima in eo virtutum decora eluxerint, nihil ampliùs in viro tot meritis insigni commendatur, quàm minutissimarũ Regularum ac disciplinæ quotidianæ observantia exactissima; in hac singularis fuit, absque omni tamen umbra singularitatis; quod & in altero ejusdem Societatis Religioso comprimis celebratur: fuit is P. Carolus d' Oria qui omnes officiorum gradus pertransivit, & ad octuagesimum circiter ætatis gradum perductus, omnium regularum *ad literam* observandarum fuit studiosissimus. Atque hæ subjectiones illæ, quibus neminem in statu suo se subtrahere est expediendissimum: has enim Deus ipse imponit, has conscientia exigit. Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas; & posuit eas in firmamento cæli, ut LUCERENT super terram. Applicet quivis verbum illud LUCERENT pro diversitate præeminentiæ, quam habet; recordetur autem pariter, quid mari dictum fuerit:


hic (ad tenues nempe arenas) *confringes tumentes fluctus tuos*, quodque solis currus intra eclipticæ terminos co stringatur, ac binis de anno vicibus in tropicis suis suu habeat *non plus ultra*; limites ambos, quos non licet i transgredi. Dico porrò, quòd suavissima Dei providen propter innumera accidentia suos in terris vicarios posu rit, eosque homines, de quibus dici potest: *homo homi Deus.* Quilibet hominum status talem habet. Et in ma ria Spiritûs, conscientiæ, animæque Patres proposuit Spi tuales: subjectio quoque erga hosce momenti est opinio multorum majoris, quare hanc comprimis tibi comme datam velim. Quod si talis tibi non est, tu ipse Patrem t Spiritualem selige, instaura sæpe tuam ab eo dependen am, pro Spirituali profectu tuo ad eum recurre, & con lium ab eo cape. Audi, quid ipsi magno Paulo contiger postquam JEsus hunc vas electionis efformare statuera ipseque Divinæ vocationi obtemperans dixerat: *Domi quid me vis facere*: non aliud à Domino responsum c tinuit, quàm sequens; *Surge, & ingredere civitatem*, *ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Act. 9. Missus est Ananiam (qui profectò non tam altum evasit, quàm Pa lus) jussusque illum sequi. Quid porrò? memorat S. Lu in toto ad civitatem usque itinere, donec ad Ananiæ d mum pervenit, apertis ipsum oculis nihil vidisse, ideoq manu duci debuit: *Apertisque oculis non videbat: ad m nus autem illum trahentes introduxerunt Damascum, erat ibi tribus diebus non videns.* Postquam autem d mum Ananiæ ingressus fuit, manus capiti illius imposi Deique super ipsum nomen invocatum fuit, dicit sac textus: *Confestim ceciderunt ab oculis tanquam squa mæ, & visum recepit.* Tanquam si Deus per magni hu Ministri sui ac prædicatoris exemplum omnes voluisset i struere, quòd in rebus animæ ab instructione Magistr rum Spiritualium dependere debeamus. Experiris fo subin difficultatem in hoc puncto: tentaberis à neglige tia, videberis tibi non indigere operâ ipsius; fortè & eu

ci

ui huic officio est præpositus, inhabilitatis incusabis : vem noli tentationibus hisce cedere : *Qui vos audit, me* *dit.* Ita Christus ad suos deque suis discipulis, ut scite-us, Christum in iis loqui. Atque ut concludam ea quæ ertinent ad sanctam illam subjectionem, de qua sum lo-utus hactenus, finiam per duo exempla è sacris paginis eprompta. Primum præbet ipse Christus. Qui dum ab xactoribus vectigalium, monetam nescio quam solvere ostularetur, sciens se ad hanc pendendam minimè obliga-um, ne tamen sermones hominum provocaret, & ut sub-ectionis præluceret exemplo, adhibito etiam miraculo, pro e ac Petro solvi voluit : ut non scandalizemus eos, vade ad are; & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascen-erit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem : illum su-mens da eis pro me & te. Matth. 17. Toto ipse vitæ suæ empore implevit illud : *Non veni solvere legem, sed ad-mplere*; cæremoniisque legalibus plurimas subjectiones ecum inferentibus subjacere voluit. Nunc verò & reco-gitâ subjectionem illam, quam triginta privatæ vitæ annis præstitit, quæ huic præbuit discursui materiam. *Et erat subditus illis.* Ipsum ego mihi repræsento in minimis et-am pro exemplo nostro dependentem à Maria & Josepho. Exemplum alterum subministrat vetus Testamentum in pientissimo illo sene Eleazaro. Acerbissima flagrabat persecutio adversus electum Dei populum, ab impiissimo Tyranno Antiocho intentata. Ad prævaricandum sacratissimam Dei legem volebat ille seducere inter alios memoratum spectabilem senem, compellendo eum ad vetitum esum carnium porcinarum. Quì autem se gesserit, ipsa verba dabunt sacri historici legenda lib. 2. Mach. cap. 6. *Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir ætate provectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntariè praibat ad supplicium : intuens autem, quem-*

admodum

admodum oporteret accedere; patienter sustinens, destin
vit non admittere illicita propter vitæ amorem: Hi auten,
qui adstabant, iniquâ miseratione commoti, propter ani
quam viri amicitiam, tollentes eum secretè rogabant affe
ri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur mand
casse, sicut Rex imperaverat de sacr ficii carnibus: ut h
facto à morte liberaretur; & propter veterem viri amic
tiam hanc ei faciebant humanitatem. At ille cogitare co
pit ætatis, & senectutis suæ eminentiam d gnam, & ing
nitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ convers
tionis actus, & secundum sanctæ, & à Deo conditæ leg
constituta, respondit illico, præmitti se malle in Infernum
non enim ætati nostræ dignum est (inquit) fingere, ut mu
ti adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta anno
rum transiisse ad vitam alienigenarum; & ipsi propte
meam simulatiooem, & propter mod cum corruptibilis v
tæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atque execr
tionem meæ senectutis conquiram. Nam si in præsenti tem
pore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipoten
tis nec vivus, nec defunctus effugiam: quamobrem fortite
vitâ excedendo, senectute quidem dignus apparebo. Ado
lescentibus autem exemplum fortè relinquam, si prompt
animo, ac fortiter pro gravissimis, & sanctissimis legibu
honestâ morte perfungar. His dictis confestim ad supplici
um trahebatur: & vitâ decessit, non solùm Juvenibus, sed &
universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum vir
tutis & fortitudinis relinquens. Nobile hoc facinus per
legens, siste nonnihil in quibusdam verbis, & invenie
sanctum hunc athletam adhibuisse præcisè verba hujus
modi, quæ hucusque explicavi nomine SUBJECTIO
NIS virtuosæ, quam quicunque cogitat Deo hono-
rem exhibere, profiteri debet.



LECTIO

LECTIO SPIRITUALIS
PRO TEMPORE MATUTINO
Sextæ Diei Exercitiorum Spiritualium.

I. EXistimo eum, qui exercitia peregit, exire debere cum proposito salutem non tantùm propriam, sed & alienam procurandi, nec in hoc me judicio credo falli. Hunc certè finem spectavit generosus ille S. Ignatii Spiritus: in proposita de duobus vexillis meditatione unicè quæsivit milites conscribere, quibus strenuam sanctamque militiam pro nomine JEsu militare cordi foret, sub hujus dimicaturos signis; qui laborum tolerantiâ, vitæ etiam, dum necesse foret, profusione animas lucrari essent parati. Ad eundem ego finem hìc desidero cooperari, optoque, ut & tu ad illi cooperandum per hodiernam lectionem Spiritualem te disponas. Consilium istud fortè primâ quidem facie ad solos religiosos pertinere videbitur, verùm non ita est. Si enim verum est illud Philosophorum axioma. *Contrariorum eadem est disciplina*; sequentem mihi videor legitimè facturus illationem: *quisquis novit aut intendit pervertere animas, ad Dæmonis sequelam eas adducendo; potest, si velit, easdem adjuvante divinâ gratiâ etiam conducere ad Deum.* Amabo expende ratiocinium hoc meum, & verissimum esse comperies. Et quâ quæso adhibitâ methodo animæ ducuntur ad pernitiem? nôsti eam, atque utinam non ipse experientiam ceperis, aut ab altero perversus, aut ipse ad alterius perversionem cooperatus. Pervertuntur animæ sermonibus, consiliis, conversationibus, vitiorum, ad quæ seducere quis alterum gestit, encomiis, nimiâ familiaritate; malorum Societate, perversisque aliis mediis horum similibus. Pro animis ad Deum convertendis, factâ tantùm materiæ variatione, tu præsta tantundem: loquere de rebus divinis; conversare frequenter cum illo, quem ad Deum quæris allicere; lauda virtutes, carpe

vitia; invita eum ad loca pia, ad ſacram aliquam congre-gationem, ad concionem, adduc ad viros etiam religioſo, quos arte animas ad Deum attrahendi pollere nôſti: præ-be illi legendum devotum aliquem librum : commend illum Deo: ſuſcipe pro ipſo aliquod pœnitentiæ opus, a videbis, quòd animam hanc tibi Dominus conceſſurus ſi aut virtute horum mediorum, aut verò propter eorun dem uſum alia tibi media ſuggeret, eiſdemque ſanctiſſim gratiâ ſuâ robur addet, ita ut ad finem tuum feliciter ſin ſucceſſura.

II. Oportet autem bene apprehendere, quanti ſit an mam aliquam Deo lucrari; hoc enim bene intellecto, fa cilè eſt accendere in ſe verum deſiderium tam ſancti ope ris promovendi. Itaque *primò* licet aliud non evinceretu quàm illud animæ bonum, æternis aliàs ignibus adjudican dæ, quis tam duri cordis fuerit, ut ad eripiendam è tan atrocibus flammis animam manum extendere nolit? ſupe ri! quis inquam, tam efferatus eſſe velis! Hiſtoriæ ſæcula res plures extollunt ſtrategos, quod ad heroinas quaſdan vindicandas arma ſtrinxerint, quales aut ad beſtias damna tæ fuerunt; & ita vindex Andromadæ Perſeus ab iis cele bratur; aut ad ignes, utì Dincta, quam Daunus liberavit & pium ſacræ paginæ Danielem prædicant, quòd pulchran atque innocentem Suſannam à furore inveteratorum i malitia ſenum, atque à Saxi pluvio defendere tanto moli-mine conatus fuerit, qui quidem eandem, quòd in ſcelu ipſorum illa noluiſſet condeſcendere, lapidibus obrui vo luerant. Sed quid dicam? nunquid erga miſerum animal culum aliquod lupi rapacis dentibus objectum commiſera tione tangeris? nunquid & eandem in te provocat aſpectu columbulæ vulturis edacis unguibus ſubjectæ: quomodo ergo fieri poteſt, ut anima intra Draconis infernalis fauce ingemiſcens ad eandē te miſericordiam non commoveat An cor tibi poteſt eſſe tam duro filiæ concretum, ut ani mam illuc, ubi æternùm eſt crucianda, tendentem noli revocare? Natura vanæ pulchritudinis aſpectu facilè ad

com-

compaſſionem inflectitur,atque ab eadem,quidquid nocere poteſt,propulſare ſatagit. Verùm quantò pulchior eſt anima!

III. Satis tibi ſit ſcire,quod homo factus ſit ad imaginem Dei non ratione corporis ſed animæ juxta illud S. Auguſtini. *Ubi factus eſt homo ad imaginem Dei? in intellectu, in mente, in interiore homine*: non, inquit in corpore, in carne, quæ plures tamen ſtolidos amatores tantopere ad ſui amorem rapit: anima ſimilis eſt vultui Dei : unde in animarum gratiam, laudi hominum accinuit David; *Ego dixi, Dii iſtis*:qui vis homo Deus aliquis eſt,non per eſſentiam ſed per ſimilitudinem. Deus archetypus eſt, homo typus, Deus exemplar, homo copia ſive imago, non tamen inanimatarum inſtar picturarum, quæ *os habent, & non loquentur, oculos habent & non vident; aures habent,& non audiunt,manus habent & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt*; Verùm imago viva, & vivens quidem vitâ immortali. Ad tam præclaras animas captandas Chriſtus avidiſſimè invitat, inquiens : *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*. Et quot animas orco præripere, cæloque aſſerere valeres, ſi animum tantùm velles adjicere.

IV. Deploranda eſt miſeria, tam paucos reperiri, qui ſeriò illud ambiant:*Meſſis quidem multa, operarii autem pauci*. Heu! quot animæ ſuſpirant! *Domine, hominem non habeo* : non habeo, qui mihi à foſſa hac, in qua jaceo demerſus, porrigat extrahendo manum; in quam interea tot artibus anniſi ſunt plures me præcipitare. Et nimis proh dolor! Verum dicunt; quanta enim à Dæmonum emiſſariis expenduntur, ut hi ipſi ſocios ſibi in inferno conquirant; & pauciſſimi vel denarium expendunt, aut ſuam nequidem impendunt operam, ut ſocios ſibi in paradiſo adſciſcant.

V. De Margarita Parmenſi refertur ſequens nobiliſſimũ facinus: Gubernatrix cùm eſſet Flandriæ,ac Bruxellis degeret,verſabatur illic hæreticus, cui binæ proles erant, altera maſcu-

masculus, altera fœmella, ambo raræ pulchritudinis. Duci-
sa in illa vultûs elegantia præstantem animæ formam le-
gens, commiseratione tangebatur, recogitans, quòd sobol
istæ moritura in hæresi, fœdissimi Sathanæ æternùm futu-
ræ essent mancipia. Quare evocatum ad se Parentem roga-
vit, binas hásce proles doni loco sibi consignaret, ipsas si
filiorum loco futuras, se matris expleturam partes, de pe
honesta ipsis alimoniâ rebúsque omnibus à se providen-
dum. Hærebat ad tam humanam propositionem attoni-
tus pater hæreticus; dein percontatus, quid ad proles tam
grandi favore honestandas celsitudinem suam permove-
ret? subjunxit illa: *dicam tibi candidè: inspectâ tam ele-
ganti prolium tuarum specie, cor meum commiseration
earum tactum est, doloréṁque acerbissimè, si tanta form
corporalis, quæ in prolibus tuis emicat, magis autem anima
venustas Sathanæ in prædam æternùm esset cessura; quod
futurum, nisi porrò in gremio Catholicæ Ecclesiæ educat
fuerint. Quare mihi eas cede, educabo illas in vera fide
atque adoperabor, ut sanctam discant vitam agere, itaqu
salutis æternæ fiant compotes.* O insignem heroinæ huju
in animas pietatem! non ægre dein consensit Parens Mar-
garitæ votis; illa autem gavisa lucro tam nobilium anima-
rum, conduxit eas in Italiam; ibidémque in Ducatu suo tum
Parmensi tum Placentino ad eam ipsas pietatem institui fe-
cit, ut certam etiam de se spem fecerint aditæ salutis æter-
næ, æternùm pro tanto munere, Heroinæ hujus verè Chri-
stianæ zelo obligatæ. Quòd si divitibus tantummodo scri-
bere esset propositum, aliud non foret necesse subjungere
non aliud dicerem, nisi sequentia: O quantæ impensæ fiun
pro nutriendis canibus, equis, & pudor! pro concubinis
quanta non erogantur (pudet iterū dicere:) ad juvenes puel-
lasque in perditionem abducendas! ô qui estis tales, retra-
hite pecunias, & in meliorem sortem convertite, impendite
potiùs eas ad totidem animas cælo lucrandas. Verùm ad
plures hæ meæ paginæ diriguntur; quare omnibus, quot-
quot tam multis animabus auxilio indigentibus possunt

suc-

ccurrere, toto animi affectu commendatum peto, ut eas djuvent, ſuam navent operam, manum porrigant, *omnium operum divinorum diviniſſimum eſt cooperari Deo d ſalutem animarum.* S. Dion. Areopag.

VI. Laudo quòd fidelium plurimi ad ſuffragia animaus purgantibus præbenda ſint propenſi, optimè equidem: iquidem tormentorum, quæ ipſis perferenda, acerbitatem ordi ſumunt. Verùm eccur, ſubjungo, non apprehendiur, quod animæ multò plures ad infernum pergant, quod ieu nimis quàm certum eſt? quod eò ampliùs penſandum uia *in inferno nulla eſt redemptio:* aliæ autem animæ è urgatorio aliquando evadent. Totidem ad orcum perunt, quotquot in peccato mortali decedunt, in quo vixeunt: in eo autem vixerunt, quia nemo advertit, nemo duxit. Quòd ſi fidelium pietas in opus tam ſalutare ſe efudiſſet, pauciores certè in infernali abyſſo jacerent.

VII. *Secundò*: à pluribus me exaudiendum crederem, ſi ttenderent, quòd, qui ſaluti animarum promovendæ ſe applicat, impediat, quò minùs Deus æternis in inferno laſphemiis dehonoretur; conferat autem è contra, ut ab iſdem æternis in cælo laudibus extollatur. Siſte hìc mi Lector & attentè conſidera, quòd cauſa Dei tui agatur, cui debes, quidquid habes, animam, corpus, talenta, capacitatem, cauſa illius agitur, qui te conſervavit, qui te redemit, cauſa illius, qui pro te mortuus eſt, cauſa illius, qui curâ tam ſpeciali animæ tuæ intendit, cauſa illius, quem in Exercitiis hiſce infinito amore dignum agnoviſti. Quæ itaque difficultas te abſterreat, quò minùs animum totum adjicias ad conſilium tam ſalutare, curéſque omni ſtudio, ne quis ad inferna deſcendat, æternùm illic blaſphematurus, Deo maledicturus, odio æterno Deum amabiliſſimum perſecuturus? Seraphica illa Virgo S. Catharina Senenſis ſæpiùs proteſtata fuit, ſe perpetuò ad fauces inferni libenter excubituram, ne cui illuc liceret intrare. Nimium hæc tibi dixiſſe videbitur, nec dixit tamen, niſi quod cuilibet dicendum ac ſentiendum foret, ſi bene apprehenderet,

quantum malum ſit Deum blaſphemari, ac maledici, & bonitatem illam infinitam odio à quoquam haberi ; quod erit deteſtandum illud damnatorum in inferno neg-tium Bina hæc motiva , quorum unum quidem tenet ex parte Dei, alterum ex parte animarum, bene expenſa, utì à te fieri rogo, abundantiſſimè ſufficient ſemper, ad p-ſuadendum tibi propoſitum meum.

VIII. Verùm prævideo quid ſis injecturus, aut quòd curam animarum non ſis obligatus , aut quòd negotiu hoc multas pariat difficultates, tædia, labores. Verùm au me, quæſo: quod attinet punctum obligationis, non ſupp-tit tempus ad ſat amplè reſpondendum; interim permitta ita eſſe, utì inquis, non attento eo, quod dicit Eccleſiaſtic c. 17. *Unicuique Deus mandavit de proximo ſuo.* Noris e-iam opera miſericordiæ Spiritualia, non corporum ſed an-marum ſalutem ſpectare. Verùm hoc ſolùm hortor ; ut obligatus non es ad procurandum animarum ſalutem; in-termittas ergo ſaltem, ad quod intermittendum es oblig-tus ; omitte dare malum exemplum, malaque conſilia : ab-ſtine ab aliis ad peccatum provocandis; omitte ea, quæ n-viſti aliis eſſe ſcopulum offenſionis, ad quem ſalus alioru alliſa naufragatur. Denique ſi ad excuſandum te ſuffic-prætenſa immunitas ab obligatione, Jeſus ergo etiam nun-quam è cælo deſcenderit, non incarnatus, non paſſus, no mortuus ſit. *Propter nos homines, & propter noſtram ſa-lutem deſcendit è cœlis; & incarnatus eſt de Spiritu ſanct ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, crucifixus, mortuus ſepultus.* Profectò non ipſe etiam erat obligatus ; amor tamen ſalutis noſtræ, Patriſque æterni gloriæ , tanta in ſ-ſuſcepit. Et quid diſcipulis ſuis hoc pacto acclamat aliud quàm: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Quantum ad difficultates ſacro hoc in negotio occurrentes attinet, eaſdem agnoſco ; verùm ap-pendatur in altera lance lucrum, componantur utraque & lucrum unius animæ longè præponderare omniaque

com-

mpensare videbis. Porrò, an qui animas pervertendo in ba-
thrum damnationis adducunt, non sentiunt hinc etiam mole-
am? imò verò: tales affectant, amplexantur ac provocant, ultro
tiuntur, imò & mortis supplicium à Judicum tribunalibus re-
runt accusati. Quare si molestiis non obst.ntibus, tam multi ta-
en infernum quærunt locupletare; & cur tibi non sit animus ad
sorbendas difficultates pro lucrandis cœlo inquil nis æternùm
cum laudaturis? ulteriùs. Quàm caro stetit Christo salus sal-
ndorum? quanta inter istos, quibus & te annumerandum spe-
, pro te, pro salute tua passus fuit? Jvæ nobis fuerit, si sa-
atissimam humanitatem suam nulli labori, nulli dolori
oluisset subjacere: pulchre ait S. Joan. Chrysost. *Poterat Chri-
us, quæ passus est, non pati. si quæ sua erant spectare voluisset: ve-
um noluit; sed quod nostrum erat, respiciens, quod suum erat, ne-
exit.* hom. 27. in epist. ad Rom. O præcellentem Spiritum
etatis! ô illustre charitatis specimen! O insignem boni Jesu in
enus humanum affectum! oblitus est, ut ita loquar sui, ut recor-
aretur nostri.

IX. Vide ad hæc differentiam inter Jesum & alios zelatores
nimarum. Plurimi sanctorum mill'enas pro salute earum difficul-
ates exantlârunt; JEsus autem sanctus sanctorum plures omni-
us sustinuit: si altero etiam tantò majores nobis in eundem fi-
em perferendas imposuisset, quâ honestâ ratione eas detrectare,
osque nimiùm gravari, fuissemus ausi queri? interim plus à no-
is non exigit, quàm: *recupera proximum secundum tuam virtu-
em.* Quivis nostrum proximus agnatusque est alterius, vel quia
mnes ejusdem Patris sumus filii Dei, vel quia ceu eadem omnes
domo, versamur in mundo? aut quia in eadem linea descen-
entiæ ab Adamo omnes consistimus: aut eadem omnes fraterni-
ate Christum contingimus. Itaque omnes decet pro viribus col-
aborare ad recuperandum, ad eripiendum, si incidit in manus
Dæmonis, ad avertendum ne incidat proximum cognatumque
uum, non exiguntur ea, quæ viri robustiores præstant. Non om-
es missionarii, non omnes religiosi, non omnes prædicatores,
mnes tamen aliquid valent conferre: omnes aliquo pollent ta-
ento atque capacitate; quivis instrumentum valet agere ad salu-
em alterius: tale quivis esse conetur: *secundum virtutem tuam*;
onstat, non esse sæcularis, ut clamosis dictionibus animas conver-
at, alios tamen simile quid præstandi modos Deus ipsi suggessit:
micus potest amico consulere: uxor marito, maritus uxori utilia
otest ad cor loqui: potest dominus servum authoritate suâ ad bo-
um impellere; idem dives potest præstare pauperi, eleemosynam
xspectant; idem magister discipulis, opifex ministris, pater ac

mater prolibus:Dominæ,nobiles,Principes, verbo omnes possun, si volunt, in eundem finem conferre: possunt beneficiis eos,qui reduci optant,sibi adstringere, ad Deum attrahere,atque hoc h mo piscari animas, potest quivis pro altero ad Deum preces fu dere: *Orate pro invicem: ut salvemini.* Potest quis innocente procurando recreationem, pernitiosas sufflaminare. Potest,& qu crederet, idem etiam scopus obtineri nec verbum dicendo: & qu hoc? ædificationem in moribus, quam requirimus in aliis, in nob ipsis præferendo : *sine verbo lucrifiant considerantes conversati nem vestram.* 2.Pet. 3. Induriam hanc S. Petrus suggessit nov Christianis pro lucrandis animabus gentilium. Nil ergo dicas, s facito,& sic illorum temporum circumstantiæ exigebant. Facit ut ad quos convertendos aspiras , videant te sæpe communi can tem, sæpe orantem, sæpe euntem ad concionem. Fac, ut obse vent te esse castum in moribus libros obscœnos perhorrescere,im modestas comœdias non frequentare, non comparere in locis su spectis; credas mihi velim: *sine verbo lucrifient considerantes con versationem vestram.* O quam sincerum ille amicum agit , qu ad procurandam alteri felicitatem illam, quæ æternùm durat,oc currentes etiam non formidat difficultates: hoc est amare amor qui perennè in cælis durabit. Dum interim indubitatum manet non amicum esse sed acerbissimum adversarium ac traditorem qui ad æternam concurrit damnationem illius, cui falsò dulcissi mum illud amici nomen tribuit. Quare toto affectu repeto præce dens votum meum : *recupera proximum tuum secundum tuam virtutem.* Applica sedulò potentiam viresque tuas ad lucranda Deo animas. Quòd si sancto hoc zelo tactus fueris, modos atqu industriæs ipsum juvandi innumeras facilè reperies. *Ingeniosu amor.* Hoc ardens amore Ignatius Lojola in ordine ad finem hun ut proximorum saluti posset succurrere, tam diversa amplexus e ministeria; modò quidem hanc modò aliam praxin. *Omnibus om nia factus sum,ut omnes Christo lucrifaciam.* Id quod olim S.Pau lus & dixit, & amplius præstitit. Idem autem & tu præstiturus Deum obligabis, ut in temetipso salvando specialiter tibi adsi Bonum Angelum tutelarem aliorum exhibe,& Angelus tuus tan tò ampliorem tui curam geret. Concludo per verba S. Augustini *Non se solum quisque curet in populo*, in ædibus, in schola, in con gregatione, in monasterio, non se solum quisque curet, *sed invi cem sibi habeant diligentiam.* In Joan. quæst. 8. dumque animan quandam lucratus fueris, dicito cum bono Pastore Evangelico *Congratulamini mihi, quia ovem, quæ perierat, inveni.*

LECTIO SPIRITUALIS RO TEMPORE POMERIDIANO SEXti Diei Exercitiorum Spiritualium.

HOc die binas, ut ita loquar, æternitates fuiſti meditatus, unam inferni, alteram paradiſi. Quantùm ſpectat ad ubſtantiam, confido in Domino, quòd ſatis inſtructus ſis, t finitis etiam exercitiis, te ipſum dirigere poſſis, ne æteritatem infelicem, ſed potiùs felicem illam alteram nanciſaris. Quod verò attinet majorem tuam in cælis, in felici la æternitate gloriam, ſcrupulus in animo meo ſupereſt, e de numero quorundam ſis, qui inquiunt: *Sufficit mihi d cœlum venire, gradu licèt ſublimi non ſim illic potitus: ſufficit mihi illuc intrare, non inveniat illud licèt tam bitò poſt mortem, & pœna fuerit diuturna in purgatorio enda pro peccatis in mundo admiſſis.* Binos hóſce erroes aut menti tuæ eximere, aut ne aliquando ſubintrent, npedire, hîſce mihi eſt animus. Siquidem nos credentes d quod credimus, parvæ in cœlis gloriæ velle acquieſcee, atque ad purgatorium pro longo tempore ſubeundum e reſolvere, magnæ eſt amentiæ.

II. Quantùm ad primam partem; quæro, quî ſit poſſibie, ſiquidem felicitatem illam agnoſcas, ut dum in poteſtae tua poſitum eſt lucrari plurimum, velis lucrari miniaum? conſidera duntaxat, felicitatem hanc eſſe æternam, uodque per totam æternitatem, ut primum ex hac vita iſceſſeris, error hic ſit futurus irreparabilis: *Veniet nox in qua nemo poteſt operari.* Nunc verò quemadmodum diximus, pœnas inferni, æternitatis addito pondere plurimùm xaggerari, eò quòd exitus illuc ſemel intrantibus nunquam pateat; ita & de æternitate Paradiſi licet ratiocinari; diceréque: nunquam totâ æternitate merebor id, quod abundanter mereri potuiſſem, ſi voluiſſem.

Certum equidem eſt, nullam vel ex minima parte triſtem cogitationem locum poſſe habere in paradiſo; quòd ſi tamen talis illuc ſubire poſſet, unica foret illa, quòd ani-

animo jam introspiciens statum illum omnium bonoru[m] aggregatione completum, vidensque quòd in cœlo pu[l]chritudinis veræ domicilio, stella potuisset esse prim[æ] magnitudinis, atque præ socordia elegerit computari i[n]ter illas, quæ sunt secundæ, aut tertiæ, aut etiam minim[æ] magnitudinis, hâc inquam cogitatione maximè turba[ri], affligi, imò & cruciari, deberet, quòd parvo ultro ac v[o]lens acquieverit. Hæc tibi consideratio, O mortalis, st[i]mulos addat, non jam ad currendum, dico, verùm ad ge[n]ne[r]osum volatum tentandum, quo ad aliquam ex altiss[i]mis illic sedibus post mortem rapiaris.

IV. Modus illuc pertingendi, est tendere ad perfectio[]nem; nec acquiescere simpliciter operum bonorum actio[]nibus sed ad perfectionis eas regulam mensurare: nec ac[]quiescere eorum paucis, verùm procurare multa: non di[]lapidare tempus, sed magni illud æstimare, illudque tan[] studiosè impendere, ut opera singula aut directè aut virtua[]liter ut ajunt, vel reductivè evadant meritoria. *Justorum semita, quasi lux splendens procedit, ac crescit usque ad per[]fectum diem.* Ita à Spiritu sancto hausit Salomon Proverb. 4. Observa cursum solis ab horizonte sensim sine sens[u] semper ascendentis, donec ad supremum elevationis su[æ] gradum, ad circulum meridionalem perveniat. Eodem spectat tritus ille, sed verè utilis locus ex sacris Canticis, i[n] quo sponsus amplum illud meritum admiratur, quod di[]lecta sua de hora in horam accumulavit, eò omnia sua con[]silia referendo, ut post mortem correspondentem meriti gloriam consequeretur unde exclamavit: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quæ est ista (glossatur hìc pius aliquis Author) quæ incedit proceditque tanquam aurora comptissima, gratissimoque oculorum nostrorum illicio se super hemisphærium no[]strum attollens? quæ est ista bella, ista gratiosa tanquam luna, perfectissima sua constans in rotunditate? quæ est ist[a] electa & ad solis invidiam resplendescens, quo totum mun[]dum

lum suo irradiat lumine ? quæ denique est illa, quæ non contenta auroram solis prodromam exprimere, & lunam referre noctium Reginam, ac solem dierum Dominum repræsentare, luce ac perfectione innumerabilium coruscat stellarum, quales efformare videntur integrum exercitum bene ordinatum, ad profligandos omnes inimicos, quales respectu corporum luminosorum sunt solæ tenebræ. Siste mi Lector, & videbis, hoc symbolo consilium meum ex aliqua parte esse elucidandum.

V. Tria sunt notatu digna in motu tanti splendoris *Primum.* Quòd is in cælesti firmamento contingat. *Secundum.* Quod rapiditate peragatur inconceptibili. *Tertium.* Quòd contingat nullâ interpositâ morâ. Hæc ad nostrum propositum referendo, Dico *primò* opera tua fiant in cælo, id est in statu gratiæ. *Secundò* operare velociter, tum quia ignoras, quantum adhuc vitæ tuæ superfit, tum quia etiamsi ampla adhuc mensura tibi superesset, nihil tamen illius dilapidandum est, quod tam fructuosè collocari potest. Ideoque instanter operare bonum, quod potes. *Tertiò* noli interpolare aut sistere, ne quiescas. Alioquin dum hodie noles esse totus sanctus & cras totus imperfectus, erit uno die eadem fervoris mediocritas, atque altero die eadem tepiditas. Dum autem ad sanctitatem contenderis, quo modo faciendum suggero, & facilitas in bene operando in dies accrescet, majoresque semper progressus facies in gratia Dei, & consequenter in meritis; Ita quidem ut si ita agendo à principio aurora fueris, progrediendo futurus sis Luna, ac denique sol, donec evadas cælum aliquod amplissimum totum stellis illustratum anima inquam magnis virtutibus, multâ perfectione conspicua, valens omnia impugnare vitia, malosque habitus debellare ad incrementum Sanctitatis, ad extirpationem iniquitatis, in triumphum virtutis.

VI. Utinam omnes hanc veritatem bene penetrarent, ac sanctum Paulum imitarentur, qui gratiæ semper cor-

 respon-

respondit in actionibus suis,ait enim: *Gratia Dei sum id, quod sum,& gratia ejus in me vacua non fuit.* Atque in terra incredibilis succederet profectus in meritis, cui sua in cœlo correspondere t beatitudo. Quare adhortor te, tantis persuasus rationibus statuas operari optimè & tota latitudine habitûs: & esse velis *Magnus coram Domino*,ut & postea evadas *Magnus in Regno cœlorum.*

VII. Transeamus modò ad inconsultum eorum propositum,qui non curant diu hærere in purgatorio: equidem non possum concipere,quâ ratione ad similem electionem homo se possit determinare. Dicit aliquis; *quid refert* mendacium deliberatè proferre, orationem deproperare, sensus suos non custodire; venialiter obligationes statûs sui transgredi: pœnitentiam non obire de peccatis. Et hic, qui horum iniquitatem ipsi repræsentant, audet respondere: *Non propterea pergo ad infernum,purgatorium tantùm manet, ex quo patet exitus.* O amentiam! O stoliditatem! defectus hi nascuntur ex defectu vivæ fidei de flammarum piacularium atrocitate. Qui autem illas passiones nescit vincere, quibus ut plurimùm homo tantùm consentit ad molestiam aliquam evitandam, aut gaudium aliquod aucupandum,quâ ratione *sciens & volens* eligit se præcipitare in flammas purgatorii? nunquid ad terrorem incutiendum vel solum nomen ignis, elementi in hoc etiam mundo intolerabilis, deberet sufficere,qui interea debilis & obtusus in comparatione ignis alterius mundi? & quid purgatorii ignis, cui divina justitia præbet fomitem, activitatem illius ad summum exacuens? an non tempus illic extrahendum meritò exterreat, quod quantum futurum sit, latet? ubi fides, mi Lector, ubi fides? quod si tibi ad annum in hoc foco persistendum foret? quid si annis duobus? quid si decem? quid si viginti,triginta, centum annis? quid si ad extremi usque judicii diem? an tibi videris bene consulere sensualitati tuæ ac teneritudini, quam leves vesparum punctiones malè habent, quam tenuis alicujus voluptaculæ defraudatio cruciat?

fiat ? non erit æternum purgatorium, fateor, poterit tamen esse diuturnum, poterit Dominus suffragiorum, quantacunque pro te Divinæ Majestati suæ oblata fuerint, effectum suspendere; fortè etiam permittet, talia nulla pro te impendi, dum amici tui ac debitores auxilium tibi præbere negligent: & nimis quàm verum est, quod defunctorum memoria peracto campanæ sono facilè intereat, & qui lapide sepulchrali clausi sunt, *periit memoria eorum cum sonitu.*

VIII. Ad expugnandum inconsultum consilium, tum eorum, qui altam in cælis stationem non curant adipisci, tum eorum, qui ad diuturnum in purgatorio supplicium tolerandum resolvunt animum, hos, qui ita sunt animati, similiáve proloquuntur, rogo etiam atque etiam, ut intrent in animam suam, & bene expendant bina illa *parum & multum*, de quibus actum est in meditatione de æternitate duplici, respondeántque, an non parum sit voluptas illa, propter quam fortè tot annis luendum erit in purgatorio? & an non econtra multum, anni aut annorum spatio hærere in flammis? an non & parum molestia, ob quam evitandam abnegationem sui omittit, & laboris parvi difficultatem fugit? & an non multum privatio tantæ gloriæ, quam subitò poterat adipisci, æternùm in Deo gaudendo. Quisquis es hujusmodi, ad te quadrant verba objurgatoria, quibus Naamum magnum Ducem famulus proprius instruxit, exponens, quam præposteram iniisse rationem, recusando id facere, quod faciendum ordinaverat Elisæus ad emundationem lepræ. Ordinaverat ille, ut septem vicibus in Jordane lavaretur; Indignatus propositioni huic Naaman, domum repetere cum lepra sua meditabatur; ex quo bonus famulus sequentia illi oggerit: *Et si rem grandem dixisset tibi Propheta, utique facere debueras: quantò magìs, cùm dixit lavare septies in Jordane.* Permotus hoc sermone Princeps ivit lavatum, & convaluit: dubio procul rubore suffusus, ut qui facilè non aliâ de causâ tanti beneficii jacturam adiisset, quam quia tam parum præstare renuisset, id nempe, quod ab Elisæo fuerat ordinatum. Et

quid ad hæc tibi videtur mi Lector ? nonne par casus e tuus ? *Si rem grandem dixiſſet tibi Deus, facere debuera*: quod ſi graviſſima tibi præcepiſſet, ſi mandâſſet renuntia mundo, ad conſequendam altam in cœlo gloriam, omnem que purgatorii pœnam effugiendam , *facere debuera* Nunc verò quid jubet? præſcribit minutias. Ita ſancta Evan gelii verbâ expreſsè perhibent. *Euge ſerve bone & fideli quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam* Dominus famulum multùm exaltare deſiderat, vult am plum conſtituere Dominum, amplam ipſi, ut ita loquar, ju risdictionem largiri. Optimè: verùm quo merito? *Quia ſu per pauca fuiſti fidelis.* Meritum fuit fidelitas in parvis, im in minimis rebus : is enim verè excelſam in cælis ſtationem conſcendit, qui obſervans eſt minutiarum, hinc enim acti onum noſtrarum virtutiſque perfectio procedit: non ſecù ac picturæ perfectio ex recta linearum leviſſimarum com poſitione conſurgit; & muſicus excellens fugit vel unican pauſam, quæ abludat. Altùm aſcendit, quiſquis ſtudioſu eſt minimorum; qui autem talia contemnit in infimo gra du ſubſiſtit : *qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælo rum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitu in regno cælorum.* Ad purgatorium pergit multum illi temporis extracturus, qui leves, utì ipſi eos vocare placet defectus aut neglexit aut adamavit ; non attendens , quòd *multa modica faciant unum magnum.* Hodie admittitu hic defectus, cras alius, multi etiam defectus uno die , & multi rurſus altero : O quot ita ex defectibus contexuntu ſeptimanæ, conſtruuntur menſes, complentur anni, vita cu mulatur? Tranſit dies abſque ulla mortificatione, tranſeun duo, tranſeunt tres, tranſeunt ſeptimanæ, menſes, anni, tota que vita decurritur abſque eo, quod cum Deo tranſigatu de ſatisfaciendo ipſius juſtitiæ quotidianis imperfectioni bus irritatæ, unde denique coacervatur ſupplicium ad an nos & annos in purgatorio luendum, à quo præſervari qui potuiſſet moderatis pœnitentiis, exiguiſque moleſtiis (qua

ſecun

cum vita virtuti dedita vitaque Regularis invehere so-
t) ac usu denique Indulgentiarum, quas benigna mater
cclesia sinu tam liberali effundit.

IX. Meritò etiam dubito, ne isti qui sermonem supra à me
dductum jactitant, amplius aliquid, quàm id quod præ-
eferunt, metuendi causam habeant. Et quis novit, Deus no-
vit, an non sermones hujusmodi procedere soleant ab ani-
na parum quoad substantiam sui ipsius, Dei ac salutis stu-
diosa? quis novit, an non similis vacillet in viva fide de cæle-
ti gloria, deque purgatorii pœnis? quod si foret, quis non
videt, hujusmodi animæ nec cælum, nec purgatorium, sed
nfernum esse destinandum? hoc verò metuo. Metuo ne ta-
is tacitè aut occultè dubitet de veritate articulorum horum
ssentialium, quos religio Christiana profitetur: etenim si
vivâ fide beatæ æternitatis immensitas crederetur, nemo
am amens foret, qui non quàm celerrimè ad eam pertin-
gere studeret: si vivâ fide crederentur atrocia purgatorii
upplicia, similia non posset verba os profundere, uti hìc,
ab aliquibus fieri, supposui: unde porrò metuendum est,
antùm solummodo hujusmodi esse solicitum de paradiso,
quantùm requiritur ad evadenda inferni tormenta, nihil-
que prætereà: parùm autem laborare de tribuenda Deo
gloria in Persona sua: secùs quam animos honestos, à mag-
no benefactore honoratos, hujusmodi cura magis tangit
quàm ullius proprii commodi atque emolumenti ratio.

X. Ulteriùs; quandoquidem in meditatione de duplici
æternitate locutus sum (cujusmodi & supra dixi) de parvo
illo, quod sordidus Dæmon militibus suis elargitur, & de
multo, quod quoad pœnas isti in inferno debebunt suffer-
re; & econtra de parvo, quod Deus sui sequacibus imponit,
& de multò vicissim, quo ipsos remuneratur, ad idem ve-
im applices considerationem puncti, de quo modo sermo
est, dicasque intra te: *Dum à peccato mortali abstinuero, &
absque illo fuero mortuus, Deus ad paradisum me deducet.
Et quàm parum est, quod ego præstitero, & quàm multum
ab ipso mihi veniet? Dum peccavero, & perceptâ sordidâ*

pec-

peccati voluptate fuero mortuus, à Dæmone perennè cru-ciabor in inferno. O quàm parùm fuerit, voluptatis, quod ab ipso mihi obvenerit! O quàm multus contra cruciatus me excipiet! Pariformiter discurre de aliis. Pro conse-quenda eminentiore in cælis gloria, O quàm parùm exigit à me Deus! parùm est actus aliquis supererogatorius: pa-rùm actiones illæ devotionis ac virtutis, ad quas non obli-gor &c. O quàm parum est gaudii, quod Dæmon mihi præ-bet, ut multis annis post mortem è paradiso exclusum, ac diu in purgatorio incarceratum teneat! parvi aliquid est abstinere parvis pœnitentiis, parvum est affectibus suis in-dulgere &c. & ego tam vecors ero, ut propter tam parvam rem tantum cæli gaudium velim perdere; & propter tam parvam rem horrendas purgatorii pœnas eligam? totidem annis à Deo elongabor, quot annis hæredo in purgatorio humilemque totâ æternitate locum in cælo mihi vindica-bo, dum rem parvam faciendo, parvam rem omittendo exiguum ac breve potuissem nancisci purgatorium; citò inde exire, citò ad cælum assumi, amplissimamque illic mercedem adipisci? O amentiam! ob parum tantùm per-dere, ob parum tantùm luere.

XI. Quod si juxta consilium meum rationes tuas institueris confido, quòd siquidem sapis, consilia tua sis mutaturus; Christi-que amplecteris consilium dicentis, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Negotiare strenuè, accumula divitias, ut ne parvam sum-mam sed amplum illic auctarium, magnos thesauros reperias. Amplectere omnes merendi occasiones, ut *merces vestra sit copio-sa in cælis.* Hoc si propositum capessiveris, vide quid te exspectet: non longam in purgatorio moram trahes, & ad celsum in cælis locum evades, atque id est, quò collimat totus hodiernæ lectionis scopus. Adhortor in hunc finem simul, ut occasiones patiendi avi-de arripias, eas potissimùm, quæ de die absque tuâ dispositione occurrunt; dumque sensui tuo proprio, ac affectibus displicent, te affligunt: tales præbet subinde ratio domicilii, varia accidentia diversæ aliorum opiniones, suspiciones, passiones; imperfectio-nes propriæ naturæ; tales à cibo ac victu, à cubiculo & officio præberi possunt &c. Denique hortor, ut frequenter confitearis multum enim frequens confessio confert ad minuendas pœnas purgatorii.

LE

LECTIO SPIRITVALIS PRO TEMPORE MATUTINO

Diei Septimæ Exercitiorum Spiritualium.

I. OPus, quod Pater æternus dedit filio, laboriosè ipse obivit tempore prædicationis, Nihil jam eorum repetam, quæ suprà in meditationibus ac considerationibus adduxi! unam tantùm particularem Prædicationis circumstantiam memorabo, eam nimirum, quod juxta Evangelistas frequenter Christus ad orandum secesserit, Deoque se, & ut est credibile, felicem ministerii sui successum commendaverit: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Lucæ 6, *Secessit in montem solus orare.* ibid. & quis nescit, quâ ratione ante instans passionis suæ certamen in horto Gethsemani diu oraverit? eoque ampliùs, quò magìs crescebat, lucta partis inferioris, quæ eo usque etiam processit, ut agoniam dolorum subiret, *factus in agonia, prolixiùs orabat.* Rem tibi ac rebus tuis utilissimam tentavero, si persuadere tibi conatus fuero, ut coneris esse homo deditus studio orationis, illud faciendo, in quo potissimùm ipsa consistit, id est: ut sæpe illum ores, mentem frequenter in Deum elevando, ipsius recordando, ipsi necessitates tuas manifestando, auxilium implorando, ipsum laudando, laudes illius in scripturis memoratas & in Ecclesiæ cantibus frequentatas recitando. Quid autem sit oratio, in quantum per eam significatur meditatio & consideratio veritatum æternarum, aut mysteriorum fidei, sat instructus in es præcedentibus; jamque usu perdidicisti.

II. Occupatio itaque, quam hìc insinuavi, quamque modò explicatum eo, illud habet proprium, quòd hominem contineat in humilitate, & consequenter retineat à peccato, quod finaliter est filia superbiæ; in quantum is, qui illud admittit, aut obliviscitur subjectum se esse superiori & Legislatori illud prohibenti, aut cogitationem de eo excludit. Quòd si ad te ipsum volueris reflectere, comperies, quòd quoties ab oratione attentè factâ rece-

dis toties ab ea redeas compunctus ; quod aliud re ipſ non eſt, quàm eſſe humiliatum, & in agnitione nihili ſui & miſeriarum ſuarum demerſum : vel hæc ſola noſtri humi-liatio magni eſt pretii, ideoque inſpirare deberet affectum ad orationem, ex quâ tanquam ex fonte promanat. Itaqu pro primo exhortor te , ut frequenter mentem in Deum eleves, illius ſæpe recorderis: atque hoc eſt, quod dogmat loco tribuit Deus Patriarchæ Abrahamo inquiens, *Ambu la coram me, & eſto* (id eſt eris) *perfectus*. Interea Abra ham non erat Religioſus, ſed ſecularis, & quidem locuples. Unde colliges , me hìc omnibus communem proponere inſtructionem. Itaque qui cogitat, qui loquitur, qui agit, tanquam verſans in oculis Dei, conabitur certè & ſine con tentione aut torturâ, bene cogitare, bene loqui, bene age re, & licèt non ex alio motivo , certè ex reverentia erga Deum. Ita enim qui coram ſuperiore ſuo operatur, quan quam eum non amet aut magnopere timeat , nihilominu animosè facit, quod agit, vel ſolâ etiam humanitate ac re ſpectu exſtimulante.

III. Hoc exercitium Divinæ præſentiæ poteris inſtaurar recordatione modò unius, modò alterius perfectionis Di vinæ, quæ cogitatio multum valebit ad magnam Divinæ Majeſtatis æſtimationem in te procurandam : modò ita que cogita *omnipotentiam*, potentem facilè te reum caſti gare, te innocentem defendere : modò *juſtitiam* ; cui vi pro merito pœnam, aut præmium deputantem. Modò *Sanctitatem*; ex quâ peccatum odit, virtutem amat ; modò *benignitatem*; quæ meritò omnes trahat, ad hilariter ipſ ſerviendum. Atque hoc modo reliquas Dei perfectione animo pervolve. Præ omnibus ipſum mente complecter ceu ultimum finem, ad quem omnes actiones tuas referr tenêris : qui à te poſſeſſus , potens eſt te reddere æternum beatum, & amiſſus æternùm infelicem. Ad facilorem etiam Dei recordationem poterit multum conferre aſpectus crea turarum dicentium tibi : *ipſe fecit nos* : & ita aſſueſcendo in ipſis cognoſcere creatorem ipſarum , magnum animi gau

iam percipies. Quòd si illæ molestæ tibi fuerint, manum Dei castigantis in ipsis revereri assuesce: si jucundæ, adducant in cognitionem cordis illius amabilis, quod totum est charitas, & hinc redamari dignum. Idem applica quotidianis eventibus, in quibus omnibus assuesce Divinam providentiam honorare; in omnibus enim detegere poteris abyssum divinorum judiciorum; quod tantùm dictum sit, manuductionis præstandæ gratiâ in ordine ad excitandam memoriam Dei. David ex consideratione sui ipsius in hoc puncto se satis profecisse perhibet: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, uti & S. Ignatius Lojola ex aspectu flosculi in agro. Quantum non ergo ad hoc ipsum conducet aspectus solis de die, Lunæ & stellarum de nocte, quantum non aspectus agrorum, montium, fluminum, marium, silvarum ac vinearum? considera tonitrua, fulgetra, fulmina, flumina, ventos, tempestates, bella, cometas, contagiones, motus terræ: omnia hæc juvare te potuerunt ad ascendendum mente in Deum, ad cor simul cum intellectu & voluntate in ipsum rapiendum.

IV Altera orationis species tibi sit, Deo necessitates tuas aperire; quare ipsi commenda, omne id, quo indigere tibi visus fueris, cum animi indifferentia simul & fiducia ac sinceritate. Quod si inutilia volueris petere, duo nôsse te oportet: primum, Deum non posse decipi, novit enim te tuaque: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, Uti David ait: alterum est, quod etsi in petendo, erraturus sis, Deus, ut qui te plus amat, quàm tu te te ipse, commiserationem tecum sit habiturus, non interim tibi malè facturus. Quare & temporalia petere poteris, neque propterea unquam Deum offendes. Hinc & manè, & meridie, & vesperi pete, quocunque indigueris. De omnibus etiam negotiis Deum consule: dic *e.g.* quâ ratione hanc litem tractabo? quid faciam pro familiâ meâ? quomodo consulam subditis meis? quomodo geram me erga superiores? quomodo erga malevolos? quomodo vis me studere? quomodo laboraret? &c. & manibus palpare poteris, quòd optima à Deo con-

consilia tibi sint suggerenda; & quod maximum est, in nul lo horum interveniet aut Dei offensa, aut spirituale malum tuum.

V. Hæ quidem orationes aut petitiones mente solâ fieri poterunt; quòd si autem eas & ore exprimere volueris, & illud multum ad devotionem & attentionem facturum puto. Ideoque si, quod meditationem attinet, perveneris ad partem illam, quæ nominatur colloquium, suadeo, ut nisi aliæ circumstantiæ obstent, voce linguæ utaris. Suspira, plange, clama ad Deum. *Rugiebam à gemitu cordis mei*, dicebat Psaltes regius. Idem facito, dum gratiam quandam extra tempus orationis postulandam habes; ora Spiritu, ora & ore. Et de hoc articulo ascensionis in Deum, de invocatione gratiæ ipsius in necessitatibus, tum spiritualibus, tum corporalibus, non habeo quod ulteriùs addam: Hoc tantummodo monere velim, quòd continua sit necessitas ad Deum recurrendi: æterna enim veritas pronuntiavit, *oportet semper orare, & nunquam deficere*. Et in quo puncto non indiges Divinâ operâ? sive bonum aliquod tibi advenire, sive malum abesse petis, istud ut impetres, hoc ut fugias, Deo indiges. Nec multa necesse est loqui, nec multa orare: pro compendio in hunc finem assignantur orationes jaculatoriæ brevissimæ, sive corde sive ore pronuntiandæ.

VI. Præ omnibus commendo tibi usum orationis Dominicæ; juxta enim ipsius Christi Domini intentionem, qui hanc ceu hæreditatem Ecclesiæ suæ reliquit, semper utilis est ad impetrandam Divinam gratiam. Quo tamen nomen nolim iis facere hæreticis, qui orationem Dominicam extollentes, omnem aliam orationem abrogatam voluerunt: absit tanta ineptia. Tu modò, quamcunque ad Deum orationem miseris, perage illam cum attentione, devotione, & reverentia: in quo puncto indubitatum est quin plurimi maximè deficiant, dum aut iteratò Orationem Dominicam, aut salutationem Angelicam repetunt, sive in coronâ Domini, sive in recitatione Rosarii.

VII. Tertia orationis species sit; Deum laudare, ut suprà insinuavi, per pulcherrimas illas panegyres (quo quidem nomine non inconvenienter videntur mihi, inscribi posse Divinæ illæ laudes, quibus viri isti sancti Spirituque Divino repleti Deum affecerunt, quorum & magnus usus in Ecclesiâ (quibus abundant Psalmi, hymnique in Officiis Divinis decantari soliti. Isaias Propheta inter cætera à Deo obventura mundo beneficia commemorat, quòd appetitus nostri edomandi ac concupiscentiæ modo mirabili, & pariter suavi frænandæ sint: & quâ illud ratione? eâ scilicet, quòd Deus se ipsum fidelibus suis sit præbiturus materiam laudis: *laude mea infrænabo te.* Quàm dulcis hic stimulus, quàm suave frænum ac capistrum indomitarum nostrarum passionum! Deum lauda: id est, perpende animo, ac corde, quæcunque fides de Deo tibi revelavit, & hæc ipsa de corde ad linguam transeant; confirmoque tibi si ita feceris, durum tibi fore effrænibus tuis appetitibus, impetuosis affectibus, & indomitis passionibus obsecundare, contraque hunc stimulum calcitrare, aut extra limites exorbitare. Etenim dum anima Divinâ magnificentiâ extollendâ occupatur, quis non apprehendat, submittendum facilè omnem intellectum, voluntatem autem rapiendam in sublimius aliquid, quàm sit materia passionum nostrarum? Quare postquam in te, peccando, subintravit oblivio & contemptus Dei, hæc Divinarum Perfectionum rememoratio ac celebratio, prava posthac desideria inhibebit, pudoremque ingeret, ne porrò consentias. Hisce Dei laudibus redundant præ omnibus psalmi Davidici: In iis mirabili delectu inducitur modò memoria Dei; modò gratia aliqua petitur, modò propositum aliquod formatur, & in aliquam semper Dei laudem desinitur. Quare dubio procul magnæ fuerit utilitatis, specialem ad eos animi applicationem conferre; quin & plurimùm profuerit tum Ecclesiasticis tum Regularibus memoriæ eos mandare: & quidni Religiosis conduceret, ut in novitiatu suaviter inducerentur

ad eos ante Professionem perdiscendos ? Plurimum hu[c] facit, quod Ecclesia quotidiano eos cantu celebrat.

III. Et quantam O fideles Domino injuriam infertis, dum aut laudes psalmosque Dei negligitis, aut in eorum recitatione ac decantatione nugis ac facetiis indulgetis? quantam injuriam vos Divinæ, ut profitemini, musicæ cultores iis infertis, dum ad sacræ hujus materiæ argumentum adhibetis odas, aut ut amant loqui, arias profanas, theatrales comicas, ludicras? quam injuriam vos Ecclesiastici, dum in choro psalmos tam nobiles deproperatis? & quantò majorem Deo irrogatis injuriam vos, qui dum psalmos hosce aut in oratorio publicè, aut domi privatim, seu ex obligatione, seu ex devotione recitatis, sive fuerit officium majus Canonicum, sive B. B. Virginis, sive septem psalmi pœnitentiales, sive officium defunctorum; qui inquam nauseam ac fastidium commonstrando, Divinas vobis laudes displicere ostenditis? Utinam bene caperetis, quanti id sit, in partem officii illius admitti, quod celebratur in paradiso, ubi continuò Deus laudatur, & in æternum laudabitur. Amabo, mi Lector, legas ex operibus Athanasii pulcherrimam illius Epistolam ad Marcellinum, in quâ magnus hic Ecclesiæ Doctor modum doceret psalmis cum Spirituali fructu ac temporali utendi, ad edomandam simul modò hanc, modò illam passionem. Quàm non jucundum pietati epulum præbet ex. gr. Psalmus, cujus initium: *Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra*? & psalmus alter, qui incipit: *Cæli enarrant gloriam Dei*: & tres ultimi, quorum primus ita orditur: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.* Et quid dicam de aliis piissimis Canticis cujusmodi est illud trium puerorum in camino Babylonico. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Quid de Hymno Mariano: *Magnificat anima mea Dominum*? quid de illo Zachariæ: *Benedictus Dominus Deus Israël*? Quid de illo Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum Domine.* Omnes ad accendendam devotionem

ne[m]

nem nati Uti & solennis ille, qui communiter tribuitur Ambrosio & Augustino, Hymnus : *Te Deum laudamus*; quàm pius, quàm devotus est.

IX. Plurimum in commune bonum contribuerunt diversarum nationum scriptores, qui in linguas suas psalmos felici venâ suavissimoque versu transtulerunt. Quàm lacrymabile econtra plurima nobilia ingenia abjicere se ad sordidas lascivasque cantilenas componendas, itaque animæ illustris propriæ nitorem spurcitiebus illis mundanis inquinare, quo pacto simul nobiles animas, innocentes columbas in cœnum demergunt, & in inferni cloacam delabendi periculo exponunt : & quàm lamentabile, hisce sordibus à tot Dominis ac Domicellis præterea applaudi? Qui reus es, evigila, & qui innocens es, in cœno jacentes excita : & alloquere, *Cantate nobis de Canticis Sion*. Modulamen cœleste, ariam in laudem Dei postulo. Verùm de his satis. Redeo ad propositum, hortorque, ut præmonstratis illis tribus facillimis modis mentem ad Deum elevare contendas.

X. Dæmon equidem hujus executionem maximopere studebit interpellare : & vis nôsse, quare? dicam : quia novit oratione omne tentationum suarum robur frangi: hinc enim, id quod experientiâ facilè comperies, nullibi se magìs opponit, quàm dum orationi aut mentali aut vocali est vacandum. Huic quidem, qui accinctus est ad meditandum, mille conatur obstacula injicere, & potissimùm bellè colorata, aut titulo sanitatis, aut instantium magni momenti negotiorum : quin & majoris Divinæ gloriæ pallium audet obtendere : omnia susque deque habet, tantùm ut impediat orationem; dum verò tantùm nequit evincere, quantis non distractionibus caput arietat? Eum verò, qui obligatus est ad horas Canonicas recitandas, quantis non ipsum artibus molitur seducere, ut in serum vesperum eas differat? & quæ non tædia, quæ non fastidia, quas negligentias in tributi hujus persolutione quærit in-

sper-

ſpergere ?In promptu cauſa eſt; odit Dæmon recordationem D
odit nos illius meminiſſe ad ipſum recurrere, ipſum laudare ,
Numinis obliti, illis ſpoliemur auxiliis, quæ præſidio orationis n
bis ſubveniunt. Quemadmodum enim Muſica juxta Pythagoræ
omnium malorum eſt medicina, Ita & oratio.

XI. Et de hac jure potiori illud æſtimari poteſt : utì ex ſ
quentibus patebit : etenim *oratio eſt petitio decentium à Deo*, u
ait Damaſcenus. Ad orandum autem Chriſtus nos animavit pr
miſſione exauditionis : *petite & accipietis*. Omnibus itaque m
lis mederi poteſt. Unde Dæmon tot adhibet machinas , ut ta
ſanctum Exercitium in contemptum adducat, nauſeamve illius
faſtidium procreet, & in rem quidem ſuam aptè. Etenim ſi tent
tus ad Deum confugero , ſi vitio alicui implicatus illo extrica
petivero, ſi virtutis alicujus indigus, illius mihi copiam fieri po
ſtulavero, ſi in triſtitia conſolationem, in afflictione robur &c. a
ipſo popoſcero; quâ ratione poterit Dæmon ferre, tali me inſtru
mento uti ? Verùm quò ampliùs ille manibus iſtud meis exto
quere ſatagit, tantò ego illud fortiùs arripere debeo. Oratio e
inſtrumentum ſalutis : eſt enim communis Theologorum doctri
na, quòd Deus, juxta legem communem, gratias, quas vult nobi
præbere, mediâ oratione infundat. Debeo ex altero fine prin
cipaliter orare, ut gloriam Deo tribuam, utpote qui hoc religio
nis actu inter cæteros excellente magis honoratur : dicit enim S
Thomas. *Oratio præeminet aliis actibus religionis*. 2. 2. q. 83
a. 3. ad 3. Per hanc Deus recognoſcitur ceu univerſale princi
pium omnis boni; per hanc nos in omnibus ab eo dependere profi
temur, *Qui fingit Sacros auro, vel marmore vultus, non facit ill
Deos, qui rogat, ille facit*. Ita Naſo. Atque ita gentilis hic Poet
ex ſolo etiam rationis lumine agnovit , Deum à ſupplicantibu
ſibi honorari. Certum eſt illud Chriſti , *ſine me nihil poteſti
facere*. Nunc verò hæc Dei recognitio , noſtræ eſt indigenti
confeſſio , & quàm illa potens ad nos in humilitate continendos
ideoque ſimul ab omni peccato & offenſa Dei abſtinendos. Und
patet, quare Dæmon tam efficacium virium à peccato nos arcend
gnarus, ab orationis ſtudio nos arcere omni modo ſatagat.



LECTIO

LECTIO SPIRITVALIS
RO TEMPORE POMERIDIANO SEPTIMI Diei Exercitiorum Spiritualium.

MEditationibus de passione Christi S. Ignatius integram in Exercitiis suis septimanam assignat, idque : utilissimo fine, quique non sistit in solo affectu comassionis cum humanitate filii Dei, nec in solis reverentiæ : devotionis lacrymis ; quæ tamen non excludendæ; int enim laudabiles, verùm potissimum est ille positus in nitatione illius. Conabor itaque excitare te ad generom Passionis Christi imitationem, quæ omni momento omini verè Christiano necessaria est, ut constans maneat i servitio Dei, non minùs, quoad fugam peccatorum, uàm quoad profectum in virtute & gratiâ. Etenim ab mnibus Deus exigit teste S. Paulo, ut sancti sint conforniter vocationi suæ & gratiis à Deo acceptis. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Et Christus ipse. *Estote erfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Et rursum Dominus ait: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Quæ tamen loca non in alio sensu intellecta volo, quàm prout ea ntelligunt Theologi, ut neque scrupulos provocem, neue falsi quid afferam.

II. Itaque S. Ignatius proponit meditandos gradus arios pœnarum Servatoris; ut exercitans in opere, quod Deo ipsi demandatum est, prosequendo, constantiam erdiscat ab exemplo Christi, opus suum ad finem usque ontinuantis. Opus Christo à Patre æterno impositum uit mundi redemptio morte crucis procuranda. Quis osset credere, nisi fides illud doceret? Quanta non motiva abuerat sanctissima illius anima, opus interrumpendi? nterea nulli cessit difficultati. In omnibus fidelem egit Ducem, qualis postquam Regi suo in bello quodam ut conflictu elegit deservire, indefessus persistit, certus ut vincere aut mori, nunquam verò fugere: quem si hotes trepidum aut fugam aliquando meditantem essent

animadverſuri,tantum ipſi negotii faceſſerent, ut aliquan-do animum ipſius everterent,ac in fugam darent: itaque ipſum cedere,ac Regi ſuo malè miniſtrare, ipſis eſſet pal-mam præbere. JEſus Patri æterno fideliſſimus nunquam intepuit,nunquam vacillavit,nunquam paciſci voluit: ve-xavit ipſum hominum infidelitas,irritavit furor, laceſſivi ad ſummum dæmonis malitia: obſtinavit ipſe animo om-nia decoquere, ne opus admiſſum relinqueret imperfe-ctum; dicendo & implendo illud, quod poſtmodum de ſ perhibuit Paulus: *Omnia ſuſtineo propter electos.* Tal fidelibus ſuis exemplum reliquit Chriſtus; idem imitat ſunt ſancti Martyres, idem ſecuti ſancti Confeſſores, Ere-mitæ,Virgines,& univerſim omnes, quotquot ad cælum ad perſeverantiæ ſuæ finalis coronam pertigerunt, omne hi Patriæ cæleſtis incolæ poterunt illud Redemptoris [de-bito cum reſpectu ſubintelligendo) dicere: *Conſummatum eſt*; aut illud Pauli: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi* (ſive brevis ille, ſive amplius fuerit; juxta menſuram temporis à Deo ipſis conceſſi) *fidem ſervavi* Idem ſpirare debet, quicunque bonus miles ſub vexilli Redemptoris ſtipendia cogitat facere.

III. Quem in finem adducam hìc in compendio pœnas illas,quas Jeſus ſuſtinuit, quæque in libello Exercitiorum juxta ordinem ſunt digeſtæ. Tu hìſce, mi Lector,utere ad perſeverantem patientiam, & patientem perſeverantiam comparandam, ut nullo perverſus caſu Ducem tuum di-mittas,aut illud, quod Deus à te exigit, & ad quod agen-dum à Deo creatus es,implere deſiſtas. Eſt autem illud re ipſâ ſalus animæ tuæ, ultimi finis, ad quem à Deo ordina-tus es, conſecutio.

IV. Cœpit autem Jeſus Paſſionem ſuam ab inſtitutione Venerabilis Sacramenti, in quo mirabilem charitatis ſuæ exceſſum commonſtravit: abjiciens ſe ad pedes Diſcipulo-rum ſuorum, qui ipſum deſerturi erant, ad Petri pedes qui erat negaturus, ad pedes Judæ, qui erat traditurus. Nec ad ſolos tantùm diſcipulos iſta tunc charitas ſeſe ex-tendi

tendit, verùm erga omnes etiam Chriſtianos poſt Paſſionem ſuam victuros. O quantus amor! in cibum ſe præbet, & ſub ſpecie cibi, ſub quâ uſque ad mundi conſummationem in Eccleſia ſua ſit perſeveraturus: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Et quanta, quàm acerba interim in beneficii hujus elargitione prævidit? ingratitudinem tum horum, quibuſcum cœnabat, tum eorum Chriſtianorum, qui indignè ipſum eſſent ſuſcepturi: irreverentias graviſſimas, quas in uſu ſpecierum Sacramentalium magi etiam ac Venefici ad incantationes ſuas eſſent commiſſuri: indignitatem plurium, qui conſcientiâ, graviſſimis ſceleribus inquinatâ, ſacram hanc menſam eſſent frequentaturi. Interim horum ſcientiâ nihil deterritus, nihil eorum, quæ fecit, omiſit. Fortè, mi Lector, horres ingratis benefacere; & propterea bonum, quod agere conveniret, intermittis. Quod ſi autem Jeſum tanquam ſpeculum intuitus fueris, munus illud honeſtum benefaciendi propterea non recuſabis, & ingrati animi vitium patienter feres. Ex cœnaculo deinde perrexit ad hortum: illic ultro tædia, timores, anxietates amplexus eſt. Horum inſtinctus retrahebat ipſum ab ingrediendo horrendæ illius Paſſionis curriculo: verùm non illis ceſſit, Fructus amaros affectuum horum decerpſit, guſtavit, decoxitque, ut & tu occurrentibus ſimilibus tædiis, timoribus, melancholiâ & anxietatibus, exemplo ipſius, in bono conſtans permaneas. Videbat interim, à latere dormire dilectos ſibi ſpecialiter Petrum, Joannem & Jacobum; quâ ſomnolentiâ parvi ſe dolores ipſius pendere præſeferebant. Interim nihil eorum, quæ erant agenda, intermiſit: ſuſtinuit patienter iſtam inhumanitatem: fac tu ſimiliter, dum corda experieris frigida horum, à quibus te amandum judicares. Traditus fuit fallace oſculi ſigno à Juda: Inhoneſtatem talis actûs JESUS graviter apprehendit: quid autem fecit? excepit oſculum ab ipſo oblatum; & proditorem interim amicum compellavit, nec manibus latronum ſe ſubduxit. Neque tibi fortè traditores deerunt, gere te, uti

Jesus se gessit cum Juda. Patrem dein in horto eoder oravit, petiitque num calix iste à se transire posset, dicen: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste* : totum inte rim in voluntatem ipsius se resignavit, inquiens : *Verunta men non mea voluntas fiat, sed tua.* Interea negativam Patre datam parato suscepit animo; neque opus incept passionis prætendit deserere. Hinc consulo tibi, mi Lecto ut ad Christi imitationem, gravia negotia Deo commen des; Verùm paratus semper repulsam à Deo, aut his, qu vices illius agunt, referre; neque terreri propterea debe aut indignari, neque ideo, quasi ex despectu, quidquam re mittendum de fervore in via virtutis. De Juda Chris nuper discipulo Lucas ait, quòd erat *caput eorum, qui com prehenderunt Jesum.* Quæ major potuit Christo injuri dolorque accedere? Videre amicum confidentem persecu torum suorum Ducem caputque ? quòd si aliquando in similem casum incideris, ut dilectissimus aliquis Achate tuus adversariorum tuorum antesignanus fiat, non minù fixo pede tibi standum, nec negligenda propterea volun tas Divina. Dum milites Christum captivârunt, non alite quam latronem tractârunt; nulla erga ipsum sunt usi hu manitate, qualis alioquin adhiberi solet, dum Persona ali qua honorata in captivitatem abducitur: *tanquam ad la tronem existis cum gladiis & fustibus, comprehendere me* Poterat hìc Jesus omnipotentiam suam adhibere, & fuge re, verùm non fecit : manus vinculis stringendas obtulit opus enim redemptionis adhuc dum imperfectum in tendebat perficere. Præpara animum; ne fugias , oc currente occasione, ad similes injurias ; noli ab eo desiste re, quod à te Dominus vult perfici. Quæ non obruerun Jesum opprobria, injuriæ, dolores coram tribunalibu Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis? Jesus interim Petrâ con stantior, urget opus redemptionis humani generis , non dum enim sub cruce consistit : interea contingit ipsum negari à Petro : patienter hanc tolerat negationem ut etiam pro eo mori eligat, qui Personam ipsius erubescit

A(

Ad columnam flagris crudelissimè cæsus, dolorosum hoc vituperii genus invictâ constantiâ tolerat: accusatur tanquam blasphemus, & anima sanctissima probrum sanctitati suæ gravissimè repugnans dum fert acerbissimè, nullum tamen patrat prodigium ad calumniam tam atrocem abstergendam, seséque manifestandum; quod si patrare voluisset, hæc sycophantia in scenam ipsi gloriosam conversa fuisset; verùm si se hoc modo impiorum manibus subduxisset, mortis non fuisset condemnatus. In coronatione maximè depressa despectaque fuit ipsius potentia; tractatus enim fuit ceu Rex ludicrus: derisa sapientia, dum velati ipsius oculi, tanquam eos, qui colaphos impingebant, hoc modo velatus non dignosceret: explosa sanctitas, dum sputis conspurcatus, non aliter quàm si scurra fuisset à Deo reprobatus. Bone Jesu, nondumne fatigaris, nondum satiaris, & ab ulterioribus suppliciis te non subduces? fortè mi Lector, priusquam hanc Christi constantiam meditatus es, commotus es ad iram, & per impatientiam te abjecisti, aut etiam in convitia erupisti. An non pro divino honore, ad fugiendum peccatum, ad proficiendum in virtute similia aliqua deinceps patienter feres? Considera Jesum nullum unquam impatientiæ signum dedisse, verùm semper animum habuisse intentum ad crucem, in qua ex consilio Divino vitam sibi exhalandam noverat. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Iteratò repetebat illud; nondum finis est: ferendum est, patiendum est, perseverandum est: conformiterque huic animi sui constantiæ falsa adversum se testimonia audivit, & tacuit: derisus ab Herode, ceu miser homuncio & peripsema, minimè ad placendum illi operatus est, cujusmodi optabat videre, miraculum. Tractus ad tribunal Pilati, non se defendit, mortis sententiam absque ulla sui excusatione auscultavit. Bajulavit crucem, & quod onus cæteris reis non solebat imponi, huic scapulas supposuit, nec expostulavit; provectus ad montem Calvariæ innumeram hominum turbam ad probrosæ mortis suæ spe-

ſpectaculum confluentem aſpectavit, neque hâc territus mortem detrectavit. Cruci affixus fuit, in qua perſeveravit dum,donec exſpiraret. Quid hic evenerit, attende. Crucifixus fuit binos inter latrones;quo facto ſeu latronum omnium peſſimus declarabatur: pertulit ignominiam patienter: ſorti veſtimenta ſua ab impiis carnificibus ad pedes crucis ſubjici vidit. Ah quid non inferior hominis pars hic meritò ſuggerat ? ergone dicet; tam parva mecum compaſſio ? in tam miſerabili ſtatu conſtitutus, dum è quinque fontibus caro mea ſanguine manat, cernere cogor alium, qui rideat, alium, qui jocetur, alterum qui ſubſannet, & rurſus, qui de miſeriis meis ludat? Interea horum luſorum ipſorummet amore,& ſalutis eorum causâ, mortem Do debeo oppetere? Me miſerum! ô me afflictum! non interea tamen tam diverſis occurrentibus, Jeſus mutavit animum,verùm generosè proceſſit ulteriùs, aſpexit benedictam Matrem ſuam,ejuſque dolores,magnumque ſanè afflictæ huic parenti futurum ſolatium noverat, ſi tantis eriperetur miſeriis. Non ita Jeſus; ipſe ait:Voluntas Patris æterni eſt,ut moriar: nolo mortem meam impediri ſolatio, quod Matri è vita mea eſſet superventurum.Quid porrò

V. A cohorte diſſoluta graviſſima afficitur vexatione, dum illi exprobrat:*Si Filius Dei eſt,deſcendat de Cruce,& credimus ei.* Siſtamus hìc paululum, mi Lector, ad talem propoſitionem. Nunquid inexplicabili erga homines charitate Chriſtus flagrabat? quæ pulchrior occaſio ad fidem adducendi lucrandique tot animas; nec enim ampliùs poſtulant,quàm ut de cruce deſcendat, cui affixus hærebat, fortè quis inconſtans ſocius, noſtrique ſimilis ad propoſitionem, tam ſpecioſo ac honeſto pallio, utpote piiſſimo motivo,coloratam condeſcendiſſet. Non deſcendit autem Jeſus de cruce; ex paterna enim ordinatione ipſi in illa moriendum.Superſedeo mille aliis circumſtantiis enarrandis,quæ videntur ſuffecturæ fuiſſe ad Chriſtum inducendum,ut vitam vellet protrahere,nec mortem obire: poterit ex hiſce Lector plura pro conſideratione eruere.

V.

VI. Ad ultimam partem progredior: Christus mortuus est pro Patris æterni gloriâ, neque solùm ut ipsi obediret, verùm ut perditam humani generis salutem reparando, ablatam ipsi à Dæmone tot animarum deprædatore gloriam restitueret. Nunquid ergo Patrem erga filium hujusmodi conveniebat se exhibere suavem, amabilem, & affabilem, maximè in ultimo hoc articulo, dum in cruce dolorosissima pendebat. Atque interim quis potuisset credere! Pater omnis consolationis, tam amabilis in tam multos, tam rigidus erga Unigenitum suum se exhibuit, ut omne ipsi solatium subtrahendo, compulerit ad exclamandum. *Deus Deus meus! ut quid dereliquisti me.* Expende hæc paucis, mi Lector: Quantum equidem existimo, ita illum exclamâsse judico, ut supremam animæ suæ afflictionem nobis declararet: & quia pro causa Dei patiebatur, voluit ipsum Deus magnum illud capere experimentum, ut pateretur atque moreretur absque ulla consolatione etiam ab illo, pro cujus amore patiebatur ac moriebatur: neq; propterea à proposito suo dimotus, ab implendo cursu suo vel ad speciem recedere cogitavit; cujus terminus non in cruce, sed in morte crucis consistebat. In tam dolorosâ itaque in tam afflictiva circumstantiâ, positus Dominus Jesus perseveravit constans, ne sequaces sui vel in ullo casu liberum sibi aliquando esse putarent, vel ad tantillũ non exequi, terminare ac perficere illud, quod à Deo ipsis esset impositum: & jamjam expiraturus tam altâ voce, ut procul audiretur, exclamavit: *Consummatum est*: quam vocem immediatè post mors subsecuta est; longiori enim narratione haud interfertâ subjungit continuò Evangelista: *Et inclinato capite emisit spiritum.*

VII. Omnia, quæ hic Lector charissime, potiùs brevitatis gratiâ insinuavi, quàm explicarim, serviant tibi ad condiscendam perseverantiam (absq; qua nullum unquam opus perfectum efficies) ut id perficias, quod Deus à te postulat. Quòd si ad cujusq; seorsim statum foret descendendũ, enumerandumve, quid à quolibet in particulari Deus exigat, finis non foret scribendi, sufficiat hic adduxisse tentationes sive probationes illas, quas compendiosè attulit, à quibus Redemptor noster non sinit se superari, quo minus opus à Patre sibi impositum pro salute humani generis, mortem in Cruce obeundo, exequeretur. Poterant singula à consummatione tanti operis retrahere, maximè quia perspectum habebat, quòd ad postulatum suum in obedientiâ illâ secum dispensandum fuisset, si petere voluisset; Verùm noluit dispensationem petere: maluit obedire: elegit implere voluntatem Dei sui: quare qui hæc legis, admirare hanc inexplicabilem constantiam, ut quantum licuerit, adjuvante Divinâ gratiâ, hoc exemplar imiteris. Omnia te mala premant sive ab ingratis, sive vituperia, sive bonorum jactura, sive detrimentum sanitatis aut vitæ, sive subtractio consolationis etiam

spi-

spiritualis non finas te illis abstrahi ab impletione operis à Deo ti bi commissi. Unde facilè intelliges, ad quantum Exercitantis com modum S. Ignatius vir spiritûs verè solidi ac masculi, meditatio nem de Passione Christi ordinaverit. In libello quidem Exercitio rum suorum mysteria illa absque ulla declaratione proposuit su cinctissimè. Verùm qui consideraverit, quid in ampliori medita tione de duobus vexillis statuerit, nempe bonum Christi militen agere, agnoscet hinc consequi resolvendum pariter esse, quòd quoad vixerit, militiam etiam ipsius ob nullam velit adversitaten deserere. Militare hic est pati, & publicè pati, aut pro defendend honore Dei, aut ad hostes ipsius semper & omni loco impugnan dos, nunquam deficiendo; nec enim nisi mors sola fideli ac ver pugili arma è manibus eripere aut præliandi voluntatem extor quere debet. Ita dispositus considera, quantæ Christo inceptum o pus abrumpendi causæ oblatæ fuerint, omnia nempe illa quæ S Ignatius ad meditandum proponit; dumque compereris nul prorsus Christum cessisse: dic & tu; neque ego adjuvante Deo a mortem usque ulli obstaculo cedam.

VIII. Quisquis nunc ita animatus fuerit, gaudebit recitation verborum S Apostoli Pauli veri Christi Imitatoris, ex quibus ap paret, quàm animatus ille fuerit ad omnem tribulationem suffe rendam, nunquam verò deserendam stationem, in qua illum Deu collocaverat: Vide quæ hic subjunguntur, gratiamque exposce ip sum imitandi, *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulat an angustia? an fames an nuditas? an periculum? an persecutio an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tot die: sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Cer tus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neq Principatus, neque instantia, neque futura, neque creatura, alia po terit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo JESU Domin nostro.* Verba hæc mihi videntur accommodatissima pro eo, qu juxta ideam S. Ignatii Passionem Dominicam statuit meditari, ordinando nempe meditationem ad perseverandum in amo Dei, nulli adversario ipsius cedendo. Quare tibi consulo, ut sim lem tui ipsius interrogationem instituas. *Quis separabit nos charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro?* an respectu humanus? an cura famæ? an sanitas? an amici: an socii, divitia voluptates, vana gloria? an parentes, an tormenta, tædia, tristiti infamia? quòd si in quo puncto animus tuus titubaret, téque va cillantem deprehenderes, obfirma animum, & propone nulli ho rum cedere, ut audeas palàm dicere quòd cùm gratia Dei nolis, *creatura ulla separet te à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Do mino nostro.*

LEC

LECTIO SPIRITUALIS
PRO TEMPORE MATUTINO
Octavi Diei Exercitiorum Spiritualium.

I. DUo maximè opposita in meditatione de proditione Judæ ponderanda, à me sunt tibi proposita: Vilitas discipuli proditoris, & dignitas Magistri proditi, qui inde & contemptum tulit & damnum, probrosâ morte consecutâ, quo non obstante eundem & amicum compellavit, & ceu talem tractavit: & quidē quantum in ipso fuit, optabat ab ipso errorem suum retractari: quod verbis istis: *Amice ad quid venisti*: satìs testatum fecit. Maximopere tibi mi Lector ausim suadere, ut sinceritatem erga Deum & proximum omni procul perfidiâ, absque omni traditione & læsione utriusque profitearis! Virtus hæc maximæ, rogo, sit tibi curæ. Neque enim existimo exceptis peccatis, quæ immediata Dei sunt offensa, vitium ullum magìs esse fugiendum, quàm perfidiam, nec rem esse, in qua magìs deceat Christianum conformare se Christo humanissimo, quàm in sinceritate & honestate. Tollatur virtus illa è mundo (in quo dura est necessitas nescire cor alterius, inquit Augustinus) & omne simul humanum commercium interibit: fidelitas tollatur, & tolletur omnis humana societas, & in communione aut in communitate vivendi facultas interibit, quæ à Sapientibus tam magnum beneficium semper fuit æstimata.

II. Agamus primò de sinceritate erga Deum, & circa causas Dei; ad hanc enim profitendam omnium primò es excitandus: contra hanc speciatim peccârunt Hæretici, & ab ordine religioso apostatæ, cui interim per solenne Sacramentum se devoverant. Inhonestè & injuriosè hi Deum tractaverunt. O quæ inhonestas Arii, Nestorii, Pelagii, & illius, qui Manichæorum Author fuit; contra Ecclesiam, in quâ magno beneficio educati fuerant, tam atrociter rebelles! Inhonestus Julianus aliquis apostata; inhonestus Martinus Lutherus, qui & à statu religioso defecerunt, &

Ecclesiam Christi implacabilibus turbis infestârunt: ute-
que enim vitam Monachalem antehac professus fuerat. I-
honestus Henricus VIII. Rex Angliæ, qui postquam etiam
à Summo Pontifice nobili illo Defensoris Ecclesiæ titulo
honestatus fuisset, tam turpiter contra Ecclesiam, ejusque
& suum simul caput insurrexit. Et quo motivo adductus?
ut turpe commercium suum cum muliere natalibus obscu-
râ, moribus infami fovere posset. Omnes hi, eorumque
similes facti sunt viles, contemptibiles, infames: consisti-
que horum inhonestas in hoc, quod benefactoris sui obli-
ti sunt, & Authorem tot beneficiorum iniquè tractârunt.

III. In genere autem tum quis agit inhonestè, quando
ad se suaq; tantùm temporalia commoda attendens (quod
quantò vilius, quantò sordidius est, tantò inhonestiorē red-
dit actionem) alterum immeritum aut in honore, aut in
bonis fortunæ, aut in propriâ personâ impetere non eru-
bescit. Quò reducuntur calumniæ, invidiæ, fraudes, dupli-
citates, proditiones, simulationes, conspiratio cum inimicis
& similia. In historia Romana ceu infamis declamatur Ca-
tilina, qui ambitione stimulatus, Romæ propriæ patriæ
exterminium meditatus fuit. In historia sacra infamis habe-
tur Ammon, qui Thamaris sororis suæ lectum dehonesta-
re ac violare non erubuit. Infamis factus est David deho-
noratione Bethsabeæ, & Uriæ mariti ipsius parricidio: in-
terea & Ammon, suam tantùm ut expleret libidinem, ad-
misit incestum: & David post peccatum cum Bethsabea
Uriam è medio tolli fecit, non alio, nisi ut adulterium suum
occultaret, haud interim æstimans, quòd spoliaret se fide-
lissimo coronæ suæ Duce. Inhonestissimus autem om-
nium maximeque infamis factus est Judas Christi Magi-
stri sui traditor. Excessum sceleris hujus prævidens Rex &
Propheta Regius, nomine Christi venditi hoc modo expo-
stulavit: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem
utique &c. Tu verò homo unanimis, Dux meus, & notus
meus, qui dulces mecum capiebas cibos, ambulavimus
cum consensu in domo Dei mei.* Psal. 54. Superi pro lucro

vilium

vilium triginta denariorum Magiſtrum ſuum tractare ceu abjectiſſimum mancipium, vendere eum, & pretio quidem abjecto; vendere illum inimicis ſuis, qui iram ſuam adverſus eum explere ſatagebant, huic vitam tollere morte crudeliſſimâ ac probroſiſſimâ, dum medius duos inter latrones cruci affigendus; ut taceamus, cætera, quæ innocentiſſimus ille Agnus Dei, ipſi etiam Judæ prænuntiata, ſufferre debebat. Turpiter dehoneſtet ac dehoneſtetur neceſſe eſt, quiſquis in Deum, Creatorem ac Redemptorem ſuum mortaliter peccat: peccator enim ſemper propriam voluntatem præfert, nec curat illum poſtponere, qui infinities meretur præponi omnibus creaturis illo qui peccat, millecuplo etiam præſtantioribus. Verùm nolo his ſæpe decantatis diutius inhærere. Recogita, quid meditatus ſis in meditatione de peccatis propriis & à te ipſo commiſſis. Ut verò te ad honeſtè ſemper cum Deo agendum excitem, ponam tantùm hìc nobile caſtiſſimi juvenis Joſephi Patriarchæ reſponſum, quod obſcœnæ mulieri dedit, dum ab impudente illa invitabatur ad maritalem ipſius thorum contaminandum.

IV. *Primò* adduxit ſuccinctam enarrationem benegnitatis, quâ ipſiuſmet maritus erga ſe uſus fuiſſet, inquiens: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te.* Atque ex hac honorifica humanitatis & confidentiæ erga ſe, à Domino ſuo ſibi exhibitæ, confeſſione, cum honeſtiſſima, coram Deo ſuo, utpote principali omnium horum bonorum authore, proteſtatione, concludendo intulit: *Quomodo ergo poſſum facere malum hoc, & peccare in Deum meum?* Verba hæc meritò quivis in ore gerere deberet, dum ad actionem aliquam peccaminoſam tentatur, efficerentque, ne quis cum Deo inhoneſtè agat.

V. Verùm ad Chriſtum redeo, ad illud omnis honeſtatis exemplar; ô quantâ ille cum honeſtate Judæ obviavit. Neq; hìc proximũ me eſſe neceſſe eſt, jam enim notũ eſt tibi, quâ ratione nec aſpero ullo verbo prolato, ipſi occurrerit; ami-

cum etiam ipſum vocando: *Amice ad quid veniſti?* In cœna laverat ipſius pedes: De proditione inſtante ſimiliter loquens, tantum ei ſatis inſinuavit, ut infelix ille ſatis intelligere potuiſſet vaticinium in ſe cadere, ideoque ſcelus caveret: non tamen ita manifeſtè de Juda illud prænuntiavit, ut cæteri ad ipſum alludi, conjicere iſtud potuerint; itaque ideo, quia cum inepto etiam diſcipulo Magiſter optimus humanè ac honorificè volens agere, noluit illi fœdam traditoris notam inurere: permiſit, ut ille ſeipſum manifeſtaret, noluit ipſe primus illum revelare. Quâ nobili actione Chriſtianos inſtructos voluit, quantâ cum civilitate alter alterum tractare deberet.

VI. Notabile profectò eſt id, quod in libro Sapientiæ refertur cap. 12. Ubi Deus multa cum reverentia ac conſideratione de hominibus, eorumque negotiis diſponere perhibetur. *Nos cum magna reverentia diſponit.* Exiſtimo Deum in conſiderationem adducere hominis naturam, qui ſecundum naturalem etiam dignitatem ſuam, vera eſt imago Dei, in qua tres Diviniſſimæ illæ Perſonæ relucent: ideoque illæ in creatione illius dixerunt: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Videtur itaque re ipsâ hic Deus dicere: alio agendum eſt modo cum homine ratione prædito, dotato animâ ſpirituali ac immortali, quàm agam cum aliis, qui perfectionibus hujuſmodi carent. His dico: *Fiat, & factum eſt*: verùm non eâdem methodo volo procedere cum homine: conſiderationem erga ipſum utor de propoſito: ita eum volo tractare, ut agnoſcat ſe à me æſtimari. Quantum porrò ordinem gratiæ attinet, homo opus eſt valde eximium: hâc enim conſtituitur frater Chriſti, filius adoptivus ipſiuſmet Dei: quos binos titulos conſequitur titulus hæredis cæleſtis: atque hoc amplius movetur Deus, ad tractandum ipſum cum reverentia; & quidem cum magna reverentia: *Cum magna reverentia diſponit.* Unde & cæteris hominibus idem dictum velim: imitamini tam præclarum exemplar. Tractate alterutrum honorificè: nolite vobis putare accedere ho-

noren

orem, dum vos inhoneſtos, inhumanos aut immodeſtos commonſtratis : agendo cum proximo methodo contemptibili, nolite exiſtimare quòd Deo per hoc placeatis; minùs adhuc fratri tuo ſtropham lude , eſcam cum hamo ei præbendo, ut poſſis ita poſtmodum ipſum decipere, explodere, ducere quò volueris, nullâ habitâ ratione honoris, quo ipſum ſpolias, ignominiosè eum habendo. Amplum eſt, quod de altero S. Joſepho, Sponſo BB. Virginis ſacræ paginæ commemorant. Invenerat Virginem gravidam, & Verbo quidem Incarnato imprægnatam, opus hoc Spiritûs S. eſſe, ipſius erat oculis abſconditum. Variis interim æſtuans cogitationibus, nulli locum dedit, quæ ad inhonorificum aliquid adverſus eam tentandum, poterat illum ſeducere. Hujuſmodi quid feciſſet, ſi in aures amici alicujus, cognati, aut familiaris vel conſilii etiam causâ querelas effudiſſet, caſum enarrando, quanquam cum ignorantiæ de facto proteſtatione: dicendo ex. gr. Mulier mea, fœmina ſancta eſt verùm neſcio quid debeam cogitare? illa indubitatè concepit, verùm abſque me: quid videtur? quid mihi conſulitis? minùs verò ad Judices accurrit, & adulterii inſimulavit: id quod fecerunt Scribæ & Phariſæi, qui nullâ habitâ ratione violati honoris pauperculæ alicujus in flagranti cum lenone deprehenſæ, eam illico ad Chriſtum adduxerunt, ſententiamque adversùm eam dici poſtulârunt : quanquam honeſtiſſimus Jeſus perverſa eorum conſilia eluſit. Quid autem S. Joſeph? *Noluit eam traducere ſed cogitabat occultè dimittere eam.* Si quidem rea fuiſſet, ſponſæ infideli amplius cohabitare æquitas non permittebat; ideoque de ea dimittenda deliberavit: honeſtas verò dictabat, ut *occultè* & ſine ſtrepitu eam dimitteret : & quod amplius, *noluit eam traducere*: quod verbum in latino ſignificat tantundem, atque alterius actiones de aure in aurem transferre, ac rumorem ſpargere. Quod ſi feciſſet Joſeph, quibus non dicteriis optima Maria jactata fuiſſet? quæ non dicta, quæ non audita fuiſſent? quæ non fabellæ diſſe-

dissiminatæ, & quibus consequenter rumoribus Beatissi-ma Virgo non fuisset diffamata,denigrata,vilipensa?

VII. Ecce quid postulem,mi Lector,ut offerentibus se occasio-nibus similibus eas observes. Habe reverentiam erga proximum, fuge irreverentiam: neque hoc etiam observatu facillimum pu-tes. Dum ad rem venerit, invenies te urgeri à passionibus tuis, a amore proprio, ab invidia, æmulatione, antipathia ; passiones tuæ sæpe excubabunt à latere, teque ad proximi despectum at-que ad irreverentiam, contra ipsum irritabunt, stimulabunt, ac-cendent. Sæpe apparebunt velatæ pallio zeli, studio boni me-lioris, utilitatis publicæ, sanumque tibi visum eripient. Nonne hoc pacto Judæi Christum tractârunt ? *Quid faciamus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic*, VENIENT *Ro-mani, & tollent locum nostrum.* Interesse proprium, jactura com-modi alicujus excitavit eos ad innocentem tam inhoneste tra-ctandum, ad tot iniquas accusationes comminiscendas, ad te-stimonia totidem falsa conquirenda, ad interpretationes tam ca-villatorias excogitandas: spectabant tantùm, ut occideretur: non cura æquitatis, non amor justitiæ, non decori ratio eos solici-bat. Ad hujusmodi excessus sæpe etiam proceditur à Christiani-nostris: cuduntur falsa testamenta, mendaces texuntur accusatio-nes: & quod mireris, id quod ex affectu effectuque subinde pes-simum est, verum dicitur, sed tantùm verum materialiter: di-cunt tantum, quod in rem ipsorum; tacetur circumstantia aliqua quæ si aperiretur, accusato fieret justitia, & accusator condemna-retur. Sufficit illis, in rem tantùm suam agere, suum finem assequi, atque id, quod avent, obtinere ; ipsi tantummodo crescant, proximo res cedat, utcunque libuerit, susque deque habent.

VIII. O magnam indecentiam! Deus ut dixi, *nos disponit cum magna reverentia*, imò & cum eadem tractat impios. Rariu-enim ab ipso procedunt certæ notoriæ demonstrationes, quales ab ipso immediatè provenisse constaret, maximopere in peccato-ris contemptum cederent: sinit zizania crescere cum tritico, & i-eâdem sagenâ omne genus piscium sinit congregari putridos & vegetos: in Ecclesia etiam sua tolerat in dignitatibus eminere im-pios: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi* : ne semper, nec frequenter ignominiâ eos notat; & cur nos ergo fe-stinemus ad fratri nostro eam importandam? cur mortificatum, cur confusum, cur despectum velimus? manticam inspice pro-priam; considera, quid in similibus circumstantiis dictitare so-leas, dum tua res agitur? nonne tum vulgaris est parœmia tu-poteram priùs verbo moneri, antequam accusarer, antequam

tarc-

tater: poterat justitia modo magis civili circa me decerni, poterat finis bonus haberi absque tanta mei depressione: non erat necesse tantam mihi maculam inuri, aut vibice vultum meum exarari, cujus perpetua existent lineamenta. Ita quidem in causa propriâ peroramus, neque contradico.

IX. Tantùm moneo; *quæ vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis: omnia autem quæcunque non vultis ut faciant vobis homines, nec vos facite illis.* Nonne illud naturæ rationali conforme esse fateri debemus? Consideremus ceu specula nobilissimas Personas, Joannem Baptistam, & Jesum benedictum, cujus vitam quò amplius examinamus, eò pleniorem gestis honestissimis videmus. Erat ipse corrivalis, ut ita loquar, Joannis Baptistæ, quantum spectabat ad munus prædicandi, hominesque ad pœnitentiam perducendi. Ambo valebant authoritate; & nisi ambo decentiæ ac honestatis tam amantes fuissent, potuisset contingere, ut alter præ altero excellendi desiderio, ac Xenodoxiæ studio socium depressisset. Potuisset subesse periculum, ne in rem suam, Baptista majorem ministerii sui antiquitatem, vitæque austeritatem jactitâsset, & ad Jesum deprimendum eum tanquam Prædicatorem recentem, proque homine, qui pro pœnitentiæ prædicatore delicatam nimis vitam duceret, venditare. Verùm nihil, quod vel à longè redoleret hujus modi contemptum, ex ore illius prodivit: contrà, Jesum laudavit ac prædicavit: se non nisi vocem ac servum esse declamavit. Jesum verò Dominum esse ac Dei filium. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: quin & eò humilitatis descendit, ut diceret: *non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus.* Imò cùm discipuli ipsius murmurarent, eò quòd accurrerent Judæi ad Christum, Divino ipsius verbo attracti, ipsumque deserto Joanne auscultarent, ad ipsum deferentes rem hanc, tanquam ab ipso sufflaminandam; audi, quid Paranymphus ille modestissimus responderit. *Ipsum oportet crescere, me autem minui.* Quàm diversus hìc modus fuit, ab eo, quo fratres Josephini Josephum tractârunt. Cùm bina ab innocente juvene somnia narrari audivissent, unum de manipulo ipsius, qui visus fuisses fuisset supra cæteros undecim eminere, alterumque de sole, luna & stellis, quæ ipsum adoraret, illico invidiâ correpti, eò quod ipse natu minor cæteris esset dominaturus, in amarulenta hæc verba erupêre: *nunquid Rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ?* additque sacer textus: *hæc causa somniorum atque sermonum; invidiæ, & odii fomitem ministravit* Gen. 37. Neque quieverunt, donec per actum unum inhonestissimum, conspirârunt de ipso ceu mancipio vendendo mercatoribus. Jesus vicissim, non nisi omnia laudabilia di-

xit de Joanne, quòd *nemo inter natos mulierum surrexit major Joanne Baptista.* Quòd & ipse esset, de quo Propheta præcinuerat: *Ecce ego mitto Angelum meum*; quodque fuit amplissimum, elegit baptizari ab ipso, tanquam è numero esset peccatorum: in qua scena mutua utriusque reverentia honestissque se fecit spectabilem, dum Joannes præ reverentia detrectabat munus baptizandi hominem Deum dicens: *Ego debeo baptizari à te.* Jesus autem famulum suum honorare gestiens, ad baptismum sibi præstandum induxit motivi magnitudine, dicens: *Sine modò: sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

X. Considera nunc homunciones illos miseros, qui in delatione honoris alteri facta, metuunt semper aliquid perdere, qui per depressionem alterius cupiunt extolli, milleque indecentibus modis quærunt elevari. Abhorrent horum praxes ab exemplis modò recitatis: neque hâc solùm pice inquinantur seculares, sed & sæpè personæ Deo dedicatæ. Ob rem nihili, mille oggerunt impertinentias, unde charitatem atrociter lædi sæpe contingit: hinc miscentur jurgia, aut ad ostendendum, aut ad defendendum: hinc tot lites, tot apologiæ, tot subtilitates, ne dicam sophismata, fortè & duplicitates, effectus omnes passionis alicujus nimium dominantis, unde ineptiæ tales ac irreverentiæ, quibus alter alterum perstringit, enascuntur; hinc illæ verborum, alterius actionum, aut omissionum crises, depressiones innocentum, pœnæ reorum subinde supra meritum graves. Actus inhonestissimus Judæ Magistri sui proditoris suggessit ista mihi, quæ putavi in communem rem profutura.

XI. Christus de in traditus, & quid secutum? Judas se ipsum suspendit, & disrupta sunt intestina illius. Jesus autem tolerandos habuit tristes effectus probrosæ hujus actionis. Judas verò apud posteros omnes infamis redditus, & ad æterna inferni supplicia detrusus: ut disceremus, ignominiosos hujusmodi actus tandem per seipsos manifestari, inque vituperium & probrum ipsiusmet Authoris recidere, & pro gravitate vel levitate infamis actionis in gravem etiam vel levem evadere authoris ignominiam desinere. Monitum autem te diligenter volo; quod si à gravibus hujusmodi malis te præservare volueris, ab hujusmodi abstineas quæ sensim sine sensu in simile barathrum deducunt. De Juda constat; quod *erat fur & loculos habens.* Occulta furta, questusque illiciti primus illi gradus fuerunt, ex quo in tam horrendum crimen proditionis delapsus fuit. Qui hæc legis, seu Religiosus fueris, seu secularis, noli in parvis proximum indecenter tractare; alioquin *qui spernit modica, paulatim decidit.* A parvis ad majora proceditur, ita ut inhonestè cum omnibus agatur etiam in gravi materia, Deusque finaliter tradatur.

LECTIO

LECTIO SPIRITUALIS
PRO TEMPORE POMERIDIANO DIEI octavæ Exercitiorum Spiritualium.

I. PLurimum intereſt ſeriò Paſſioni Dominicæ cooperari, ut ea finem verum, quem Jeſus in illa ſubeunda ſibi propoſuit, nanciſcatur. Finis hic fuit, reparare humanum genus. Quemadmodum autem Jeſus ultra neceſſitatem ac indigentiam noſtram abundantia fecit ac paſſus eſt (quælibet enim actio ipſius paſſióque meriti fuit infiniti, utpote promanans à perſona verbi unita humanitati) & voluit nos ſecum concurrere per cooperationem noſtram illa nobis applicando. Quem in finem optem, ut hodie cordi tuo imprimas ſenſum illum Pauli dicentis: *adimpleo, quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore meo.* Deſiderari aliquid inſinuat Apoſtolus, abſque quo paſſio Chriſti, & quidquid in paſſione ſua, ex multis quaſi paſſionibus compoſita ſuſtinuit, nihil ipſi prodeſſet. Quid ergo agis O magne Doctor gentium? laboro, patior, operor, me ipſum ſtudeo vincere ad imitationem Redemptoris mei, qui exemplo mihi præivit: ſacris ipſius veſtigiis conor inſiſtere? *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.*

II. Noli itaque monitum in hac lectione Spirituali hodie dandum, tanquam purum ceremoniale accipere; ſed tanquam punctum eſſentialiſſimum arripe. Primò autem expende actionem unam ſingularem Redemptoris. Poterat indubitatè, tantùm prædicando homines docere rectam ad cælum ſemitam, ſimplicitérque ea proponere, quæ corruptæ hominum naturæ diſplicent; poterat etiam ab iis exigere, ut viam hanc quantumcunque duram, aſperam, ac ſpinoſam calcarent, & ſatis ipſis erat, in præmium conſequi finem tam beatum. Interea jure ſimul potuiſſet ſuſtinere Perſonam, qualis erat, humanitatemque ſuam innocentiſſimam pro merito ſuo, omni cum teneritudine lautiſſimè tractare; quandoquidem & Principes omnes hoc modo agunt cum ſuis militibus, hóſce tractantes ruditer & crudè,

dum ablegant ad castra, committunt in prælia, destinant laboribus, vigiliis ipsique morti, dum ipsi interea suis morantur in palatiis, quiescunt in sedilibus, deliciantur in omni genere. Quòd si & idem Jesus noster fecisset, quis potuisset illi quidquam exprobrare? quis de eo queri, quis se illi componere ausus fuisset? quis illi objicere tentâsset? ecce tu molliter vivis, & à me requiris aspera? nimis quàm manifesta Christi omniumque hominum erat disparitas, & sors differens: quivis ergo libenter acquievisset; interea nostram ille infirmitatem exemplo suo voluit animare, ad patiendum patiendo præire; tantaque pati, ut quancumcunque passuri essemus, ab ipso tamen maximo intervallo distaremus! nunc autem ad æternam memoriam suo reliquit consignatum in Evangelio id, quod discipulis binis euntibus in Emaus dixit: *Nonne oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam?* quâ protestatione innuit, sese quà hominem, doloribus ac passioni subjectum ad cælum tendere: cujus alioquin quà Deus esset Dominus ac dispensator; idque juxta Patris æterni decretum, eo fine ut nemo purus homo, multò minùs homo peccator conquereretur, dum auribus ipsius insonaret illud: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

III. Nunc verò positâ hac ingeniosa divini erga nos amoris inventione; quis audeat existimare, nimium à nobis exigi, dum jubemur vestigiis ipsius insistere? aut quis negare præsumat, quin dum ipse mille & mille parti inferiori repugnantia tolerat incommoda, altero tantò ampliora à nobis meritò sufferenda sint.

IV. Verùm tamen sive difficile, sive facile nobis visum fuerit, illâ viâ, quâ Jesus subivit, cælos penetrare, pro certo habendum nobis est, aliter esse non posse. Quare imitandus est nobis S. Paulus, propositumque stabiliendum adimplendi id, quod nos tangit, ut Passio Christi fructuosa nobis evadat. Reminiscere illius, quod in terra promissionis accidit missis eò exploratoribus. Hi ut te ubertate terræ hujus, quæ paradisi alicujus terrestris referret imagine

ginem teſtimonium perhiberent,uvæ conduxerunt palmitem. Tàm ille decumanus ac portentoſus erat, ut ponderi illius regendo homo unus non ſufficeret. Quare robuſti duo (neſcio an ſaccophoros an fortes ſatellites appellare debeam) è vecte pendulum anſa vectis innitente ſcapulis adduxerunt, & contentiosè eam extollentes populo præmonſtrârunt,ut ex fructu hoc colligeret cetera, quæ terra, ad quam invitaretur, progerminaret: *Pergentes ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum uva ſua, quem portaverunt in vecte duo viri.* Numer. 13. Ad propoſitum duas poſſumus conſiderationes inſtituere ſuper hoc palmite: *Prima* eſt quod eodem palmite repræſentatum fuerit pretium redemptionis noſtræ,id eſt pretioſus Chriſti ſanguis: qui vinum in uvæ venis excoctum jure appellari poteſt, etenim & ſponſa ipſum nominavit botrum cypri,vinumque, quo botrus turgeſcit vocatur in ſcripturis, ſanguis uvæ: hinc S.Auguſtinus ait: *Uva illa Chriſtum Deum figuravit.* Serm. 100. de diverſis. *Botrus inquit* S.Paulinus *Chriſtus eſt, qui nobis in vecte crucis ſuſpenſus de terra promiſſionis fructum dedit.* Epiſt. 1. ad Severum. *Secunda* eſt: quod palmitem hunc geſtando, monſtrando, populoque electo eundem etiam diſtribuendo ambo fatigati ſunt; & qui præcedebat vecte humeris ſuis impoſito, & qui ſequebatur oneratus eodem. Myſterium latet ſequens. Qui præcedebat, figurabat Jeſum: is qui ſequebatur notat quemcunque, qui fructum ex redemptione ſua capere, operumque bonorum exercitio meritum ſanguinis Chriſti ſibi applicare ſatagit. Duo extulerunt palmitem è terra promiſſionis: & duo cooperari debent, ut Redemptio compleatur. Redemptor eſt, qui præivit: & redemptus is, qui ſequitur; onus quoque ſuum ille bajulare debet, ac meritis Servatoris cooperari. Id quod non aliud in ſubſtantia eſt, quàm implere datum à Salvatore diſcipulis ipſius monitum. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me:*

Is equidem, qui ultimam memorati vectis anſam prehen-dit,ſecutuſque fuit, privilegio quodam ac commodita gaviſus fuit; etenim videre poterat, ubi præceſſor ſecu figeret veſtigia; habebatque ita, qui viam pararet ac qua manuduceret in quē dum oculos conjiciebat,evitare po rat difficultates ac præcipitia ſi quæ occurrerent:nec ver etiam ſine nota ſocordiæ humeros oneri ſubtrahere pot rat,cùm tam generosè illi ſuccollantem præeuntemque ſo cium videret. Et nos Chriſtiani nimiùm quantùm inert eſſemus, ſi detrectaremus partem laboris pro anima ſe vanda neceſſarii, poſteaquam tam nobili exemplo Re demptor Deus homo factus præivit.

V. Circa quod ſpeciatim obſervandum;quòd hic Deu homo Divinæ ſuæ Perſonæ poteſtatem non adhibuerit quò minùs humana ſua natura minùs labores doloreſqu ſentiret. Minimè gentium,quin potiùs Divinitatis tantu viribus uſus eſt,ad humanitatem ſuam corroborandam,u in tormentis perferendis diutius poſſet ſubſiſtere,in quibu alioquin non niſi ad breve tempus durare potuiſſet; con fortavit illam,ut diutius tolerare poſſet dolorem, de qu illud dici poteſt: *non eſt dolor ſicut dolor meus.* Unde S Laurentius ad generoſitatem Chriſti comprobandam, ele gantem hanc protulit ſententiam: *Tota Divinitatis glori militavit ad pœnam.* O cor verè nobile! ô Spiritum mag nanimum! O Ducem militum ſuorum verè amantem! ma jores elegit afflictiones, quàm ſuis eſſent obventuræ mili tibus. Non poterat animus ipſius aliâ externâ potenti frangi; quare animam tædiis,timore,melancholia ultro ex cruciavit;à quibus ſacratiſſimam paſſionem ſuam in hort Gethſemani ſpontaneè exorſus eſt,omnem excludens con ſolationem, quâ partis inferioris dolores poſſent mitigari tùm verò carnem ſuam corpuſque carnificibus tradidit qui barbariæ omnibus notâ eum excarnificarent.

VI. Quæ hinc ſequelæ deducendæ mi Lector? ſequentes opto eruas. *Primò* quòd Chriſtus à te non expoſcat dolo-rem cruciatui ipſius parem. Elegit ipſe primus ſibi maxi-

mum

num: voluitque ab omnibus dici posse; *non est dolor, sicut dolor ejus*; tam de his, qui ante ipsum passi fuerunt, quàm de illis, quotquot post ipsum passuri essent, sive Martyres, sive confessores. *Secundò.* Dulcissimus Jesus paratus est sequaces suos adjuvare & confortare per consolationes mille aut confortativa, quorum præsidio dolores non tantùm tolerabiles, sed & jucundi evadant: id quod omnes ut taceam Sanctorum exempla, quibus vitæ impressæ abundant, experiuntur quotquot amore ipsius aliquid patiuntur; hi qui amore ipsius superant pudorem in confitendo, qui injurias remittunt inimicis, qui se exercent in operibus pœnitentiæ, nôrunt, quæ inde animæ consolationes obveniant. *Tertiò.* Quàm exiguum in veritate patimur cum JEsu, ad cooperandum passioni ipsius? non illa ampliùs sæcula vivimus, in quibus Christianum esse; tantundem erat, ac simul proscriptum esse omnium facultatum possessionibus, damnatum exilii, declaratum infamem, nec tantùm destinatum in cibum leonum (prout de Christianis sui temporis scribit Tertullianus: *Christianus? ad leonem*) verùm & omnibus esse tormentis expositum; Tempora illa pacis vivimus, quæ benignissimus Deus per tot Martyrum Victorias est elargitus Ecclesiæ suæ; Reipublicæ illi, cujus pars sunt, qui Christi sequuntur Evangelium, ejusdemque sinceri discipuli, Modò non est infamia, sed gloria esse Christianum: neque est etiam quod facultatum illarum temporalium jacturam vereamur, quas à Christo nobis concessas licitè possidemus. Ad quid ergo reducenda nostra pro Christi amore passio? posita est hæc in cooperatione cum ipsius passione; non in alio, quàm in subjectione partis inferioris ad superiorem, in abnegatione desideriorum nostrorum, in fuga peccatorum, in exercitio virtutum. Mi Deus! quàm parùm ergo exigitur à Christiano! & ille exiguum illud detrectabit? de exiguo hoc audebit queri? timore hujus exigui salutem æternam negliget? exiguum hoc velis recusare, & peccatorum detritá semitâ, præcipitare te in infernum? quis istud excusare, quis probare poterit? non po-

est non animo commoveri, quisquis Catacombas Roma-
nas, id est specus illas subterraneas lustrat, in quibus pri-
mitivi Christiani ceu feræ cubilibus suis timore Venatorum
inclusæ, abstrusi degebant: & in hisce vivebant Domini,
matronæ, pueri, alii fortunis locupletes, alii corporis ha-
bitudine teneri ac delicati. Ampliùs compatiatur necesse
est, qui perlegit vitas Martyrum, & quæ passi sunt Ana-
choretæ in eremis Ægypti. Verùm subsequens ad lectionem
horum animi commotio, nonne digna est hisce exprobra-
tio, qui hoc sæculo nostro, qui visis horum quasi innume-
rabilium exemplis, non aliter quasi primi forent, quibus sit
perfringenda mortificationis Christianæ glacies, vel ad so-
lum ipsius nomen inhorrescunt. Interim *Sancti per fidem
vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repro-
missiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum
ignis; fortes facti sunt in bello: alii distorti sunt, non susci-
pientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrecti-
onem, alii verò ludibria & verbera experti, insuper & vin-
cula & carceres: lapidati sunt: secti sunt: tentati sunt: in oc-
cisione gladii mortui sunt: circumiêrunt in melotis, in pel-
libus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus
non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus
& in speluncis, & in cavernis terræ.* ad Hebr. 11.

VII. Et hæc quidem de Sanctis, qui Christum nondum
datum sed dandum crediderunt; vide, quomodo hi antiqui
Testamenti Patres ante ipsius Servatoris adventum, in quem
venturum crediderunt, cooperati fuerint: nunc ergo merito
eodem utar argumento quo usus est S. Paulus post redem-
ptoris adventum adversum Christianos, ad quos suam di-
rexit epistolam: *ideò & nos habentes tantam impositam
nubem testium deponentes omne pondus, & circumstan-
nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum
nobis certamen.* Ad Hebr. 12. tot Sanctorum historiis
edocti, quod humana fragilitas à Divina gratia confor-
tata ampliora possit facere, ac duriora etiam illis pati
quàm ea sint, ad quæ præsentibus temporibus obli-
gamur

gamur, quis non illud exequatur, quod in dulcissimo ac gratiosissimo suo Evangelio nobis Christus injungit. *Curramus ergo ad propositum certamen.* Et quod illud, nisi certamen contra effrænatas nostras passiones, contra suggestiones Dæmonum, contra carnis lenocinia, contra mundi vanitates, contra falsa judicia, contra mala exempla. Utque ad hoc nos animemus, oculos defixos habeamus in Christum, qui ut factibile, & quidem suaviter factibile nobis redderet id quod subinde ceu impossibile malè apprehendimus, mille nobis offert sacratissimæ gratiæ suæ auxilia, per illuminationes, per impulsus voluntatis, modò in hac, modò in alia circumstantia, modò in hac modò in illa occasione, modo hoc, modò alio modo; eum in finem ut in omnibus sanctissimæ ipsius voluntati nos accommodemus: *Aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem JEsum, qui, proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dextera Dei sedet.* Digna notatu verba quibus Apostolus nos edocet, non tantùm præcepta Christum nobis imposuisse, verùm & consummâsse, & obediendo in exemplum præivisse; unde Sacra illius Humanitas caput omnium Electorum constituta *in dextera Dei sedet.* Ecce præmium, cujusmodi etiam exspectat imitatorem passionis Christi, & cum qui *adimplebit, quæ desunt passionum Christi.*

VIII. Hodie ergo, quisquis has paginas legit, intret in seipsum, examinet conscientiam suam, conferat consilium cum Patre Spirituali; petat à Deo gratiam agnoscendi, quid sibi agendum supersit, ut Redemptoris passio ad salutem suam possit operari. Tàm sæcularis, quàm Ecclesiasticus & Regularis, debet in praxi ostendere, quòd vivat juxta principium in hac pagina propositum: adimpleo, quæ desunt passionum Christi. Sæcularis vivendo, prout Deus ab ipso flagitat; Ecclesiasticus prout Deus ipsi præscribit; Regularis prout Deus ipsi ordinat; ad quod faciendũ animo si non fuerit parato, gratis & sine fructu pro illo Dei filius fuerit mortuus.

IX. Quòd si deplorandam hanc infelicitatem O Lector! tibi ipsi importares, id quod Deus avertat; præter jacturam, quam tibi irreparabilem inferres, de infelici etiam eorum numero fores, de quibus Propheta queritur: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Jesus dum adhuc viveret, in crucem actus fuit, debuerant nisi tigride omni crudeliores fuissent, tantâ in Jesum exercitâ crudelitate inimici ejus saturari; videturque impossibile fuisse, ut cruciatum ulteriorem è mundo jam sublato adderent. Nihilominus: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et qui hoc? in mortuum etiam crudelitatem exercuerunt; quod factum est, dum inhumanus miles correpta hastâ ad latus ejus aperiendum

accur-

laccurrit, lanceaque cor ſacratiſſimum transfixit. *Unus militu lancea latus ejus aperuit.* Animum, quo ille id fecerit, in ſanctu poſtea virum converſus, ſacer nobis textus non aperuit. Equiden mecum ſequentem cogitationem meditor: fuit fortè eorum figu ra, quæ poſt mortem à perverſis Chriſtianis Chriſto eſſent obven tura; ab his inquam qui Chriſti paſſioni non eſſent cooperatur Ipſis omnibus conſtat infinita filii Dei in humanam ſalutem cha ritas. *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos tradidit ſemetip ſum pro nobis.* Ipſe ſedes eſt ac thronus amoris, & quis ipſum totun eſſe cor ignorat? cor itaque Chriſti mortui transfigens Longinu adumbravit meo quidem judicio, illos, qui amorem hunc non cu rant, nec ſalutis ſuæ Chriſto tam charæ ſtudioſi, amori illius no modò non reſpondere quærunt, ſed & audent offendere, ac offen dendo ferali ferro cor ſacratiſſimum tranſadigunt. O crudelis, C inhumane Longine! itane cor mortui confodere?

X. Verùm illo crudelior, qui tam amabili Salvatori non cura placere, cooperando ſaluti ſuæ, quin & è contrario deliberatè eun offendit. Interea Redemptori non minùs diſplicet jactura anima rum, propter proprium ipſarum bonum, quam ob jacturam glo riæ, quæ per omnem in cœlo æternitatem æterno Patri ab iis ob veniret, ſi ſalutem ſuam operarentur. Quanta hinc in Deum glo ria redundaret, ſi ſalvarentur omnes, dum autem propriâ culp modò hic, modò ille, modò ſæcularis aliquis, modò Eccleſiaſticus modò Religioſus aliquis, modò monialis ſalutis ſuæ facit naufra gium, O quantum de gloria Dei accidentali detrahitur in cœlo idque pro tota æternitate! quòd ſi ullius adhuc doloris Chriſtu capax eſſet, permaneret illud atrociſſimum in corde illius vulnus quod nomine ipſius olim dixit Propheta: *fruſtra laboravi, in vanum fortitudinem meam conſumpſi.* Iſai. 79. In vanum pro Petro, in vanum pro Paulo, pro Antonio &c. Quare iteratò ad hortor te, mi Lector, ut *adimpleas quæ deſunt paſſionum Chriſti* Noli eſſe Longinus, qui cor Domini transfodiat. Et pejus fort aliquid faciat: ille enim, ut ita loquar, tantummodò ſævit in hu manitatem paſſibilem, & mortuam, tu, quod & ſuo modo dictun ſit, in eandem impaſſibilem ac in cœlis glorioſam debacchari Illud uſque adeò fortè facis, quod ſummo cum dolore ardentiſſi mus ille Chriſti amator Paulus prævidit. *Rurſus ſibimetipſis cru cifigentes filium Dei.* Ad Hebr. 6. Id eſt: tantum abeſt, ut ſalu ti tuæ cooepereris, ut etiam ad damnationem tuam delictum atro committas, ſiquidem pretio pro te à Chriſto in cruce profuſ nolens uti, atque hoc pacto infernum promerendo, re ipſa te ge ris, tanquam ſi Jeſum denuo crucifigeres. O quanto melius ſin gu i agerent *crucifigentes carnem ſuam cum vitiis & concupiſcen tiis.*

LECTIO SPIRITUALIS PRO TEMPORE MATUTINO

Noni Diei Septimanæ Exercitiorum Spiritualium.

I. SErvator noster loquens de tempore Passionis suæ apud Lucam cap. 22. sequentia dixit: *ea, quæ sunt de me finem habent.* Quæ verba hìc adduco in multam, ut spero, Exercitantis utilitatem. Hucusque, mi Lector, occupatus fuisti in consideratione Passionis Dominicæ, & ego pro viribus conatus sum te excitare, ut ipsum imiteris maximè in perseverantia: hanc perseverantiam non dubito, quin pusillanimitas tua multùm impugnet, dum tibi repræsentabit ejusdem difficultatem; & quanquam non aliud illa malum quàm terrorem esset productura, sat mali tamen procrearet. Faciet hoc persuadendo tibi, tempus crucis in hac vita, longum esse tempus, longum Martyrium: verùm te ipsum exstimula, cum Christo dicendo: *ea, quæ de me scripta sunt, finem habent.* Tempus illud totum, quod in hoc mundo mihi deputatum est ad ultimum finem ad salutem animæ consequendum, finietur.

II. Non est ullum argumentum potentius ad contemptum mundanæ vanitatis persuadendum, quàm demonstratio brevitatis ipsius. Et verò quàm diu durant voluptates, honores, divitiæ, vita humana? quàm diu? brevissimè; licet etiam nongentos, quos Adam vixit, annos essent omnia duratura. Itaque illud, quod cum vita nostra finem habet, verè breve est, moræ est omnino exiguæ. Nunc ergo veritatem memoratam præsenti casui applica; tibique ipsi fac persuasum, quòd quanquam cursus præsentis vitæ, cujus adversitates tantopere perhorrescis, tibi quàm diutissimè adhuc continuandus foret, nihilominus brevissimus fore dicendus sit; non enim diutius durabit, quàm tute ipse. Quare si hos, qui in peccaminosas voluptates sunt projecti, ab amore earum dehortamur motivo illo: *momentaneum quod delectat*, velocissimè avolans, quia cum vita avolat, multò ampliùs idem tibi inculcare de-

bes, ut vitæ difficultates ceu Christi imitator patienter feras; tibi ipsi dicens, quod non diu sint duraturæ: ideoque noli timere: quòd si autem clariùs amas perspicere veritatem illius quod assero, ratiocinare hoc modo mecum & reflecte. Non multi sunt dies, quòd ingressus es exercitia, quæ antequam inciperes, habuisti terrorem aliquem, & intra te forsan immurmurâsti hæc verba: octo aut decem diebus sedebo in caveâ ab hominibus seclusus: quale hoc tædium, quæ nauseæ, quæ melancholiæ materia? interea dies hi finiti. Et idem eveniet reliquis diebus, quibus bonum facere perrexeris. Transibit dies prima, transibit secunda, & sic de cœteris: & postquam transiêrint, respice, & dic tibi ipsi: ô quàm citò transiêrunt! adde septimanam unam, duas aut tres & in bono persevera; & postquam terminatæ fuerint, respice retro, uti antea ad dies, si nunc septimanas, & certus sum dicturum te: ô quàm breve fuit spatium harum! idem observa in calculo mensium, & idem repetes, quòd pertransiêrint equis cursorū velociùs.

III. Hæc solùm difficultas superanda, ut non incipias, non incipias inquam deserere viam bonam à te agnitam. Cave ergo, ut ne exercitiis egressus illico ad vanitates deploratas redeas: sta firmus primo, secundo ac tertio die, *consolida clavos tuos*, Isa. 54. Renova dein de die in diem propositum idem continuandi: atque omni die eundem clavum impelle, propositum inquam perseverandi renova: eum in finem utere mediis quibusdam, cujusmodi sunt fuga constans occasionum illarum, quæ bene cœpta interturbare solent; & præ omnibus frequens ad Deum oratio, ad impetrandum pro constantia præsidium Divinum; illud minimùm ad sonum cujuslibet horæ postu- brevi hoc suspirio, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis; ad minimum, inquam, ne orationibus prolixioribus te gravare velle videar. Et siquidem care Lector, illud quod tanti est momenti, negotium perseverantiæ sive in bono, quod à Deo in te desiderari agnovisti, sive in fuga malorum, quæ modò ceu atrocissimos hostes tuos de-

plorâ

lorâſti ac deteſtatus es, ſolicitum habet, eccur non *oppor-tunè, importunè* omni inquam tempore hujuſmodi gra-am calidiſſimis intentiſſimiſque votis Deum rogabis? *ne taceat pupilla oculi tui.*

IV. Nota bene expreſſionem iſtam. *Non taceat pupilla oculi tui.* Quàm frequenter, quàm celeriter oculus circumgyratur! quod non vicibus intra unius Ave Maria ſpatium movetur! quoties non attollitur, quoties non deprimitur! Hic itaque loquendi modus te hortetur, ut circa animæ tuæ negotia, totidem vicibus, ad phraſin hanc pariformiter, Deo loquaris, ad Deum recurras, Deo te commendes quoties, quoties oculorum tuorum pupilla commovetur, id eſt frequentiſſimè. Oculus itaque tuus loquatur, licèt lingua tacuerit: oculus ſiquidem ſenſûs eſt ab ente ſpirituali non longè abludens: tam altùm reſpicit, quouſque objectum attollitur, & tam profundum intuetur, quantum idem deprimitur. Attolle itaque ad cœlum oculos, & hoc pacto intende Deo ſupplicare, ut gratiam tibi largiatur nihil admittendi, quo Divina in te gratia, meritúmque cœli nihil hoc temporis inſtante vel ad hilum imminuatur. Deflecte in terram oculos, atque hoc pacto intende eundem Deum exorare gratiam non labendi in peccatum, unde infernum promerearis, aut in defectum, qui te purgatorio reddat obnoxium: *ne taceat pupilla oculi tui.*

V. Valde ſalutarem eundem in finem induſtriam ſuggerit Chryſoſtomus, ab architectura ut apparet militari eam mutuatus. Docet illa civitatem communire vallis, aggeribus, cortinis, aliorumque munimentorum exteriorum generibus: & quo fine? niſi ut in tuto collocentur muri portæque civitatis, quæ ſunt propria illius propugnacula; per quæ quiſquis non ſubit, civitatem nunquam intrat. Ne verò hoſtis eadem penetrare poſſit, tot illi obſtacula opponuntur, aggeres ſcilicet, dimidiæ lunæ, forcipulæ, aliaque propugnacula. Quare ſanctus inquit Chryſoſtomus, ut ab eo, quod verè

malum eſt , à peccato inquam mortali repetendo quàm longiſſimè abſis , à certis rebus abſtine quæ licèt malæ in ſe non fuerint, nihilominus facilè in illud valent inducere quod verè malum eſt, nempe in peccatum: *hæc maximè ſecuritatis erit occaſio, non tantùm peccata fugere* : hæc peccati fuga murus eſt, qui in animæ tuæ civitate intactus maneat neceſſe eſt,quem alioquin ſi hoſtis ſubeat , ipſius ſubjicitur dominatui. Et quæ antemuralia, quæ exteriores munitiones ? conſiſtunt hæ in eo, quod vir Sanctus ſubjungit : *Verùm etiam,quæ videntur indifferentia quidem eſſe, ſeu media, ad peccata verò nos ſupplantant. Vis pudicus eſſe? fuge etiam petulantem aſpectum;vis à verbis turpibus abeſſe? fuge delicias.*Homil. 11.ad populum.Quibus ſummatim hortatur, ut ad peccatum declinandum à certis rebus abſtineas , quæ quanquam non ſint peccato obnoxiæ,ad peccatum tamen facilè poſſunt ſeducere.

VI. Pro adjumento porrò ſuggero illud pro quo Eccleſia ſponſo ſuo cæleſti ſupplicat. Ipſa multum ſolicita ut filii ſui in bonis bene cœptis confirmentur , eum in finem in una collectarum ſuarum (collectæ autem vocantur orationes à ſacerdotibus ad aram recitari ſolitæ , nomen hoc derivando à collecto ad ſacrificio aſſiſtendum populo) in hunc modum orat: *Deus qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis,id amare quod præcipis,id deſiderare,quod promittis,ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda,ubi vera ſunt gaudia.* Et quid ea ſpectat, niſi ut cor noſtrum in bonorum cæleſtium contemplatione ac deſiderio defigatur ? Hinc exploratum habens,quàm facilè animus mutetur , maximè quod bonorum ſenſibilium amore ineſcetur, faſcinetur, abſtrahatur *abſtractus & illectus à concupiſcentia ſua,*uti ait S. Jacobus,hinc filios ſuos hortatur,ut in bonis,gaudiis,divitiiſque cæleſtibus fixo perſiſtant animo : atque idem te monitum velim , ut recorderis ſæpius gaudiorum illorum omni ex parte majorum, quæ à Deo tibi obventura ſunt, ſi vile gaudium fugeris,quod è peccato tibi enaſcitur. Et aliam

iam Ecclesiæ precationem suggero,quâ ipsa adDeum recurrit,ut delibus suis augmentum (id est voluntatem in Divino cultu per ctus tum internos tum externos proficiendi)benignus concedat: ietate siquidem proposita bona nutriuntur: *Deus virtutum,cuis est totum,quod est optimum,insere pectoribus nostris amorem tui ominis,&* PRÆSTA *in nobis* RELIGIONIS *augmentum* [per ampliorem devotionem, quàm quâ itum est ad exercitia, plures venerabilis Sacramenti salutationes,plures orationes jaculatorias plures sacræ missæ frequentationes,& per alia hujuscemodi opera ia) *ut quæ sunt bona nutrias* (per actus autem Religionis bene cœpta nutriuntur)*&* PIETATIS *studio quæ sunt nutrita custodias.*

VII. Verùm ut ad propositum revertamur:objectionem priùs dissolvam.Objicies itaque. Ergo semper oportebit esse devotum: semper Spiritualem? semper in Deo recollectum? Ita est,charissime Lector:nam quæro ex te,cur illius tædeat?cur illud oneris loco eputes?an mercatori est oneri,quotidie lucrari,& divitiis crescere?minimè profectò. Et quod ergo tibi onus importo,dum te adhorto ut ad meritorum tuorum incrementum indies aspires? ut gloriæ cælestis augmentum indies promovere studeas,ut fructum ex Exercitiis haustum quæras conservare,ut à peccato semper abstinere satagas,ut Divinam in te gratiam augeres ad labores, ut secundùm creationis tuæ finem semper opereris,ut ponderosissimum illud animæ tuæ salutis negotium in tuto collocare omnimodè excitaris? ut talem vitæ orationem ineas,cujus non sit aliquando,cur te pœniteat,sed habeas quòd ea gaudeas? verbo, ut bono stabilias proposita,ad quæ capessenda,exercitia intrâsti,& in quibus ut te Deus confirmaret,toties in exercitiis ipsum deprecatus fuisti? aut verò voles deliberato animo fieri transfuga,recidivus,inconstans, tuique ipsius proditor.

VIII. Nihilominus alterum do responsum; & in memoriam illud revoco, quod considerâsti in meditatione de morte. Considerâsti in ea vitæ humanæ brevitatem,quæ hodie in cumulo, cras in tumulo:nunquid ita? nonne veritatem bene ponderatam, verissimam esse profitearis necesse est.Ista itaque firmus;dumque ad inconstantiæ præcipitium consistis, dum mora in bono perseverantiæ nimis tibi longa videtur,considera semper, te constitutum esse in mortis articulo; ut qui nec ad momentum illius evadendæ habes securitatem. Illud itaque, quo frueris,ceu unicum certum vitæ momentum reputa,de quo possis disponere; futurum in tua non est potestate. Istud utiliter applica; fortè enim vitæ tuæ erit ultimum:hoc ergo momento & à peccato abstine,& ab eo,quod illuc ducit,quodq; peccati est occasio,atque ideo abstine,quia fortè ultimum erit vitæ tuæ momentum. Quæ cum ita sint,nonne vides,spatii illud perseverantiæ in bono,cujus tanta afficieris nausea

cujus tantopere metuis faſtidia, cujus longinquitatem imaginariam tam graviter perhorreſcis, ceu breviſſimum meritò à te computandum eſſe? O quantò potiùs triſtari deberes de exiguitat temporis, quod tam multis annis jam malè tranſactis, nunquan rediturıs, adhuc tibi tranſigendum ſupereſt, quàm de longinquita te illius, quod adhuc tibi vivendum tribuis; dum interim non nô ſti, an minus ſit futurum illo, quod animo concepiſti quo ipſ brevius etiam veroſimiliter eſt futurum: *Ne te prætereat particul boni diei.* Tempus ſalem piis operibus deſtinatum Spiritus ſanctus fecit venire ſub *particula boni diei*: quantumcunque enin fuerit, breve ſemper eſt & anguſtum illud, intra quod & non aliud cæleſtis theſaurus comparari poteſt; utque foret ampliſſimum exoptari deberet, minimè autem de ejuſdem diuturnitate, heu nimis falsò conceptâ, foret conquerendum.

IX. Atque in hanc rem adduco reflexionem, quam ſubinde faci ſuper piis quibuſdam animabus, quæ conſummatæ in brevi, ad excelſum ſanctitatis gradum pertigerunt. Tales fuerunt Aloyſiu Gonzaga, Stanislaus Koſtka, ſanctus Wenceslaus, ſanctus Vitus plurimique alii: ad quos dum attendo, ita animo ratiocinari placet quid ſi juvenes iſti ad ſanctitatem pervenire ſtatuiſſent, verùm nor feſtinanter, ſed lentè & poſt multos annos, O quantopere ſe ipſo decepiſſent, ſi ſeram ætatem exſpectâſſent! *præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer.* Ita quivis horum ſub mortem d ſe dicere poterat; & tale quid omnes iſti dubio procul præaugurat fuerunt, quare ſapienter egerunt, non moras nectendo, ſed faciend citò; tempus quod poſſidebant, ſecurè applicando, & de futuro heu nimis incerto nihil præſidendo! *Sera nimis vita eſt craſtina, viv hodie.* Ita antiquus vates cecinit. Profectò ad ſanctitatem nunquam eluctati fuiſſent, ſi venturos annos ſpectâſſent. Quapropter, ut modò revertar ad pulcherrimam Chriſti ſententiam: *ea quæ ſcripta ſunt de me, finem habent*, rurſum memoriam tibi refrico finis omnium rerum earum, quæ tibi adeò difficiles apparent. Ille te excitet, ille te conſoletur, prout & ille ſanctos martyres in atrociſſimis ſuppliciis ſuis conſolatus fuit, quæ proinde & apoſtolus nominavi *momentaneum & leve, tribulationis noſtræ pondus.* Et quanto majori jure & tu hoc nomine compelles omnes difficultates tuas, qua interim ceu tranſcendendos tibi montes, ceu ſuperandas alpes, ceu enaviganda maria tibi repræſentas? quòd ſi mors tibi ſupervenire poſtquam extinctis bonis propoſitis, ad antiquam vitæ licentiam jam jam rediiſſes, O quanto tum illud tibi dolori, quantæ amaritudini quantæ formidini futurum! quàm acerbum, *erravi!* eſſes ingemiſcaturus, ac lamentaturus de tui ipſius deceptione in multorum annorum præſumptione. Multos interim annos tibi permittam; verùm percontor abs te, an poſtquam illos in omnium virtutum

exer-

exercitio, in plurium laborum patientia, & in longa pœnitentia exegeris, de iis te in morte affligendum existimes? responde, dolori an gaudio tum ea futura tibi autumes. Gaudebis de iis utique: Non autem idem respondere poteris dum annos, quos te victurum ominatis, peccatis, modò à te deploratis, contaminaveris. Novi erunt hi doloris materies, eoque majoris, quòd spatium pœnitendi ac resipiscendi non sit concedendum: adveniet enim tempus, quo verum erit dicere, *Tempus non erit ampliùs.*

X. Cum Christo bini fuerunt latrones unà crucifixi, bonus alter, alter malus. Utriq; gratia ad utiliter pœnitendum sufficiens oblata fuit, verùm non perinde ab utroque acceptata: siquidem alter sua tantummodo à cruce liberationi intentus ait ad Christum: *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum & nos.* Opportunitatem verò pro delictis suis Deo satisfaciendi minimè amplexus fuit: sed eam fastidivit. Econtra bonus latro existens *in eadē damnatione*, ait, *nos quidem justè nam digna factis recipimus*, & maluit patientiam, præeligens perseverare in cruce, quam diu Deo placeret, salutisque compos est factus, quam & ex ipsius redemptoris ore annuntiatam accepit, dum audivit; *hodie mecum eris in paradiso.* Nota, mi Lector; brevis fuit unius perinde atque alterius latronis in cruce duratio: verùm diverso eam animo tulit latro, qui liberari petebat. Latro autem justus eam ceu Dei gratiam suscepit, ut quam ad peccatorū obtinendam remissionem sibi conducturam credidit; confessus palam fuit, quod quia vixisset in latrociniis, dignum etiam foret, ut debitam latroni pœnam, mortemq; subiret; *nos quidem justè nam digna factis recipimus.* O utinam eandem iniisset rationem malignus alter latro! quantò illi salubrius istud futurum fuerit! istud crucis supplicium brevi erat terminandum; & de cruce ad cælum transferendus fuerat. Iniquo hanc animo tulit, & gloriæ æternæ, tam brevi supplicio parabilis, jacturam fecit. Nunc ad te convertor, qui te adeò excrucias consideratione diuturnitatis, quam vita ista pia, ad quam te modò hortatus sum, involvit (vita, quam tu dicis amplius durare quàm istam pii latronis in cruce, Sanctorumque Martyrum in tormentis, quos unus sæpe ictus carnificis sustulit) rogo te ergo ut ponderes sequentia. *Primò*, nunquid te gravem esse peccatorem agnovisti. *Secundò.* Nunqid & hinc promeritus es infernum, cujus tormentum erit sempiternum? quomodo ergo modo de vita sancta continuanda hæsitare audes, eò quòd sit, uti modò permittam, tetrica, molesta, fastidiosa, affligens? an ulla potest comparatio institui inter vitæ probæ molestias, in austerissima etiam pœnitentia, ad quam tamen nemo te obligat, translactæ, & inter infernalium suppliciorum æternitatem, quæ tu interim fuisti promeritus? quod si tempus hoc vitæq; annos, quos tibi audes promittere, amplecti nolles ceu occasionem gloriæ tuæ in cœlis augendæ, acceptare deberes certè lætissimo animo, tanquam concessos,

ad pœ-

ad pœnitentiam de præteritis culpis obeundam, pœnitentia au-
tem actiones afflictivas importat. Ideoque non modo non debe-
res optare, ut à cruce solutus te voluptatibus posses dedere, verùm
eandem longiorem potiùs deberes expetere, siquidem verum bo-
num prout S. Augustin. ait, & meritò, siquidem in vitam mor-
temque æternam fidem habemus, consistit in hoc; *bona facere &*
mala (afflictiones, cruciatus & omnes, qualescunque fuerint, hu-
jus mundi calamitates) *pati, & sic perseverare usque in finem.*

XI. Quòd si porrò ad boni latronis sortē reflectere volueris, nonne
à Domino illo, in cujus ipse societate passus fuit, manifestam acce-
pit consolationem? hujus te recordari peto, ut & tu confidas, quòd
bonus Jesus, ad cujus in bono perseverantiam imitandam te dispo-
nis (quanquam non illa suis immunis à difficultatibus sit futura)
certis te præsidiis sit corroboraturus, unde dulces evadant mortifi-
cationes, & amaræ recreationes; O *quàm suave mihi subitò factum*
est, carere suavitatibus nugarum: ita de se profitetur S. Augustinus,
qui quondam voluptatibus sensualibus addictissimus, iis renun-
tiare differebat, eò quod absque illis vivere posse diffidebat. Idem
& tu experieris, verùm aliquid Deo temporis tribuendum est, ut
experimentum ipse capias, quod bene ac sincerè sentias. Videat sa-
tem deinceps altero tanto magis te obstinatum in bonum, quam
obstinatum quondam in malum, aut minimùm, tam virtuti dedi-
tum, quàm olim vitiis. Tantum à te temporis transigi cum fervo-
re, quantum olim dilapidatum cum tepiditate: *usque in tempus su-*
stinebit patiens: & quid sequitur? *postea redditio jucunditatis.*

XII. Sapientem imitare agricolam: spargit ille sementem in agro,
verùm non illa repentè in granum adolescit. Necesse est eam priù
radices agere, dein brumale frigus sufferre, postea inundari aquis
ac sole dein ex oqui. Evolutâ temporis hujus periodo messem è se-
mente colligat. Et tu in corde tuo semen æternarum veritatum
sparsisti, patienter habe, donec hæ radices agant, exspecta cælesti
benedictionis pluviam. *Omnia à te exspectant*, res quælibet suum à
Deo complementū exspectet necesse est; quo non exspectato, nun-
quam ad perfectionem res maturescit: sine hoc nec vitis palmitem,
nec palmes gemmam, nec gemma uvam producet; nec animal ul-
lum aut herba illa sine ullo suam pertinget ad perfectionem. Ex-
spectandum est in rerum naturalium progressu; & idem, saltē juxta
cursum communem loquendo; cum proportione, de rebus ad gra-
tiam spectantibus dicendum venit. In eos, qui impatientiá fracti
relicto virtutis cursu, vitiorum rursum semitam amplectuntur, ter-
ribilis hæc à Spiritu sancto fulminatur sententia: *Væ iis qui perdi-*
derunt sustinentiam, & dereliquerunt vias rectas, & diverterunt
in vias pravas Eccl. 2. Horum non eris è numero, si beneficii loco
habueris tempus, quod tibi Dominus ad pœnitentiam agendam
benignè impertitur, sique ex eo non tædium, sed gaudium ceperis

LE

LECTIO SPIRITUALIS
PRO TEMPORE POMERIDIANO NONI
Diei Exercitiorum Spiritualium.

COnatum semper adhibendum putavi, ut Jesum amemus non tantùm amore appretiativo sed & tenero amore. Quare maximi semper æstimavi S. Paulum, qui verè cordiali amore Jesum semper prosecutus fuit; in hunc finem nobilem actum suggero, in quo Pater æternus, & dilectissimus Jesus, Pater ac Filius, Verbum Incarnatum, consociantur: optem magnopere, ut illum hodie à te perficas, quandoquidem valde illum meritorium fore, tibi confirmo: & præterquam, quòd magnum ex eo profectum haurire debeat, quisquis illum devoto affectu exercet, magnam etiam natus est afferre voluptatem, honoremq; uni atque alteri Divinissimæ Personæ, quam summopere oblectat meritum ac profectus creaturarum suarum; estque iis gloriosissimus, siquidem inde in cælis major in eas gloria redundabit. Desumo autem eundē ex aureo libello Patris Stephani Binet Soc. Jesu, quem inscripsit titulo Praxis sancti amoris Dei; eumque nobilis ille calamus non nisi melle stillans, cap. 29. tam præclarè expressit, ut meliùs de eodem disserere diffidens, ad Verbum illum mihi describendum putem: materiamque hanc post considerata mysteria Passionis ac Resurrectionis Dominicæ hoc loco utilissimam fore judicavi simul & aptissimam; siquidem Christus moriens sese in causis nostris apud Patrem cælestem esse advocatum, protestatus fuit. Itaque P. Binet sequentia suggerit.

II. Deus Moysi aliquando loquens dixit: *Aaron frater tuus erit os tuum.* Exod. 4. Novi, quod non valeas eloquio, neque aptè Regi Pharaoni, aut populo sis locuturus. Frater tuus Aaron præ te pollet eloquentiâ, meliorque est orator quàm tu sis: do tibi ergo ipsum interpretem: erit ipse os tuum, lingua tua, verbum tuum; id est, quidquid tibi libuerit, ipse eloquetur; & quidquid ipse dixerit, intellige-

telligetur, tanquam à te ipso dictum foret. Lingua ipsiu audietur, verùm cor tuum inspicietur: Verba ipsius audientur, verùm ratio habenda tuarum cogitationum ac desideriorum: verbo; ita omnia transigentur, tanquam si ipse Orator fores. Ecce nobile punctum.

III. Nunc verò S. Joannes nos certos reddit, quod Christus in cœlo constitutus, sit noster Advocatus: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum, & ipse assistit vultui Dei pro nobis.* 1. Joan. c. 2. Advocatum habemus, qui proximus semper Patri æterno assistit, causasque nostras coram Divinæ Majestatis tribunali defendit. Ipse pro nobis loquitur, estque os nostrum, dignum, potensque causas nostras assumere, & prout è re nostra fuerit, moderari. Itaq; hoc posito, pactum ineamus cum æterno Patre, ut os Christi respicere dignetur, tanquam si nostrum foret: & quod ipse dixerit, respiciatur, tanquam si à nobis dictum fuerit: Dein cum Christo communicemus, quæ desideramus, ut in nostrum bonum favoremque eadem Patri æterno repræsentet, nostro nomine Hæc similiave ad illum verba proloquamur. Domine Jesu, siquidem causarum nostrarum apud Patrem æternum advocatum dignaris agere, dic Patri æterno, quod nos loqui ignoremus, dic illi, quod sis os nostrum, mens nostra, consilium nostrum, dic illi, quod altero tantò amplius amare ipsum desiderem, quàm ulla unquam Creatura, in hoc alterove mundo ipsum amaverit, cum tantâ ipsi perfectione servire, cum quantâ Seraphim ipsi in cœlis, & Apostoli in terris serviêrunt. Altero tanto amplius, quàm tota habitûs mei latitudo, Virtus mea, omniumque potentiarum mearum facultas ferat. Desidero ipsi in omnibus & per omnia, modoque nobilissimo, qui in creaturam quidem cadat, placere. Dic illi, quod miseriam meam impotentiamque ipsum amandi juxta meritum infinitæ Bonitatis suæ deplorem, agnoscens, pulchritudini tali infinitæ amorem servitiumque correspondens infinitum deberi. Verum cum mea se infirmitas eò non extendat, dic illi quòd ipsi offeram, quidquid visceribus tàm inopis creaturæ, &

æ, & eâ quam ille dedit, capacitate continetur. Dic illi
tiam, si placet, quòd si fortiorem adhuc amorem mihi
ontulerit, majorem quoque amorem ipsi præstiturus, atque omni modo nobilius ipsi obsequium exhibere conatuus sim. Pete, ut potestatem mihi faciat in omnium hominum corda, & si congruum tibi visum fuerit, in omnium Angelorum perfectionem, & si libuerit, suffurari liceat cor B. Virginis; utque id facilius permittat, permitte tu ipse Domine Jesu, ut in cor tuum involem, aut illud saltem mutari liceat. Non illo malè abutar, verùm bene collocabo: atque ex omnibus hisce cordibus mirabile excitabimus incendium, ardorem quasi infinitum: amor sanctus flammam excitabit, ex his omnibus holocaustum Patri æterno cremabitur. Præter hæc tu ô JEsu, qui os nostrum es, & noster Advocatus, addes, quæ tibi dicenda videbuntur: ego enim humi prostratus nec verbum dicam, verùm ratum tantùm habebo, quidquid tu Domine Jesu dicturus es, idque cum incredibili cordis mei satisfactione, ô optime mi Advocate! Quòd si autem verbum aliquod mihi imperatum fuerit, non dicam aliud, quàm binos hos sensus: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui*. Psal. 83. Aspice in vultum Filii tui tàm morigeri: Non habeo ego, quod addam iis, quæ ille nomine meo dicturus est. Ipse est Advocatus noster, os nostrum, cor nostrum, amor noster, nostra omnia. Verùm quid facio? Jesu Christo Advocato meo præscribo, quid loqui debeat pro me? amor Divinus me abripuit: Domine JEsu, adjuro te per sacratissimum cor tuum, ut quod volueris, & quod utile judicaveris, petas. Nemo te meliùs novit loqui. Tantummodo rogo, idque cum profundissimâ cordis mei demissione, ut quidquid ab anima aliqua amorosissima, ut ita dicam, ardentissima, ac ingeniosissimè amante dici potest, omne illud dicas; ego enim tam existo miserabilis, ut desideria mea pro eo, ac par est, exprimere, Patrisque æterni meritis correspondere non valeam. Tu omni die eundem sermonem coram Patre æterno re-

pete, toties quoties opportunum judicaveris: & quoniam tot nos ille continuò beneficiis cumulat, justum est, ut continuum illi amorem servitiumque debitum exhibeamus. *Hæc omnia desumpta sunt ex memorati Patris libello, spirantq; omnia æterni Patris amorem, æstimationem Filii Divini cum fiducia magna conjunctâ, tu illis fruere.*

IV. Omnis adhæc oratio tua, & ad Deum recursus in necessitatibus tuis sive corporalibus sive spiritualibus ad Deum instituatur cum clausula S. Matris Ecclesiæ, quæ orationes suas finit his verbis: Per Dominum nostrum Jesum Christum. Petis à tentatione aliqua liberari, pete *per Dominum nostrum Jesum Christum.* Negotii alicujus, si illud etiam temporale fuerit, felicem petis successum, pete *per Dominum nostrum Jesum Christum.* Petis sanitatem, pete *per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et hoc modo interpone ubique merita Divinæ ac nobilissimæ huius Personæ HOMINIS DEI. Atque iteratò dic, ut supra, ad æternum Patrem: *Respice in faciem Christi tui*: & confide precationes tuas exaudiendas esse, nisi aliunde damnosum tibi fuerit exaudiri.

V. *Habet memoratus suprà Author adhuc aliam ingeniosam devotionis praxin, & hic Lectori communicandam. Suadet post sumptam sacram Synaxin sequentem exeitare affectum desiderii*: Eccur non toties, quoties in sacra Synaxi suscipio pretiosissimum corpus & sanguinem amabilissimi mei Domini Jesu Christi, eccur non, inquam, ad exemplum ipsius altero tanto plures gradus gratiæ & amoris Divini adfero sistendos Patri æterno? cur non ad minimum amorem meum illius amori unio, & ex his binis flammis unum ignem Deo sacrificandum conficio? & quid impedit post Communionem hunc ad Deum affectum elicere: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus?* Et quis modò est intra me? corpus, anima, ac Divinitas Christi, panis speciebus velata: in meo itaque corde positum, & in Patris gremio existentem Jesum meum gratias Deo agentem spectabo, quo-

q[...]

que meis concludetur visceribus, itaque Jesus & ego ineffabili conjunctione uniti Deum reddemus Deo, infinitum offeremus infinito, Patri æterno Filium æqualem æternum: & Seraphim, dum seipsos non nisi creatum aliquid Deo offerentes in gratiarum actionem attendent, stupore ad hanc oblationem defixi hærebunt: homo Deo, plenus (*postquam communicavit*) cor ita pro corde, totum pro toto, Jesum pro Jesu, Deum pro Deo, ipsique Deo offerendi habet occasionem, potestque hoc pacto efficere, ut donum & donator, redditaque Deo à Deo gratiarum actio æqualis sint pretii, perficitúrque illud medio corde, quod (*virtute sacra Synaxeos*) Deo plenum est. *Hucusque P. Stephanus Binetti. Hæc praxis servire potest ad fructuosissimam, & affectu plenam gratiarum actionem non solùm pro Sacerdotibus, sed etiam pro Laïcis.*

VI. Pergamus ulteriùs; inter cæteros titulos Christo ab Isaia cap. 9, attributos fuit iste CONSILIARII: *vocabitur nomen ejus* CONSILIARIUS. Quàm nobile foret hoc Exercitium, mi Lector, si Christum adhiberes in consilium? facillimè potest, & solet à quovis honestè educato, Christus crucifixus, aut in alio mysterio repræsentatus in honesta aliqua domûs parte exponi. Itaque te exhortor, ut negotium moliturus momenti alicujus etiam temporalis, illud cum Christo conferas, ut quid tibi agendum sit, ipse consulat: & dum jamjam absolvendum est, paulò antè illud ipsi repræsenta. Et filiali quidem cum fiducia cum ipso age, & velut amicus solet agere cum amico; & verò tam sincerum amicum, qualis est Jesus, nullum habere potes, dixit ipse: *non vocavi vos servos sed amicos.* Deliberas de eligendo vitæ statu? Jesum consule; habet ille exploratissimum, quid tibi obesse aut prodesse possit; ideoque ipse optimè intelligens, quid tibi sive in præsenti, sive pro futura vita expediat, optimum tibi consilium suggeret. Domesticum tibi negotium transigendum, vis filiam dare nuptui, aut filium in matrimonio collocare, dandæ sunt rationes, aspiras ad dignitatem, Principis meditaris acces-

ſum,aliamve rem vis expedire,cum Jeſu conſilium ini: ſ
que nullibi, ex quacunque demum ratione,Chriſti imag
nem domi expoſitam habueris, confer te ad Eccleſiam,
qua venerabile Sacramentum aſſervatur,illic cum Chriſ
tranſige. Aut etiam dum in cubiculo verſaris, oculos ar
mumque converte ad Parochiam,& diu noctuque illic J
ſum ſub ſacris ſemper ſpeciebus adorabilem conſule, qu
tieſcunque libuerit. Verbo;utere ac fruere diligenter in
menſo hoc beneficio,quod Deus contulit, donando nob
Jeſum Incarnatum, fruere hoc magno homine Deo, q
poſt ſuum etiam in cælos aſcenſum in anima ſimul ac co
pore noſtro virtute hujus admirabilis Sacramenti perma
nere voluit. O mi Lector, nonne merito cor tuum em
veant gratioſa illa Iſaiæ verba cap. 12. *Ecce Deus Salvat
meus,fiducialiter agam,& non timebo:quia fortitudo mea
& laus mea Dominus,& factus eſt mihi in ſalutem*?Et qu
non confidentiam animo nata ſunt inſpirare verba ſe
quentia:*Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatori*
Unde meritò Chriſtianus exultet gaudio,veritate hâc tan
quam certâ poſitâ, quod amantiſſimus Deus intra cordi
ſui penetralia verſetur: *Exulta, & lauda habitatio Sion
quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.* Rogo etiam te,m
Lector, ut totam legas S.Pauli Epiſtolam ad Hebræos; ſ
quidem illa pulcherrima, veriſſimaque, ex ſuo quaſi in
ſtituto,eſt Panegyris Domini Jeſu.

VII. Speciali auſim dicere,in S.Thereſiam affectu feror,eò quò
ſpecialiter illa erga amabiliſſimam D.N.J.C. humanitatem affe
cta fuerit. Uti & in magnum illum Patriarcham S. Ignatium, qu
affectu eam fuit proſecutus tenerrimo: Et in Fundatorem ſacr
Ordinis Prædicatorum S. Dominicum, qui dum Roſarii devotio
nem propagavit,& præcipua Chriſti myſteria in ſeo conſideranda
propoſuit,plurimùm in animis Chriſtianorum, memoriam Jeſ
promovit; & in S. Paulum, qui in omnibus propè Epiſtolis ſui
extra ſe rapitur, quotieſcunque de ſuo noſtroque Jeſu ſcribit. E
in affectuoſiſſimam illam, ſi ita licet loqui, S. Mariam Magdale
nam, quæ tam peculiarem affectum commonſtravit erga Jeſum
viventem, agonizantem, mortuum ac reſurgentem. Quos pauco
dum commemoro, alios nolim excluſos;quin potiùs judico,quò

Sanct

nĉti omnes, quantò in cœlis ſunt majores, tantò etiam Jeſum
pliùs amaverint, & de ignito Petri corde, amantiſſimi Magiſtri
tam amante, tantò etiam plus participâſſe illos credo. Ideoque
tem, ut ab Exercitiis prodiens, cor efferas ſpeciali etiam erga
ominum hunc amore ſuccenſum, cujus ore traditas veritates ac
yſteria hoc tempore fuiſti meditatus; eundem amorem omni-
s optem inſpires, cum quibuſcunque converſaberis.

VIII. Pater Joannes Baptiſta Saint Jure in libro, cui titulus: *Ars
noſcendi & amandi Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Parte
intâ versus finem, adducit quoſdam, qui ſpecialem fecerunt
ofeſſionem, ſuum in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum amo-
m teſtandi; quam citationem facio, ut habeas, unde poſſis deſu-
ere ideam amandi Jeſum. Primo loco adducit BB. Virginem;
inde S. Joſephum, S. Petrum, S. Paulum, S. Ignatium Martyrem,
Auguſtinum, cujus utpote talis Doctoris verba, digna ſunt no-
tu: *Non dubiâ ſed certâ conſcientiâ amo te.* L. 10. Confeſſ. cap. 6.
24. S. Joſaphatum, S. Alexium, S. Romualdum, S. Dominicum,
Franciſcum Aſſiſiatem, S. Ignatium Loyolam, S. Franciscum
averium, S. Philippum Nerium, Fratrem Jacobum Todi Reli-
oſum è familia S. Franciſci, Raimundum Lullum, Henricum
ſonem, S. Mariam Magdalenam pœnitentem, S. Agatham, S.
gnetem, S. Catharinam Senenſem, S. Gertrudem, S. Thereſiam,
Mariam Magdalenam de Pazzis. Quorum plerorumque vitas
faſtis Sanctorum deſcriptas invenies, & quo fine? *Ut ex recor-
tione Sanctorum, omnium tanquam lapidum ignitorum in Dei
um recaleſcas incendium,* quem finem teſte S. Bonaventura in
ctione vitæ Sanctorum ſpectabat S. Franciſcus.

IX. Quia ſignum veri amantis eſt, operari amore amati, dicen-
S. Gregorio. *Probatio amoris, eſt exhibitio operis:* tu quoque,
i Lector, ſi quidem Jeſum amandi profeſſionem volueris fa-
re, debes agere ac pati amore Jeſu Obſervaveris dubio procul,
uòd in his, quæ tibi meditanda hoc in decurſu Exercitiorum
nt propoſita, Jeſus tibi exhibitus fuerit, & tanquam Rex pacifi-
s, & tanquam Dux bellicoſus, Meditationes, ab ea, quæ eſt de
gno Chriſti, uſque ad illam, quæ de duobus vexillis eſt, ſi-
unt Jeſum ceu Principem pacificum: *Vocabitur nomen ejus Prin-
ps pacis.* Iſaiæ c. 9. Quæ verò ſequuntur ab ea incipiendo, quæ
t de duobus vexillis, uſque ad ultimam de Paſſione Chriſti, ip-
m ſpectant ceu belli Ducem: *Ex te exiet Dux.* Matth. 2. aut
erò: *Ego Dominus Exercituum* Et quid hinc aliud inferendum,
iſi quod verus Chriſti amator ſub utrovis hoc titulo, amorem,
uo ipſum proſequitur, manifeſtare debeat. Quædam opera
ctioneſque conveniunt tempori pacis, quædam tempori belli.

Ad

Ad primam speciem reducuntur virtutes solitæ, quæ indies exercendæ (quas superiùs, uti memineris, virtutes appellavi omnibus Christianis communes) tales sunt patientia, modestia, abnegatio sui ipsius, conformitas cum voluntate Divina, aliæque virtutes similes. Ad secundam speciem referuntur certæ aliæ virtutes speciales, exercendæ in tribulatione, contradictione, persecutione oppressione. In utroque genere comprobandus est amor Christi agendo & patiendo. *Agere & pati fortia Christianorum est*, non verò tantummodo *Romanorum*, uti communis olim ferebat parœmia.

X. Conceptum hunc exprimo præclarâ Ducis alicujus mundani Historiâ. Fuit is insignis aliquis Sabaudiæ Comes, dictus Petrus hic homagium Imperatori Ottoni depositurus, comparuit à capite ad calcem ex una parte vestitus aureo amictu; à sinistra verò armatus & cataphractus; cùm verò ab Imperatore, ad spectaculum hoc suspenso, rogaretur; quid sibi istud vestimenti genus portenderet; respondit Comes, quòd apparatus, quo ex dextero latere instrueretur, esset compositus ad Majestatem suam tempore pacis honorandam; alter autem sinistri lateris, intenderet servitium ipsi præstandum tempore belli, ad ultimum usque vitæ spiritum, ad ultimam usque sanguinis guttam. Camer. L. 1. hist. cap. 6. apud Saint Jure. Tantundem decet te præstare amore Jesu tui: orna te auro, arma te ferro. Servi Christo per virtutes ordinarias in pace; in bello autem per virtutes extraordinarias. Ad omnia eris paratus, si maximum illud amoris meritum in humanitate Christi bene ponderaveris, ut quæ digna est, amore cujus tum propter ipsâ, tum propter gratitudinis debitum omnia sufferantur. Serviunt & huc Emblematis loco Assyrii, qui generosæ illius Judithæ elegantem à natura formam in campo Holofernis Bethuliam obsidentis contemplati, pulchramque speciem additam etiam à Deo decore auctam contuiti, unanimi omnes voce conclamârunt, operæ esse pretium, ut civitas illa expugnaretur, quæ vultibus tam formosis, qualis in Juditha reluceret, esset præsignis. *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habet, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Judith 10. Multò majore jure tu dixeris; quis non amet pugnare pro sanctissima Christi humanitate, hypostaticè Verbo Dei unita? *Q. speciosus est formâ præ filiis hominum.* Psal. 44. Quare cum Paulo dicito; Mihi vivere Christus, & mori lucrum. Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Idem aliis licèt verbis, alia phrasi aut sensu, uno tamen corde omnes Sancti dixerunt, quotquot amore Jesu egerunt ac passi sunt.

LECTI

LECTIO SPIRITUALIS
PRO TEMPORE MATUTINO
Decimæ Diei Exercitiorum Spiritualium.

PEccatoribus sæpe Deus in hoc mundo anticipatò infernum alligat, ad quem postea æternùm detrudendi; id quod facit, dum scelerum conscientiâ animam eorum lancinat, qualis juxta Ethnicos etiam Philosophos atrocissimæ est torturæ genus; tanta, ut S. Augustinus non dubitaverit asserere, in humanis miseriis non esse crudelius tormentum, quã quod ex illa nascitur. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla major est, quàm conscientia delictorum.* Propterea Dominus, vel ad anticipandum, ut insinuavi, pro peccatoribus infernum, vel ad eos ad pœnitentiam reducendos, dum tanti supplicii tormentum ipsi experiuntur, quod olim æternum durabit, hunc in finem hisce illos aculeis pungit. Itaque vermis ille, in inferno nunquam emoriturus, siquidem *vermis eorum non moritur*, in hac vita primum nascitur, & ad imitationem animæ, in qua pascitur, erit immortalis. Idem autem Dominus Justis in hac vita anticipat Paradisum in bonæ conscientiæ gaudio, quæ verè quædam est prægustatio æternæ felicitatis, in regno ipsos cælesti exspectantis: cum sequentis quidem oppositionis parallelo. Quod animæ pravâ conscientiâ illaqueatæ, quantascunque venentur voluptates, luxuriâ suâ pertranseundo prata omnia, lupanaria inquinando, crapulæ indulgendo, verbo: *ducendo in bonis dies suos*, vitam tamen semper degant inquietam, testes sibi existentes, quod Divinæ justitiæ tribunali maneant contumaces: quod quidem testimonium continuò eos flagellat, tantoque afficit martyrio, ut ad ipsum mitigandum, remedium captare volentes, dum aliud non suppetit, in gravius incurrant malum, ut nempe recalcitrent adversus agnitam veritatem, fidem abnegando, immortalitatem animæ humanæ disputando, existentiam inferni cælique dubiis agitando: imò ô horrendum præcipitium! per secretum Atheismum cordi suo semper inculcando: *non est Deus.* Animæ verò illæ, quæ bo-

næ conſcientiæ teſtimonio gaudent, in maximis etiam, ſeu ſaltem ut talibus æſtimatis calamitatibus, tripudiant, ita ut ſi in inferno etiam eas eſſes collocaturus, medium tamen ſeſe conſolandi eſſent inventuræ, per conformitatem nempe cum Divina voluntate, quæ ipſis eſt nectaris loco & ambroſiæ, quæ omnem amaritudinem tollit: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt*: ita inquiebat ille doloribus acutiſſimis infeſtatus ſed innocens Jobus, *ſit nomen Domini benedictum.* Quam dulcedinem, expertus eandem Bernardus ita depingit: *Nihil jucundius eſt, nihil eſt ſecurius bonâ conſcientiâ. Subjugetur corpus in pœna, jejuniis maceretur, verberibus laceretur, equuleo diſtendatur, gladio trucidetur, ſupplicio affligatur, ſecura erit bona conſciētia.*

II. Quare te, mi Lector, adhortor, ut quemadmodum omnis peccator, in vitia ſe effundendo (quæ repugnant & fini univerſali creationis ſuæ, & particularibus illis obligationibus, quas inducit ſtatûs illius, in quo ipſum Deus collocavit, ſive ſecularis, ſive Eccleſiaſtici, ſive ſtatûs Religioſi ratio) ut quemadmodum inquam peccator ſibi infernum domeſticum fabricatur, ita tu domeſticum tibi paradiſum per conſtantem bonæ conſcientiæ culturam elaborare ſatagas; Confirmoque tibi hallucinari graviſſimè illos, qui miſeras eſſe judicant animas illas, quæ hujuſcemodi vitam vivunt, conformiter nobili doctrinæ magni illius Epiſcopi Salviani: *Nemo aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo: & ideo non poſſunt cujuſquam falſo judicio eſſe miſeri, qui ſunt verè ſua conſcientia beati.* Lib. de providentia.

III. Quæ cùm ſint veriſſima, ſupereſt tantummodo, ut te edoceam rationem, quâ tanti boni compos fieri poſſis. Totum autem unico verbo, *obſerva*, concluditur, obſerva legem Dei. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Dum te conſcientia coram Divinæ juſtitiæ tribunali nullius culpæ reum egerit, ſemper ſecurus eris atque tranquillus, illâ fruiturus felicitate, in qua hominis in terris beatitudo eſt poſita, eſtque hæc: *Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.*

Cùm

Cùm verò præter propoſita omnibus in communi ab au-
hore naturæ præcepta generalia, ſint & leges aliæ parti-
ulares, ſive ab Eccleſia, ſive ab inſtituto religioſi ordinis,
ive ab aliis communitatibus editæ, debes & illas, ſiquidem
ibi paradiſum velis conſtruere, obſervare mi Lector: illæ
iquidem, dum legitimè latæ ſunt, magnam obſervantibus
pſas pacem, prævaricantibus autem inquietudinem affe-
unt. Quapropter ſi magnam hanc felicitatem, ad quam
ectandam te hodie adhortor, conſequi volueris, omnes
tiam minutiſſimas leges ab his, qui poteſtatem legitimam
habent, præſcriptas, obſervare ſtatue.

IV. Ad quem ſcopum conſideratio à S. Bernardo facta maximè mihi videtur conducere. Sermone 1. de Annunt. ſuper tribus teſtimoniis diſcurrens, ait; quòd quicunque ſpiritualiter ſe vult circumcidere, tria in ſe debeat habere teſtimonia, ſi ſuam Deo circumciſionem placere voluerit. *In hac circumciſione triplex nobis quærendum eſt teſtimonium, ab Angelo, & Maria & Joſeph*, quorũ trium meminit, quia omnes tres circumciſionis Dominicæ teſtes egerunt: Angelus quidem nomen Jeſu imponendum annunciando; Joſeph, cui nomen illud puero tribuendum fuit revelatum, & Mariæ, quæ puerum circumcidendum obtulit. Ad noſtram autem inſtructionem idem applicat, dum ad teſtimonium Angeli reducit teſtimonium internum à Deo & conſcientia nobis præhibitum: *Ab eo, qui intus eſt, oportet habere teſtimonium bonum*, qui paradiſum his in terris ſibi molitur, neceſſe eſt faventem ſibi habeat Deum & conſcientiam, ne ab utrovis reprehendatur. Cum illo Deiparæ confert teſtimonium à communitate, in qua quis verſatur, habendum; quæ reſpectu alumnorum ſuorum Mater nuncupari poteſt: *ipſius quoque congregationis neceſſaria eſt atteſtatio, quæ tanquam Mater eſt ſingulorum*: id eſt, ita tibi vivendum eſt, ut communitati, in qua degis, præbeas ſatisfactionem, communia illius ſufferendo onera, non te ſubtrahendo moleſtiis, quas ſecum

invehit: *Providemus enim bona non solùm coram Deo,se etiam coram hominibus,ut cum omnibus pacem habeamu.* Quamobrem cavendum, ne justam causam præbeamu nos incusandi coram tribunali isto critico,subtili,& ægrè,u fateor,tranquillo:interim si ad id,quod hodie sectandum ti bi inculco,velis pertingere, convenit omnem adhibere cu ram,ut huic,communitatis inquam dicasterio satisfacias,n prudentem habeat causam adversùm te insurgendi. Siqui dem,ubi nostrâ illud culpâ futurum esset, nondum in cælo verùm in purgatorio versabimur, mille inter inquietudine nascituras ex conscientiâ aliorum,quòd nostro desimus of ficio,quòd vitæ nos communi non accommodemus,quòd amemus esse singulares, oneribusque, sub quibus alii inge miscunt,humeros subducamus. Testimonium S. Joseph quadrat pro Superioribus, iisque, quibus imposita est cæterorum in communitate degentium cura: nec ipsius ministri contemnendum est testimonium: *Hic est Joseph, locum quidem obtinens Sponsi,re autem vera Servus,& dispensator; qui sanè Pater vocatur,magis autem nutritius est.* Et huic Dei vices gerenti homini debet se subjicere quisquis paradiso hac in vita frui desiderat: non huic contradicere, non repugnare, non ipso inscio certa quædam facere decet, non ipsius transgrediendæ ordinationes; quandoquidem, etsi non omnimodè illæ forent rationi conformes, prævaricando tamen non subterfugitur culpa; licèt & ipse ab illo saltem,cui omnes subsunt,aliquando corripiendus foret. Quantùm verò ad nos spectat,modò manifestum peccatum non intercurrat, perinde est sive bene sive malè præcipiatur, non enim nobis reddenda est ratio de prudentia mandantis, verùm solummodo de mandati executione. Quid, quòd Dei potest esse voluntas,ut ruditer dureque tractemur, ut ob defectum ex. gr. occultum castigemur, ex fine ipsi soli perspecto; ita Deo disponente, aut ad exercitium v.g. virtutis, aut ad occasionem meriti suggerendam,dum præter rationem & æquitatem aliquid agendum demandari, aut opus etiam ab imponente ipso imprudenter dirigi permittit.

V.Et

V. Et an inusitatum aliquid novumque fuerit, dura hu-
juscemodi circa infirmitatem nostram à Deo disponi? non-
ne abunde constat de mandato Abrahæ intimato de sacrifi-
cando filio suo, quod profectò, opinione nostrâ, præceptum
fuit de natura sua asperrimum? nonne & Christo crucifi-
xionē mortemq; præcepit? *Factus obediens usque ad mor-
tem, mortem autem crucis.* Nunquid & *Scribæ & Phari-
sæi sederunt super cathedram Moysi*, interea & Apostolis,
ut hisce obedientiam præstarent, injunctum fuit? *omnia
quæcunq; dixerint vobis facite: secundùm autem opera eo-
rum nolite facere.* Utitur & Deus locum tenentibus, vices
gerentibus non bonis: non tamen propterea bene egerit,
quisquis jugum ipsorum excusserit. Discursus hic fusiùs à
me dilatatus est, ut memoratum sæpius in terris paradisum
fabricandi rationem perdisceres. Devita offensæ Divinæ
conscientiam, ne sis tibi conscius transgressionis in iis, quæ
communitatis à te ordo postulat, quæque Superiorum vo-
luntas exigit, & Paradisum tibi eriges.

VI. Placet hic monere, non mea hæc dogmata suscipienda esse,
tanquam ad solos regulares, non verò ad seculares pariter dirigan-
tur. Jam ante professus sum, quod scribam omnibus: Regula-
ribus quidem doctrinam hanc appositam esse fateor; addo autem;
& suam secularibus esse communitatem, estque hæc eorum fami-
lia (parva fuerit, an ampla, non refert) diversa pro diversitate
status, in quo quivis collocatus. Amplam sustentabit familiam il-
lustris aliquis Ecclesiasticus, cujusmodi est Prælatus, constatque
totidem Personis, quot ipsius occupantur in ministerio. Talis &
est familia nobilis alicujus viri equestris Ordinis, cui famuli multi
ministrant. Sunt hæ communitates, quæ quanquam non parti-
cipent potestatem mandandi, aut leges condendi, eas tamen debet
considerare, quisquis in illis versatur. Idem dicendum de his, qui
in societate aliorum præsunt Magistratui. Est horum congrega-
tio communitas, cui ne justa conquerendi causa detur, valde ca-
vendum. *Ipsius quoque congregationis necessaria est attestatio.* Ha-
bent & seculares Superiores suos: liberorum quidem parentes,
mulieris verò caput vir est: Viri verò aut mariti superior est, ci-
vitatis aut castelli gubernator. Unde manifestum redditur, do-
ctrinam hucusque traditam accommodam esse omnibus.

VII. Verum undenam dic amabò, sancta hæc desideria tua, si-
quidem talia habes, maximè impetenda esse existimas? dicam

ego; à superbia; & ab ira. Prima, ut quæ libertatis amans est & independentiæ, toties quoties lex accipienda est, amat recalcitrare. Altera ad defendendam superbiam collaborat; hæc enim audito nomine legis, ordinationis, præcepti, (tanquam si vincula imminerent, aut bestiale jugum) ferocit, armatur, & in campum procedit illis instructa furiis, clamoribus tumultibus, quales ipsi sunt proprii. Ideoque Jesus fidelibus suis pacem animæ exoptans, sese ipsum in exemplum proposuit, inquiens: *Discite à me, qui mitis sum, & humilis corde & invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Humilitas expellet superbiam, mansuetudo iram, superbiâ exterminatâ; nullius legis, sive divinæ sive humanæ jugum nimis grave videbitur: etenim nihili nostri centrum considerantes, agnoscemus æquum esse, ut cum omni subjectione Deo, ejusque sanctis ordinationibus subditi vivamus: *Justum est, mortalem esse subditum Deo.* Dum quoque ad peccata nostra defectusque reflexerimus, omni nos gravamine dignos esse, existimabimus: *& hæc quidem justè, quia peccavimus.* Dum porrò superbia oppressa fuerit, ira (quæ passio est pugnans pro manutenendo bono, & appparente quidem, & vitiosa est) ira inquam, non se movebit. Dumque insurgere tentaverit, à mansuetudine reprimetur; atque ita, ita edomabitur, ut in exteriores etiam impetus non sit eruptura, verùm querelæ omnes, verba, gestusque hominem bene moratum dedecentes cessabunt. Quare *disce à Jesu, esse humilis corde*, esto sincerè humilis; pone tibi ob oculos defectus tuos ac imperfectiones qualescunque fuerint, ut ne ullum superioris mandatum pro gravi aut difficili reputes. Quod si feceris, nec accusatus te excusabis, nec in ipsa excusatione alios defectus admittes, nec de accusatore suspicaberis, nec in alias ineptias cades, quæ è diametro paradiso bonæ conscientiæ opponuntur.

VIII. Ne tamen hinc inferas, aut putes, quòd, si omnia modò dicta impleveris, patiendi tibi occasio sit defutura; minimè gentium non enim hoc pacto foret paradisus hujus vitæ, de quo sermo est; verùm sic foret altioris ordinis paradisus. Omnes corporis infirmitates, omnis generis opprobria atque miseriæ possunt consistere cum interna illa conscientiæ pace; interea tamen pax memorata illud præstat, ut iisdem non turberis. Bona conscientia famosi instar montis Olympi tibi erit, qui nubibus superior despicit grandines, tempestates, fulmina, neque hisce excelsus ipsius vertex tangitur. Unde Vates canit: *Nubes excedit Olympus.* Quòd si serenæ fueris conscientiæ, illud tibi semper occines: non peccavi. Tum verò gravant labores ac miseriæ, tum mordent contradictiones ac molestiæ, dum iniquo animo eadem fert vo-
luntas

intas, & intellectus subinde exprobrat, te hæc omnia tanquam œnam ac supplicium esse promeritum. Illud verè affligit, quod uis detrectat: hoc autem sublato, licet cum Jobo dicere: *Non eccavi, & in amaritudinibus oculus meus*, omnia sunt pacata. Dū-uc interiùs omnia pacata sunt, ecce paradisum internum, de quo ocutus sum; & in quo si perseveraveris, de terrestri ad cælestem aradisum transitum facies. Quid videtur mi chare Lector? nun-uid ergo expediens fuerit omnem divinam humanamque legem dimplere in finem tam grandis boni adipiscendi? quisquis hujus ompos sit, videt ille in se impleri illud Servatoris effatum: *Re-num Dei intra vos est.*

IX. Observa ulteriùs: quòd licèt omnes cœli empyrei inquilini uieti contentique vivant; detur tamen inter ipsos ampliùs & mi-us: sunt autem diversimodè contenti. Sunt enim in Paradiso radus gaudii: quod si ad sublimem gradum cogitas eluctari, stude sse delicatæ conscientiæ, delicatæ inquam non scrupulosæ, quæ ummatim ad cordis munditiem reducitur. de qua Servator lo-uitur, dum in octo beatitudinum numerum eandem refert, in-uiens; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; pro præ-nio speciali ipsi assignans, quod proprium est cælestis beatitudi-is, nempe videre Deum; in quo summum animarum sancta-um gaudium, ipsaque essentialis beatitudo consistit. Hanc con-cientiæ observans teneritudinem, quàm longissimè, adjuvante Divinâ gratiâ, ab omni culpa eris remotus; hoc sequens princi-ium nunquam laxis opinionibus studebis, quæ ducunt per viam atam, inter posse & non posse fieri consistunt. Quare magna illa uies, in qua vivere potest anima, quæ est teneræ conscientiæ, ortè non est tam integra puraque ut crystallus possit dici carens omni nævo & macula, interea tamen est crystallo similis, Cælo roprium est, ut non tanquam mare aliquod, sordida etiam cor-ora concludat, verùm ut ejiciat quidquid non est ex omni par-e bonum: *Nihil coinquinatum intrabit*. Quòd si etiam post mor-em aliquis habuerit argenti pretium, interim imperfectionis cu-usdam rubigine infectus fuerit, non illuc admittetur illico, verùm n camino priùs flammarum piacularium expurgandus erit di-tante Spiritu sancto: *Aufer rubiginem argento, & exibit vas pu-issimum.*

X. Atque hæc dicta sint ad studium puritatis, munditiæ ac con-cientiæ teneritudinis aut obtinendæ aut retinendæ inculcandum, ut tibi paradisum in terris construas. Purga itaque eam frequen-er; sed quâ ratione inquis: frequenti dico usu Sacramenti Pœ-itentiæ, diligenti usu examinis maximè particularis, de quo lo-

cutus

cutus sum supra. Verbo imitare Davidem, qui iteratò à Domin lavari petebat, ut omnino ablutus emundatusque apparere mere tur. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Interim dum orabat suo tamen pariter non deerat officio in everrendo animæ su pulvere constanter occupatus. *Scopebam spiritum meum.* Imitatu fuit ipsum S. Ignatius Loyola, qui animæ suæ sinus de die sæpiu excutiebat, rigidas à se rationes exposcens: & talis fuit filius eju dem B. Aloysius Gonzaga observator exactissimus minimarum instituti sui Regularum, ut & fidenter dicere non dubitaverit, nu lam à se unquam scienter violatam fuisse. Atque hi ambo gavi etiam dubio procul fuerunt mundissimæ conscientiæ paradiso.

IX. Verùm quid porrò de cœlo empyreo S. Joannes Evangeli sta adnotavit revelavitque? nullam nec minimam etiam labecu lam illuc subire nos edocuit; dicit: quòd portæ ipsius purissimi stent margaritis, muri lapidibus pretiosissimis, & ipsa usque ade fundamenta (quæ quanquam solidissima apud nos esse consue verint, non perinde tamen elegantia) cum soliditate conjunctan habeant munditiem summam, ideoque è gemmis constare affir mat perfectissimis; jaspide, berillo, amethysto, aliisque similibus Potuisset Joannes stellas ceu puritatis intaminatæ symbola addu cere, verùm gemmas tam diversæ speciei ceu rem magis raram magisque in cœlo peregrinam proponere ipsi placuit, quia cælum in stellis suis omni nocte, & quidem spissioribus se cælo tenebri intendentibus est spectabile. Voluit per hæc nos Deus erudire quòd interiori bonæ conscientiæ ornatui jungendus sit splendo etiam externus, amabilis simul & admirabilis, ideoque venerabilis tales sunt descripti muri, fundamenta, portæque cælestis civitatis talis & est, quisquis conscientiam puritate illa, quâ dixi, laudabi lem gerit: gratiam enim spirant, admirationem provocant, vene rationem conciliant omnes ipsius gressus, omnes aspectus, omne motus, omnia verba: ipsæ sensuum illius portæ; muri quotidia narum actionum; fundamenta actionum, quanquam de natur sua minùs nobilium, quales sunt cibum capere, corpus somno re ficere, recreatione aliquâ animum relaxare. Externâ enim morun suorum compositione omnes ædificat, omnes oblectat: *Pax mul ta diligentibus legem tuam.* Atque hæc pax concernit interiora. *E non est illis scandalum*, istud exteriora spectat, in quibus ab omn scandalo abest quàm remotissimè: scandalum autem est actio, qu aut Superiores, aut æquales, aut inferiores offenduntur. Hinc & laus illa ipsi obvenit incomparabilis; quòd ob conscientiæ su puritatem dicatur *dilectus Deo*, & ob inculpatam conversationen *hominibus.* Lege, si libuerit, cum attentione Psalmum 118. in qu multa eorum, quæ hìc dicta sunt, reperies.

LECTIC

LECTIO SPIRITVALIS
RO TEMPORE POMERIDIANO DIEI decimæ Exercitiorum Spiritualium.

HOc *oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet* ad Philip. 1. Finem Exercitiorum spiritualium facit avissima de amore Dei meditatio; siquidem Dei in hac ita amor medium est necessarium ad ultimum creationis æ finem assequendum, ut nempe ipso in vita altera gau-eamus. Non satis fuit Apostolo Paulo, ut neophyti sui hilippenses in quocunque charitatis gradu sisterent, ve-ùm certiores illos reddidit? quòd instanter pro ipsis Deo pplicaret, ut in charitate proficiendi talem gratiam ipsis ndulgeret, ut illius etiam abundantiâ gauderent. Quâ xpressione eos hortatos voluit, ut non acquiescerent cui-unque charitati ad cœlum consequendum necessariæ, sed t in eâdem magnis passibus proficere satagerent, ne tan-ùm eo essent instructi, quod facit ad necessitatem, verùm t & affluerent. Vides autẽ, quòd in allegato textu S. Paulus estrictionem nullam charitatis faciat neque eam vel ad haritatem Dei, vel ad charitatem proximi tantummodo imitet. Quapropter existimo quod mentis fuerit ipsos ad-hortandi, ut in utraque charitate crescere conarentur, quan-loquidem una proinde ac altera virtus est propriissima omnium, quotquot Evangelium profitentur, prout ipse jusdem author Christus protestatus fuit. *Diliges Domi-num Deum tuum ex toto corde tuo, ex toto anima tua & x tota mente tua; hoc est primum & maximum manda-um: secundum autem simile huic est: Diliges proximum uum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ.* Matth. 12. Bina hæc mandata possunt lici bina latera scalæ Jacob, per quam ascenditur ac descen-litur, prout nempe virtutes aliæ memoratis duabus virtu-ibus subordinatæ exercentur. Ascendunt, qui proficien-lo in iis progrediuntur, descendunt, qui in illis deficiunt, taque illis, qui sacris S. Ignatii viri utraque virtute tam

conſpicui Exercitiis excoluntur, commendatum cupio, u
in utraque charitate proficere omni ſtudio enitantur. *Cha-
ritas veſtra magis ac magis abundet.*

II. Atque ut incipiam à charitate erga Deum, ſuaden-
dum hic imprimis, ut in omnibus actionibus tuis ipſi pla-
cere ſtudeas nullâ tamen interveniente animi inquietudi-
ne aut turbatione; de eſſentia charitatis intacta ſervand-
ſis ſolicitus; imitare exemplar charitatis Chriſtum, qui d-
ſe affirmavit: *quæ placita ſunt ei*, Deo nempe, *facio ſem-
per*. Dein ulteriùs te optem progredi: ut dum conſidera-
quâ ratione Deus plurima beneficia, non illa tantùm ali-
communia, verùm & particularia in te contulerit, ſuumqu-
in te amorem magis ſemper magiſque propaget, tu etian
ſatagas amori ipſius reſpondere, operaque ſupererogato-
ria ex amore illius ſpeciali præſtare coneris: attende qui
S. Bernardus dixerit: *Ad nihil aliud amavit Deus, quàm u-
ametur*. Ideoque naturæ ac gratiæ beneficiis te cumula-
vit, ut quaſi fomitem miniſtraret, ad quem amoris tu
flammam poſſes accendere. Adde, quod ab æterno t
amaverit, per tanta momenta, & quòd omni adhuc mo-
mento te amet, dum omni momento amoris ſui præbe-
teſtimonia, dum gratias tibi continuas confert.

III. Et nunquid ſpecialis etiam amoris ſunt effectu
continua tui conſervatio, auxilia in neceſſitatibus præb-
bita, corpori animæque præſtiti tum naturæ tum grati-
favores? ne quæſo occludas oculos, ut totidem favore
quibus Deus tui amantiſſimus tuique amans tenerrimè
undique coronat, nolis aſpicere. *Cùm amat, nihil aliu
vult, quàm ut ametur*. Deſiderat, ut vivace ſemper flamm
tui in ſe amoris ignis animetur, qui ut fomitem ſemper h-
beat, nova inquam ſemper motiva, impulſus meritaque
moris, hinc novis ſemper te ornat beneficiis, atque ha
ſunt materia, quâ amor tuus foveri ac nutriri debet. Hin
quâ ratione elementaris ignis pro ratione ac proportio
diversâ alimenti ipſi præbiti altiùs ſemper attollitur, p
ratione ignis ille tui in Majeſtatem Divinam amoris,

ſurge

rgere,exilire,elevare ſe debet tantò altiùs , quantò amius Divina beneficentia ſeſe in te effundit. Perpensâ itaue tam nobili veritate, conſidera an æquum ſit amorem ei intra tam arctos tantùm cancellos velle concludere, plus nolis facere , quàm quod ad ſalutem tantummodo ceſſarium eſt ? an aliquando catupultam aut bombaram conſiderâſti?

IV. Tanto bombarda aut tormentum aliud militare pulere oneratur,ut flamma,accedente igne,intra tubi anguias ſe nequeat continere : quapropter attende quâ ratioe ſeſe diſpergat,dilatet propagetque ? exiſtima flammam lam eſſe ſymbolum illius,quod decet facere animam ſpealibus à Deo favoribus ornatam ; quibus nemo eſt , qui on ampliſſimis cumuletur à Deo : quare in opera etiam xtraordinaria dilatare ſe debet charitas. Quæ autem ſint ujuſcemodi,ex occaſionibus facilè diſces, poteris & intelgere ex Patre tuo Spirituali,& ex te ipſo ; ſi ea cognoſceni ſtudioſus fueris, facilè illa invenies. Nobile illud conſium cœpit S.Ignatius Lojola in omnibus ſemper operibus najorem Dei gloriam ſectandi in tantum , ut affirmârit liquando,quòd faciendâ ſibi optione,ut cœleſtem quamrimum gloriam adiret ſecurus, aut Divinæ ulteriùs gloiæ propagandæ causâ in terris adhuc perſiſteret cum ſalutis interim incertitudine, prælecturus eſſet vitam in teris,ut Divinam poſſet gloriam cum ſalutis etiam periculo propagare,præ ipſa cœli ſecuritate ; confidens utique nec gloria illa rejiciendum, qui tam liberalis in Deum foret nimi : oportebit ſaltem nos omnes actiones noſtras ad inem tam nobilem,ad Dei gloriam referre. Quod ſi facemus , quanto eſſent ferventiores noſtrum multi modò am frigidi , qui timent ſemper ne nimium pro obſequio Dei optimi faciant : & unde ortum illud ſuum ducit, niſi quia non abundamus charitate.

V. Confundat tales meritò exemplum Patriarchæ Jacob , amore Rachelis ſuæ totus accenſus. Laban pater Sponſæ hujus, priuſquam in matrimonium hanc ipſi conce-

cederet, ſeptem ſibi annis ab illo ſerviri voluit. Et Jacob non tantùm acceptavit pactum, verùm &, ut ſacer memorat Chronologus: *Servivit Iacob pro Rachel ſeptem annis & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Attendant ad hoc illi, de quibus antè locutus ſum, quibus nimium videtur parvam aliquam eleemoſynam cum incommoditate aliqua Dei amore elargiri, ſervire infirmis, vindictam aliquam omittere, aliudve parvum opus præſtare. En quæ ſervitia præſtitit Labano Jacob? profectò non illa fuerunt facilia, viliaque: *Viginti annis fui tecum, die nocteque urebar æſtu & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis, ſicque viginti annos in domo tua ſervivi.* Gen. 31. Qui hæc legis, conſidera, utrùm gloriari valeas, quòd tempus tam longum Dei Domini ac benefactoris tui obſequio impenderis, idque in operibus laborioſis, ita ut in veritate aſſerere audeas, *Viginti annis die nocteque urebar æſtu & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*: & ſi quis etiam tantundem exhauſit moleſtiarum, percontetur à ſe talis, quiſquis eſt, an cum Jacob affirmare valeat, *Videbantur illi pauci dies præ* AMORIS *magnitudine?* Venam hìc amplam præcelſarum ac generoſarum circa Deum cogitationum, unde affectus pares ac deſideria ſuis elicienda occaſionibus, progerminare valeant, me detexiſſe puto.

VI. Atque ut ulteriùs minutatim excutiam id, quod illi, juxta propoſitam actiones ſuas inſtituendi normam vult operari, plurimùm conducturum judico, ſuadeo, ne actus illos intermittat, qui aliquid ut ita loquar, heroici in ſe complectuntur. Actus autem heroicos appello, non quia non occurrat frequens tales exercendi occaſio, ſed quia non ſunt de præcepto, ſuntque indicia veri amatoris. Actus ejuſmodi fuit, quem S. Alexius exercuit, dum primâ à nuptiis nocte, ſponſam domumque paternam deſeruit, ac vitam auſteriſſimam amplexus fuit. Talis & ille S. Joannis Gualberti, qui fratricidæ injuriam magnâ animi generoſitate remiſit. Talis & actus fuit S. Mariæ Magdalenæ, quæ ſuperato omni humano reſpectu, publicè Redemptoris

pedes lacrymis abluit, individuaque ipsius ad crucem usque comes, opprobria inimicorum Christi, unà cum ipso, patienter sustinuit. Hujusmodi actibus historiæ Ecclesiasticæ abundant: Dum itaque, mi Lector, actum ejusmodi aliquem eliciendi se tibi offert occasio, noli illam perdere, ut tuum in Deum amorem probes, ipsique complaceas; quod si talem parato animo acceptaveris, *charitas tua magis & magis abundabit*. Unus hujusmodi actuum valet multos alios actus humiliores: est ille similis magno aureo nummo, quorum unus pluribus minoris monetæ numismatis æquivalet: gratiisque etiam extraordinariis Deus tales remuneratur.

VII. Ne porrò ulteriora etiam motiva tibi deficiant, quæ ad similes actus inducere valent, amabo, excute vitæ tuæ statum, & considera, quos extraordinarios pro vitæ tuæ conditione favores Deus dispensaverit: raros aliquos credo invenies, & communem divinæ beneficentiæ ordinem supergredientes. Ne nimis prolixus evadam, nolo hic multum me extendere; tu tantùm eos recogita, iisque in memoriam reductis, dic cum S. Tobia: *Quid possumus dare illi sancto? quid illi poterimus dignum dare?* Tobiæ 12. *Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ.* Tobiæ 9. Tu verò dicito: *Non ero condignus charitati tuæ.* Dein conclude, quòd omnia heroica Sanctorum Martyrum, Confessorum, Eremitarum, ac Virginum opera, licèt magnum aliquid fuerint respectu tenuitatis nostræ, in comparatione tamen Divini amoris nihil sunt: interim illud *nihil* Deo est gratissimum: amplissimis illud gratiis compensat; atque ita exercitium illud actuum heroicorum est methodus compendiosa & efficax specialissimas, magnas & copiosas gratias brevi tempore lucrandi. Quisquis autem in iis sese probare voluerit, amplum semper stadium habet apertum; etenim in omni statu tam in Ecclesiastico & sæculari, quàm in regulari frequentes eorum occasiones occurrunt.

VIII. Præ reliquis horum professionem facere deberent

hi, qui præ cæteris aut ingenio, aut dignitate, aut nascendi felicitate aut aliis talentis sunt conspicui. Actus aliquis heroicus ab hisce elicitus & in oculos aliorum incurrens multos ad illius imitationem provocat: & quanta hinc in Deum gloria redundat, & quantum illum manet præmium, qui exemplo præivit! unde si hanc theoriam in praxin redegeris, nec consueta pietatis exercitia non orationem, non examen conscientiæ, non sacramentorum frequentationem, non lectionem Spiritualem intermittes, nec ea deproperabis; verùm diligentiam adhibebis, ut quam optimè illa peragas; sæpe Dei recordaberis &c. Et quia amor est ingeniosus, sagax eris in investigandis pluribus Deo placendi mediis, ut & ipsi melius serviatur, & ampliorem ipse, tum à te, tum ab aliis gloriam acquirat.

IX. Nunc & de charitate erga proximum, utpote ad quam relata verba optimè quadrant, aliquid dicendum: suppono satis ea te nôsse, quæ ad essentiam ac necessitatem hujus præcepti spectant, & quòd ideo proximum tuum ames sicut te ipsum: etenim *diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Superest, ut super fundamento hoc pulchrum exstruas ædificium, in quo ornamenta illa, parerga, ac coronamenta sint spectabilia, qualia in elegantibus structuris desiderare solemus. Per quæ ornamenta intelligo actus ingeniosi amoris, qui non sunt aliunde præcepti, & maternam æmulantur charitatem, qualem S. Paulus professus fuit, inque suis ad antiquos Christianos epistolis expressit dicens: *Filioli, quos iterum parturio, donec in vobis formetur Christus.* Ad hanc ut pertingas, juvabit plurimum, considerare in proximo creatorem ipsum. Omnes homines non solùm ab ipso creati sunt, sed etiam ad imaginem ipsius, & quidem, ut supra dixi, ad imaginem vivam, eâ ferè ratione, quâ sæpe contingit, ut filius perfectè assimiletur patri, qui progeneravit; aut matri, quæ parturivit. Et quis non exhibetur honos Regis imagini? quantum non illa ornatur, neque aliam ob causam, quàm quia repræsentat Regem? si itaque omnis homo creatus est ad *imaginem & similitudinem Dei*, quâ ratione honorem atque amorem illi negare possumus?

X. Novi, quod dicturus sis, proximum tuum plenum esse defectibus & imperfectionibus, fortè & peccatis, quæ ipsum minimè reddant amabilem. Respondeo hoc non obstare. Nonne variæ sunt Christi imagines, aliæ ex sculptæ in ligno, aliæ ære fusæ, aliæ impressæ chartæ, aliæ excisæ in marmore, aliæ aureæ, aliæ argillaceæ: nunc verò quàm sæpissime plurimùm hæ à vera Christi repræsentatione, qui *speciosus formâ præ filiis hominum*, abludunt: sæpe difformes, & in genere imaginis impolitæ sunt. Interea quis non hæc reveretur artefacta? hæc honorantur, hæc cordi apprimuntur, coram his flectuntur genua, his ex amore libantur basia:

& quare? quia JESUM repræſentant; nec refert gratioſæ fuerint in abnormes. Laudabilis hæc in mortuas Chriſti imagines Chriſtianorum reverentia, doceat nos amorem debitum proximo, quanquam imperfectiſſimo. Viva ipſe eſt Dei effigies, quod negari non poteſt, ideoque non obſtantibus omnibus ſuis defectibus dignus eſt honore, dignus amore, dignus obſequio. Hanc ſecutus regulam in omnibus ſtudebis ipſius commodis, atque hujus adjumento mirùm creſces in charitate erga eundem. Itaque poſtquam ex Spiritualibus Exercitiis prodieris, quivis, te in converſatione cum proximo magis experiatur tractabilem, magis amabilem, magis beneficum, viſcera in te charitatis & compaſſionis amplioris quivis advertat, videatque te commoditatum tuarum eſſe negligentem, ut proximo gratificeris; ut & cum Paulo valeas proteſtari, tam tenero te ipſum amore complecti, tam bene te ipſi velle, tanquam ſi eum in viſceribus Chriſti efformari, aut ex illo, quaſi materno, utero Chriſti prodiiſſe vidiſſes: *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti.*

XI. Quod ſi porrò pergis proximi tui defectus obtendere, moneo præterea, ut recogites, quá ratione JESUS & te & omnes homines, quibuſque in circumſtantiis poſitos dilexerit. *Cum adhuc peccatores eſſemus, dilexit nos.* Nos tam fœdos, tam difformes, tam indolatos amavit, non ut tales nos relinqueret, ſed ut emundaret, ut expoliret, ut perficeret. *Et lavit nos in ſanguine ſuo.* Amor ipſum tantùm fecit attendere ad bonum, quod in nobis deprehenderat: & compaſſionem elicuit de malis, quæ in nobis viderat: & dum Chriſti charitas non in ſpeculatione tantùm ſiſtebat, ad abluenda re ipsâ peccata noſtra deſcendit, peccatorum noſtrorum inimicus, noſtri verò amator. Et quoniam prænoverat futurum, ut in homines etiam incideremus peccatis undique immerſos, neque ſolùm imperfectionibus obnoxios, quin & nobis adverſos & inimicos, prout & peccàtores ipſius fuerant inimici, ideo mandatum charitatis concinnans, in hæc illud verba enuntiavit: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, SICUT ET EGO DILEXI VOS tanquam ſi voluiſſet dicere: putatis fortè, quòd ego ignorem, cujuſmodi ſint perſonæ, quas vobis diligendas præcipio? novi ego illas, & omnes illarum novi imperfectiones tum naturales tum morales. His omnibus non obſtantibus, ratum eſt mandatum meum, ut eas ametis, meque imitemini, qui DILEXI VOS, ametis uti amatur roſa, quanquam ſpinis horrida, uti amatur aurum licet ſcoriâ infectum, uti amatur ſol licèt nebulis tectus. Audi & chare Lector, loquor confidenter. Et à te ipſo percontor: à quonam te putares aman-

dum, si tantùm ille amandus foret, qui caret defectibus? & tu es defectibus obnoxius: atque interea hosce vis dissimulari, teq; amari ob bona illa, quibus es ornatus. Non aliter tibi tuus etiam tractandus est proximus. Omnis ipsius malitia perspecta tibi sit, notitiâ etiam experimentali, noli tamen ideo in amore ipsius frigere. Quin potius amor tibi sanctus suggerat consilia, ut de mediis ipsum emendandi & amabilem tum tibi, tum aliis, tum, si potes, Deo ipsi amicum reddendi deliberes.

XII. Quòd si Pauli hortatum sequi volueris, conandum est tibi, ut charitas tua crescat, dilatetur, abundet. *Hoc oro, ut charitas vestra magis abundet.* Quòd si infirmitatis tuæ hac in parte es conscius, neque alis desit tutus tam altè possis evolare, implora datorem bonorum omnium; *Orato, ut charitas vestra magis abundet.* Noli interea illud omittere, ad quod tibi vires suppetunt, licèt non tantopere senseris internum amorem, exteriorem suo tempore exhibe. Charitatem exhibe infirmis, visita nosocomia; in quibus locis defectus tantùm naturales, paucos morales invenies, & quâ ratione defectus naturales non extinguunt in te charitatem in hos miseros, ita cum proportione tuæ persuade sensibilitati, ut à moralibus illa præscindat, & bene etiam proximo velit. Indue nobiles Pauli sensus, qui non eam in Christianis suis perfectionem requirebat, quantam à divina gratia in se profectam agnoscebat: illos ipse comparabat filiis, & sese Parenti: hinc ait: *non debent filii parentibus thesaurizare sed Parentes filiis.* Sint illi virtutibus inopes; non ideo debet in nobis esse defectus amoris; *non debent filii parentibus thesaurizare:* Pauli intererat omnes amare: *sed Parentes filiis.* Quare *libentissimè impendar, & superimpendar pro animabus vestris.* Obsequia proximo impende, licet nec ille talia mereatur, nec gratus existat, nec verbo nec opere gratiam rependat, & inhumanum tantùm sese exhibeat, Sitque hæc gloria tua; *abundare charitate.*

XIII. Plurima huc utilissima possent adduci, tu è paucis hisce plura infer: subjungo tantummodo nobilē laudati sæpius Pauli instructionem, cui te in vita ac moribus stude conformare, sive in communitate degas, sive extra eam: *Charitas* inquit (non minùs ea, quæ Deum contingit, quàm quæ proximum spectat) *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1. Cor. 12. In hoc speculo contemplare te subinde, ut videas, in quo deficias. Confirmo autem tibi, quod si in charitate erga Deum & proximum insigniter proficere studueris, facilem tibi viam ad paradisum illum in terris, de quo in hesternâ lectione memini, consequendum sis apetiturus, Et quæ vita est cœlestis, nisi Deum ac proximum intensissimè amare amore non tantùm appretiativo, sed etiā amore tenero, qua teneritudo amoris mei est charitatis?

PARS

PARS QVINTA SOLITUDINIS SACRÆ,

Sive

INSTRVCTIO DIRECTORIS,

Qui

Toti alicui Communitati,

Sacris

S. IGNATII

Exercitiis, decendialibus vel octiduanis excolendæ, est præfuturus.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus WILHELMI METTERNICH Bibliop.
Sub Signo Gryphi Anno M.D.CCXXVII.



INS

Usui futura il
Exercitus S
est obituri
dem



E
se
in
cu
il
giosorum, aliæ
in eodem orato
clesia conveniun
quæ ipsis circa
que redit. Circ
utraque dicta C
bus verò poter
modò sum dictu
facile intelliget,
se communia, &

Peculiaris ac
tes integræ, de
occupentur, tu
animis eorum
cipere sinit,
pronum est na



INSTRUCTIO.

Usui futura illi, qui Communitatis alicujus in Exercitiis Spiritualibus Directoris partes est obiturus, quali utuntur, hi, qui in eisdem peragendis nondum sunt versati.

DE duplicis generis communitatibus hic mihi sermo est. Quædam unà vivunt, & dum in eodem degunt domicilio, proprium cuivis Personæ est cubiculum, Tales sunt illæ Seminaristarum, Convictorum, Religiosorum, aliæque similes. Aliæ autem sunt eorum qui in eodem oratorio, in eodem conclavi, aut in eadem Ecclesia conveniunt; quibus in locis postquam illa audiêrunt, quæ ipsis circa Exercitia dicta sunt, domum suam quisque redit. Circa quædam poterit Director eandem cum utraque dicta Communitate normam servare: cum aliquibus verò poterit ac fortè debebit eam mutare. Ex iis, quæ modò sum dicturus, Director, ad cujus hìc usum scribo, facile intelliget, quæ uni & alteri communitati possint esse communia, & quæ singulis sint propria.

Peculiaris ad hoc requiritur diligentia, ut communitates integræ, de quibus hìc loquor, in Exercitiis fructuosè occupentur, tum quia negotii hujus ipsis inusitati novitas animis eorum umbram facit, nec tale de eo judicium concipere sinit, quale in se ipso est: tum quia in hoc opere pronum est nasci in ipsis tædia ac melancholiam, à quibus dum

dum se occupari permittunt, timendum est, ne fructum illum perdant, ad quem capiendum solitudinem sacram ingressi fuerunt. Director, qui ipsis dirigendis præfectus est advigilare debet, ne Dæmon in hac parte vincat. Quare

Primò. Personas Directioni suæ concreditas omni studio Deo commendet, idque omni die: & priusquam sanctum hoc negotium amplectatur, fusis ad Deum precibus adhibitisque pœnitentiis gratiam ipsius atque auxilium imploret.

Dein sit sollicitus, ut puncta Meditationis atque alia exercitia prævideat; quin & expediet, ipsum hæc antè considerâsse & meditatum fuisse, quæcunque Exercitanti tradenda sunt; eum in finem, ut per orationem masticata & bene digesta lac facile ac dulce pro Exercitantibus evadant. Proinde existimet dictum sibi illud, quod de Joanne Baptista prædictum fuit: *Præibis ante faciem Domini, parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum.*

Secundò. Die uno, aut etiam, si necesse fuerit, septimanâ unâ antè, ipsos instruat, quid sint Exercitia hujusmodi: & præcipuè, quid sit Meditatio, & quomodo facienda. In quem finem poterunt in defectu meliorum servire illa omnia, quæ posita sunt in prima parte hujus operis, siquidem legenda tradiderit.

Tertiò. Curet quodlibet Meditationis folium habere separatum, ita ut quælibet pro singulis vicibus illi detur, qui eâ uti debet: idque ut, dum Exercitans aliam non habet, securus sit, quòd totum se occupaturus sit in illâ, materiâ disparatâ non distrahendus: metuendum est enim aliàs, ne, si plures ad manum fuerint, omnes simul ac semel legat, atque ita in nullâ, cum attentione, considerandâ operam collocet.

Quartò. Provideat solicitè, ut Personæ exercitandæ continuam habeant occupationem, pro certo habens,

unicum

unicum levandi tædii, è solitudine facilè concipi soliti, medium esse ordinatam, eamque variam ac fructuosam applicationem. Quare

Quintò. Procuret, ut exactè observent distributionem horarum, ejusque cuilibet unum præbeat exemplar, præterquam quòd unum publicè affigendum curet.

Sextò. Ad omnem novam occupationem instantem, curet, si fieri possit, campanulâ signum dari.

Septimò. Explicet diligenter Meditationes, studeatque usum earum facilem reddere. Cætera pariformiter minutatim exponat, ostendatque modum, quo in qualibet functione procedendum: certus autem sit, quod nulla Communitati tali impensa diligentia, sit superflua.

Octavò. Procuret, ut locus, in quo omnes Personæ simul conveniunt, si non ad aliud, certè ad excipiendam Meditationem, tali sit ornatu instructus, qui pietatem possit excitare; ideoque provideat, ut Crucifixus illic prostet, fenestræ sint clausæ, candelæ verò aut lampades, si fieri potest, accendantur; illud enim servit ad animi recollectionem, quam non parvi æstimare oportet.

Nonò. Si Communitas, cui tradenda sunt Exercitia, in eâdem Domo cohabitat, suumque cuilibet est cubiculum, Meditatio omnibus simul congregatis explicabitur, posteaque attendendum, ut auditâ explicatione, in cubiculum se omnes recipiant, Meditationem in charta traditam illic perlegant, eandemque, audito ipsius faciendæ signo, in cubiculo obeant.

Decimò. Quod si autem Communitas fuerit talis, de Cujusmodi antea sum locutus, Director curet permanere in loco, ubi commodis ac necessitatibus eorum, qui exercitia faciunt, servire possit: ita, ut habeant, ad quem, suis in dubiis illico possint recurrere, ne inquietentur, perturbentur, aut ullum è præscriptis operibus defectu directionis intermittant: atque in hoc debet ipsius Charitas promicare, gaudeatque se totum impendere spirituali

eorum profectui, per memoratam integram, accuratam, patientémque aſſiſtentiam non aliud ſpectando.

Undecimò. Si Communitas eſt talis, de quali hucuſque ſum locutus, ſingulos Exercitantes in cubiculo ſuo viſitet, vice ſaltem unâ, ſi non potuerit duabus; animumque addat ſingulis, ut ſuam libenter conſcientiam revelent ac dubia proponant, &c. Jubeat forti eſſe animo; hortetur, ut totos ſe Deo tradant, excitet ad heroicam paſſionum ſuarum victoriam.

Duodecimò. Hæ ipſæ Communitates quater de die congregabuntur ad accipienda (id eſt) ad auſcultanda puncta meditationis, à Directore explicandæ; quod eo fine fit, ut minori cum labore, & majori cum profectu manuducantur. Inſpiciatur prima diſtributio horarum, poſita in prima parte pag. 55. quæ propria eſt pro talibus Perſonis.

Decimo tertiò. Curet in Meditationum explicatione fuſior eſſe potiùs, quàm ſuccinctus: explicatam autem Meditationem denique breviter in puncta ſua contrahat. Priuſquam novam Meditationem præſcribat, utilis fuerit induſtria, ſi præteritam per breve colloquium repetiverit; ſerviet hoc, ut meliùs illa imprimatur; eritque quaſi aliqua totius meditationis repetitio.

Decimo quartò. Si circumſtantiæ Communitatis tales fuerint, ut Director poſt prandium & Cœnam, in pia aliquâ recreatione cum ipſis verſari debeat, attendat bene, ut & tempus illud utiliter atque abſque animi diſſipatione collocetur. Poterit illam tranſigere inſtituendo conferentiam, ſi ita ipſi expediens viſum fuerit, de qua ſuo loco dicetur, aut narrando pulchram aliquam hiſtoriam, quæ ad Virtutis cujuspiam commendationem faciat, aut ad vitii alicujus deteſtationem, modò ſit honeſta. Poterit etiam ſuavi modo illa percurrere, quæ propria ſunt ipſorum ſtatui, inſtillando utiles regulas atque dictamina pro vita Chriſtiano modo traducenda, diſcutiendo

endo omnes cujuſque diei Menſis aut Anni operationes; oceat, quomodo in his aut illis occaſionibus gerere ſe deeant, referat opera devotionis, quæ ad profectum ſuum tiliter poſſunt inſtituere: diſſerat de iis, quæ ipſis fugiena; cujuſmodi ſunt luſus, mala conſortia, ſcenæ immodeæ & ſimilia: modus hic tempus recreationis tranſigendi, præterquam quòd futurus ſit utiliſſimus, evadet & ſuaviſimus, ac multis ſalutaribus conſiderationibus, dum modò hoc, modò illud punctum prudenter, arripit, amplum campum poteſt aperire, ita ut ſub Exercitiorum finem, quid ugere, quid amplecti debeant, audiverint. Advertat autem hic ſpecialiter, ut, quæ dicturus eſt, ſint apta Meditationibus mox tradendis, ut ſi fuerint de compunctione animi, quam ſpirant Meditationes primæ ſeptimanæ, abſtineat à rebus jucundis, magìs autē à ridiculis recitandis &c. idque ne fructus ille perdatur, qui ſecundùm Dei gratiam ab his circumſtantiis dependet.

Decimo quinto. Veſpere primum Exercitiorum diem immediatè præcedente, omnes Exercitiis vacaturos in unum congreget, dicantque omnes flexis genibus: *Veni Creator Spiritus* ac deinde Director, omnibus ſedentibus, pulchra illa S. Petri Chryſologi verba cum affectu dicat: *Dedimus corpori Annum, demus animæ dies: impendimus tempus nobis, deputemus tempus Authori: vivamus Deo paululum, qui ſæculo viximus totum: ſeponamus Domeſticas curas. Chryſologus ſerm.* 12.

Brevem inſtituat Diſcurſum de opere, quod aggreſſuri ſunt, qualem prudentia, ac proprius ipſi Zelus dictaverit. Quo facto, unanimiter, ſi commodè fieri potuerit, ad viſitandum Venerabile ſacramentum aut ad devotum aliquod Sacellum ſeſe conferant, animo in Deum recollecto. Veſperi autem hiſce Communitatibus non traditur Meditatio, quandoquidem experientia comprobavit, præſtare, ut immediatè ante horam faciendæ Meditationis

nis illa ipsis dictetur, & quia de tironibus inexpertis agimus, faciliùs memoriâ illam retinebunt. In eundem finem.

Decimo sextò. Postquam mane surrexerint, consuetas orationes vocales obibunt; quibus persolutis in loco ad hoc parato convenient, quibus genuflexis Director intonabit: *Veni Creator Spiritus &c.* Repetet deinde exhortationem supra positam: *Dedimus corpori annum &c.* quæ devota verba singulari cum affectu recitabit. Porrò, osculatus terram, Meditationis faciendæ explicationem auspicabitur: folium, in quo descripta Meditatio, singulis extradet, & ita ad cubiculum redibunt: postea Director campanulâ signum dari curabit pro relegenda ad horæ quadrantem Meditatione; quo finito signum dabitur pro eâdem incipiendâ, similiter, dum finis Meditationis instabit, alterum rursus signum dari curabit. Atque ita prævie ad omnia opera sonet campanula; E. G. ante Orationem, Lectionem, Examina &c. Immediatè ante singulas Meditationes memoratis Personis fiat à Directore earum explicatio.

Decimo septimò. Explicabo hîc, in quo consistat fructus è Meditationibus capiendus, & quá ratione Director in Exercitantibus directioni suæ concreditis eum possit promovere; Dico itaque, ut Director Tironem quemlibet eâ valeat accuratione instruere, ut fructum è Meditationibus possit ipse percipere, fructum consistere in hoc; ut discipulus ipsius vigore meditandarum veritatum duo præstet.

Primum ut per INTELLECTUM sibi persuadeat, quòd res hæc aut illa particularis Deo displicens, animæque suæ damnosa sit evitanda, aut alia aliqua Deo grata, animæque salutaris sit amplectanda.

Secundum, Ut per VOLUNTATEM statuat efficaciter cum auxilio divinæ gratiæ illud adimplere, quod faciendum esse persuasus fuerit. Quem in finem Director,

ante

ante explicationem cujuscunque tandem Meditationis, ipse inveniat particulare illud punctum, quod optat Exercitanti persuaderi, & exequendum ab ipso proponi, generalibus non acquiescendo: qui autem caruerit Directore, secum ipso eandem viam teneat: atque ut per exemplum aliquod Meditationum in præsenti opusculo adhibitarum me explicem, illam de fundamento arripio; Itaque Director, antequam eam explicet, Exercitantes suos hoc modo alloquetur: *Meditationem de fundamento ad duos fines ordinabitis: alter est: per* INTELLECTUM *vos convincetis quod à malorum sociorum consortio sit abstinendum; alter erit, ut* VOLUNTATE *statuatis à talibus abstinere.* Porrò in explicandis veritatibus puncto hoc contentus curet ut eas applicet privatæ cujusque necessitati, quod præstabit commonstrando, quâ ratione, ex eo, quod persuadendum est, deducatur illud, de quo agitur, & quod in opus est redigendum.

Primum punctum assignatæ Meditationis complectitur duas veritates: quod *homo sit creatus, ut Deum amet, laudet, ipsique serviat in hac vita, & eo fruatur in vita altera.* Bonus Director, ut veritatem hanc memorato casui applicet, ac Tironem suum in eadem ipsi persuadenda juvet, nempe quod perversæ ipsi Societates sint fugiendæ, poterit illi dicere. *Nonne agnoscis, quod malas Societates frequentans nec Deum ames, nec laudes, nec ipsi servias? non amas ipsum, quoniam ita inimicis ipsius adhæres: non laudas, quia talibus utendo colloquia misces, quæ vergunt ad despectum ipsius: nec ipsi servis, quia voluntati ipsius repugnas, cum iisdem, aut earundem causâ admittendo talia, quæ ipse prohibet: Quare, cum hujusmodi personis dum conversaris, non operaris secundum finem ad quem Deus te creavit, sed eidem contravenis.*

Ulteriùs ut ipsum conducat ad propsitum tales dese-

rendi, poterit sequenti modo ipsum alloqui: *Itaque cùm intellectu sis persuasus, quod à malorum consortio tibi sit abstinendum, per voluntatem resolve ab illis abstinere. Et in hunc finem.* Primò *dolorem elice de illis hucusque frequentatis.* Secundò *propone deinceps non amplius tales accedere.* Tertiò *in colloquio Meditationis ora Deum, B. Virginem, & Sanctos, ut propositum exequendi vires tibi largiantur.* Quartò *media in hunc finem apta etiam elige, & Communionem aliquam Ex gr. eò dirige, castigationem corporis, eleëmosynam, gestationem cilicii, jejunium, visitationem Ecclesiæ &c.* Quintò, *dum perversos socios videris, qui se tibi volent adjungere, illis visis, dic in corde ad Christum: Adjuva me, ne his me associem. Deinde aut inquire excusationem aliquam, ne necesse sit, ut te iis immisceas; aut generoso animo ipsorum societatem detrecta.*

Secundùm punctum ejusdem Meditationis: *quòd res cæteræ super terram creatæ sint, ut hominem juvent ad memoratum finem consequendum.* Diligens Director hanc etiam veritatem Tironi suo instruendo applicari poterit, ut ipse sibi persuadeat; quòd virtute illius malas Societates fugere debeat, dicendo, Ex.gr. *quòd si propositum punctum veritati est consentaneum, sique certum etiam est, quod malæ societates non te juvent ad finem tam nobilem consequendum, sed quod ab eo te potiùs impediant; etenim inducunt te ad Deum offendendum & in cæli amittendi periculum: quare si tibi cordi est* (quemadmodum cordi esse debet, memorati finis consecutio) consortiis hujusmodi tibi est renunciandum. *Ut ad executionem illius, quod iam persuasum Tironi est, ipsum excitet, poterit director pergere sequenti modo.*

Quod si itaque ex altera hâc ratione INTELLECTUS tuus agnoscit, quod à malis sociis cavere debeas, propone tibi iterum à talibus abstinere, & in colloquio te denuo Deo commenda, ut in executione te adjuvare dignetur. Propone interim firmiter nunquam tales sub quocunque colore sectari, statue eos fugere, uti & loca, in quibus convenire consueverunt:

Denique Tertium punctum est: *Quapropter debemus absque*

bſque differentia nos habere (prout libertati arbitrii oſtri permiſſum eſt, & non prohibitum) ita , ut quod in obis eſt, non quæramus ſanitatem magis, quàm ægritudi- em, neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam ongam brevi præferamus: Ex hac veritate poterit Di- ector deducere ſequentem applicationem ; nempe , uòd inſtruendus ipſius perſuadere ſibi debeat, malas ocietates ſibi eſſe devitandas, dicendo ſequenti modo; *Quòd ſi mihi opponas , ſocios hujuſmodi eſſe ad tuum ge- ium, eſſe tibi utiles, eſſe in honore conſtitutos , offenſam te incurrendam, damnúmque ſubeundum , ſi eorum con- ortio abſtinuerit ;* Reſpondeo tibi, *quòd virtute contentæ n hoc puncto veritatis , in hominum ſocietate aliud quæ- ere non debeas, niſi, ut te ad finem creationis tuæ aſſequ- n- um conducant ; cætera autem curare nihil tuâ interſit.* Hæ ſimiléſque reflexiones à Directore poſſunt proponi d perſuadendam intentionem Exercitanti eam, quam ſibi propoſitam habere debet. Ad VOLUNTATEM por- ò ipſius exſtimulandam, ut id , quod jam anteà illi per- uaſum fuit, amplectatur, eâdem utatur methodo, quâ uſus n præcedentibus duobus punctis.

Hæc minutatim excuſſi ; ratus , hæc folia à Directore forſan nondum ſatis experto legenda eſſe, &c, ſi non aliud hinc eſſet lucraturus , aliquod ſaltem lumen inde percep- turum , quomodo ad Tironem adjuvandum cooperari poſſit ; ipſi autem , ſi negotium hoc utiliſſimum proſe- qui voluerit, pro certo habeat , varia in ipſo deſiderari. *Primum* quidem eſt, ut commodis illius , qui inſtructioni ipſius eſt commiſſus ſtudioſè invigilet , & profectum il- lius cordi ſibi ſumat ; nec ſatis ipſi ſit , quòd nudum Ex- ercitantis nomen habeat. *Secundum* eſt ; ut particulari- bus ipſius neceſſitatibus inſtar Medici infirmorum ſuo- rum ſalutem curantis , attendat ; unde utiliſſimum fue- rit, confici ab ipſo parvum aliquem catalogum tam de- fectuum, quos extirpari optabit , quàm virtutum , quas

exer-

exerceri desiderabit,ad quem finem referat jam hanc, jam illam ex veritatibus illis,quæ in Exercitiis, tum contra vitia,tum pro virtutibus adducuntur : *Tertium est*; ut ipse priùs contentum Meditationis, quam aliis est propositurus,fuerit meditatus. *Quartum est*; ut gratiam à Deo petat agnoscendi,quâ ratione hæc,aut illa veritas apta medicina,contra hoc,aut illud vitium, vel pro dispositione ad hanc vel illam virtutem idonea evadat ; Quam ideam se. qui,aut perficere etiam volens,agnoscet ipse, nisi me fallo, qualibet die,aut in quavis Meditatione antidotum aliquod contra defectum quendam,aut subsidium pro virtute aliqua esse proponendum.

Unde consilium poterit capere hoc tempore matutino adjuvandi Exercitantem suum ad eradicandum *Ex. gr.* Amorem proprium , tempore autem pomeridiano ad extirpandam animi à proximo alienationem ; alio die poterit cum ipso pugnare contra Acediam , alio tempore contra invidiam , & sic de cæteris ; pro ut consideratis Personæ circumstantiis, conditione, gradu, ætate, occupatione, sexu, necessarium ipsi aut consultum visum fuerit &c.

Quodsi ita forent dirigendi, considerem, quod perseveraturi essent in bene cœptis ; cujusmodi loquendi modum semper intellectum volo cum divinâ gratiâ ; supposito etiam quod rationes æternas seriò perpendant , quæ intellectum talibus adhærentem corroborant atque confirmant,non autem exerceant tantùm affectus , quales ad modum florum speciosi quidem sunt, sed facilè languidi fiunt & flaccescunt. Hanc fuisse artem existimo S.Ignatii & ipsius sociorum, eorum omnium, qui potentissimâ illâ Exercitiorum machinâ corda tentârunt expugnare ; atque eum in finem hi,qui aut ex obligatione aut ex charitate Animarum saluti intendunt,dum aliquam auxilii Spiritualis animam singulariter indigam offendent, commendare illam conentur alicui, qui in Exercitiis S.Ignatii tractandis

est

est versatus, talemque ad frugem vitæ meliorem convertendum esse confido: An equidem in Meditationibus secundæ partis hujus Opusculi, & in Considerationibus tertiæ partis ista observaverim judicet, qui eas pervolvere non gravabitur; istud facere sum conatus, aut saltem facere prætendi, sistendo interim, quantùm potui, in eo, quod triplici hominum classi, pro quibus eas fusiùs, proposui, est commune. In iis, quæ adduxi hoc Paragrapho, Directori Tironum; sive seorsim, sive in Communitate ea obiverint, illisque potissimùm, qui Directore carent, ostendere volui, quomodo veritates universales possint applicari particularibus & diversis personis Directorem audituris, propriisque ac specialibus ipsorum necessitatibus Spiritualibus. Non prætendo hìc, ut meæ se quis instructioni alliget: verùm cupio solummodo campum aperire ad inveniendas plures alias, ac meliores industrias, pro Exercitiis Tironi facilibus, ac fructuosis reddendis; id quod non puto obtineri posse, nisi ipsi omnia minutatim proponantur: Spectabat illud Propheta, qui famelico panem per frusta, non integrum proponi cupiebat, inquiens: *Frange esurienti panem tuum.* Idem Christus supremus magister noster præstitit, ut, de quo legitur: *Accepit panem, & benedixit, & fregit; deditque Discipulis suis dicens: Accipite.* Matth. 26. Paucis volo dicere, quod regulæ, methodique singulæ cuivis sint conformandæ, accommodandæ, distribuendæ modo singulis proprio ac particulari. Quod si id fecerit Director, poterit illi, qui Exercitandus ipsi est commissus, dici: *fac hoc*, unde sequetur, & *facit*; utì bonus ille Centurio Evangelicus ajebat. Quòd si hanc viam neglexerit, exiguum fructum Exercitandi per ipsum capient; non quòd Exercitia S. Ignatii de se sint inefficacia; verùm quòd Director aut non intelligit, aut non curat, juxta capacitatem Exercitandi, ipsi cooperari, pro ut oportet.

Hucus-

Hucusque videor mihi dixisse ea, quæ propriè quadra Commoditatibus Personarum meditandi adhuc imperit propriúmque in communi habitatione cubiculum, ad qu se recipere possint, obtinentibus: modò ad alias Comm nitates descendam, quæ ex inexpertis etiam Personis co lescunt; verùm, quæ, domo suâ egressæ, in Oratorio al quo, aut Ecclesiâ congregantur: neque aliud hîc add cam, quàm quod in nobilissima Civitate Bononiensi fie vidi, in Congregatione Adolescentum sub directio PP. Societatis JESU, qui omnes Celebris illius Unive sitatis erant Alumni: mihique persuadeo, quòd e narratione eorum, quæ illic acciderunt, Director, quocum hîc mihi sermo, sufficiens lumen sit acquis turus.

I.

Itaque Adolescentes, qui, sepositâ quâcunque, etia Studiorum, occupatione, trium, octo, aut decem dieru tempus, Exercitiis Spiritualibus impendere constituerun hanc suam voluntatem P. Præsidi Congregationis ap riunt. Ipse deîn considerat, an tales sint, ut seria & constan ad opus hoc animi applicatio de ipsis sperari possit; dúm que de hoc securum se existimat, instruit ipsos, quid si hæc Exercitia, quis illorum scopus, & in summa de iis, qu in 1. parte hujus operis sunt commemorata. Deinde do cet ipsos artem meditandi; idque octo aut decem diebu ante eorum in ipsa ingressum; necessarium enim videtu ut verè & non apparenter tantùm sciant, quid in iis s præstandum; id quod difficulter obtinendum, si debitu pro intelligentia hac haurienda spatium ipsis non indu geretur; quin si octo aut decem dies in hunc finem no sufficerent, amplius huic instructioni spatium tribuendu foret, intra cujus decursum explorandum est, quem fece rint progressum.

II.

Interrogantur, an permissu etiam Parentum aut Superiorum occupationem hanc, absque offensa, amplecti audeant; & an ab omni ita negotio sint expediti, accuratam horarum, functioni huic assignatarum observantiam, sibi possint promittere. Dum P. Præses nullum obstare impedimentum deprehendit, ad Exercitia memorata ipsos admittit.

III.

Conveniunt inter se Exinde die, quo initium oporteat facere; pridie autem illius diei, à prandio, congregantur in Oratorio, modo tali adornato, ut devotionem, & compunctionem conciliet; ad quam non parum confert, si ad lampadum aut candelarum lumen, clausis fenestris, res illa sacra transigi possit. Hîc ante Crucifixum genuflexi, actus illos pietatis, in quos Præses ipsis præit, obeunt; cujusmodi est invocatio S. Spiritûs per Hymnum: *Veni Creator Spiritus* cum Oratione: & B. Virginis per Orationem: *Sub tuum præsidium*: Angeli Custodis per *Angele Dei*: S. Ignatii per *Pater & Ave*. Elicitur ad hæc recta intentio dictâ oratione: *Actiones nostras &c.* Denique Præses devotè & altè verba profert superiùs posita: DILECTISSIMI: DEDIMUS CORPORI ANNUM; DEMUS ANIMÆ DIES: IMPENDIMUS TEMPORA NOBIS, DEPUTEMUS TEMPUS AUTHORI: VIVAMUS DEO PAULULUM, QUI SECULO VIXIMUS TOTUM; SEPONAMUS DOMESTICAS CURAS. Quibus dictis, cæteri, unà cum ipso, terram osculantur.

IV.

Componunt se omnes ad sedendum, & Pater brevem sermonem habet, illud exponens, quod aptum ei videtur ad fructum hoc è secessu eliciendum. *Singulariter* ipsis inculcat, constantiam & exactitudinem requiri in hoc opere, ne fastidio, quod Dæmon illius interrumpendi studiosus amat excitare, occasio detur: siquidem certum est, quod perseverantia, præscriptorumque omnium observantia operis hujus sit corona; cùm enim methodica sit ac regularis, poscit, ut operatio una, conformiter regulis, alteri succedat; ut quælibet effectum suum sortiatur, & juvet. Quare is, qui illam interrumpit, & qui non est accuratus, procedit talis ad modum illius, qui non prosequitur sumptionem medicamentorum, quorum unum post alterum ab eo, qui juxta artem curat, propinatur; quique non observat minutias, quas Medicus tempore curæ præscribit. *Adhortatur ipsos* ut quisque ad finem illum particularem, quo magìs sibi indigere videtur, Exercitia referat. Ut plurimùm autem quilibet illum Patri in Charta descriptum affert, dumque expedire judicat, singulorum intentiones, tacito Authoris nomine, publicè affigit, ut ita mutuò excitentur ad similia desideranda, qualia alter ab altero intendi videt; suggerit, ut actiones illas bonas, quas obituri sunt, uniant cum meritis Christi, Ex. gr. cum secessu ipsius in desertum ad 40. dies: *adhortatur* ipsos ad confessionem ante initium Exercitiorum faciendam. Refert quæ ab omnibus opera sint obeunda quotidie tam, quando unà in Oratorio congregantur, quàm à singulis Domi in particulari, ne postea illa ceu nova occurrant; præ omnibus autem ipsos *precatur*, ut sincerè cum Deo agant, tanquam si morti forent vicini; ita enim ex Exercitiis fructum esse percepturos; Denique ipsos *animat*, ne

ne auditis tot minutiis terreantur, siquidem in praxi, quàm sint utiles, tam faciles evadant; quandoquidem & adjuvandi sint ab ipso, ut sine fastidio illas valeant in opus redigere.

V.

Suspenditur Catalogus, quo continentur actiones, quæcunque tam matutino quàm pomeridiano tempore, sunt exercendæ, ad quamlibet inchoandam signum dat persona, ad hoc deputata, quæ non vacat Exercitiis, solétque esse Sacerdos, dum talis haberi potest. Statuitur & alius Sacerdos, qui assistat ad portam, ac denique tertius distribuit folia (in quibus descripta est Meditatio, qualis diversa pro varietate horarum ac dierum est facienda) utì & libros, è quibus sumenda est lectio Spiritualis; monetque, ut tam folia quàm libros suo tempore restituant.

VI.

Primâ Exercitiorum die omnes in Oratorio ad S. Synaxin accedere solent.

VII.

Ad excitandam memoriam devotam rei illius, quæ his diebus in hoc Oratorio tractatur, ad januam illius affigitur Charta magno charactere descripta verbis sacræ Scripturæ, desumpta ex vigesimo tertio Capite Levitici: FERIÆ DOMINI, QUAS VOCABITIS CELEBERRIMAS ATQUE SANCTISSIMAS, OFFERETISQUE IN EIS OBLATIONES DOMINO, HOLOCAUSTA ET LIBAMENTA JUXTA RITUM UNIUSCUJUSQUE DIEI. In altera charta prostant descripta verba ex prima Annotatione ipsius libelli Exercitiorum S. Ignatii, quibus erudimur quid verè sint Exercitia; verba autem sunt sequentia: PRÆPARARE, ET DISPONERE ANIMUM AD TOLLENDAS OMNES AFFE-

CTIONES MALE ORDINATAS, ET IIS SUBLATIS A QUÆRENDAM ET INVENIENDAM DEI VOLUNTATEM CIRCA VITÆ SUÆ INSTITUTIONEM, ET SALUTEM ANIMÆ, EXERCITIA SPIRITUALIA VOCANTUR. Denique in altera charta ponuntur desumpta etiam ex Exercitiis ejusdem verba sequentia: EXERCITIA SPIRITUALIA PER QUÆ HOMO DIRIGITUR, UT VINCERE SE IPSUM POSSIT ET VITÆ SUÆ RATIONEM, DETERMINATIONE A NOXIIS AFFECTIBUS LIBERA, INSTITUERE. Serviunt hæc pia verba, ut quicunque Oratorium ingreditur, videat quis sit Exercitiorum horum scopus.

VIII.

In ingressu Oratorii quivis aspergit se aquâ benedictâ flectit genua, osculatur terram, recitat quinque Pater & Ave ante vulnera Crucifixi, expansis decenter manibus, eaque similiter osculatur, adhibet pro pœnitentia aliquod ex iis instrumentis, quæ solent exponi in aperto aliquo scrinio, aut in arculis aliquibus reponi. Inveniuntur illic varia uti & funes &c. Quorum aliquo è collo suspenso recitat orationem aliquam, idque ad se humiliandum coram Deo, ad excitandum dolorem, & compunctionem de peccatis suis, ad impetrandum lumen, veritates æternas agnoscendi. Commendat se Deo, ut gratiam ipsi, fructum ex Exercitiis percipiendi, in iisque absque fastidio perseverandi, concedere dignetur; dein se confert ad sedem, & in silentio, Meditationis initium exspectat; poterit interea legere librum aliquem pium, aut vocali sed modestæ orationi vacare; aut verò attendit ad ea, quæ publicè leguntur, aut recitat rosarium, quod ab omnibus simul altâ voce recitatur.

IX.

Dum Sacerdos aut alius ejus loco ad Meditationis folia distri-

iſtribuenda deputatus, Adoleſcentes maximam partem deſſe videt, diſtribuit ſingulis folia Meditationis mox faciendæ; conformiter ordinationi Præſidis, quibus diſtribuantur. s Sacerdos, deſtinatus ad dandum campanulâ ſignum, ulſat ſemel; altaque voce genuflexus dicit: *In nomine Domini fiat præparatio ad Meditationem; & deìn quivis enuflexus devotè Deum adoret capite, ut poteſt, profundiſſimè inclinato ante Majeſtatem, coram qua conſiſtit.* acerdos idem profundè inclinatus adorationis hujus exmplo præit, dicens: *Venite, adoremus Dominum: procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, quia ipſe fecit nos, nos autem Populus ejus, & oves paſcuæ ejus; adoremus Dominum: procidamus ante Deum.*

X.

Hiſce peractis, omnibusque in genua provolutis, comparet in medio Director, ipseque, fune è collo ſuſpenſo, ut in alio habitu compunctionis aut humilitatis ante pedes Crucifixi oſculatur terram, Chriſtique vulnera, & voce devota ſequentia profatur: Dedimus corpori Annum, demus animæ dies, impendimus tempora nobis, deputemus tempus auctori, vivamus Deo paululum, qui ſæculo viximus totum, ſeponamus domeſticas curas. Advenerunt nobis dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, & ad ſalvandas animas: adjuvantes igitur exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim: tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed in omnibus exhibeamus nos Deo in multa patientia, paratos ejus voluntatem facere, vacantes, & videntes, quoniam ſuavis eſt Dominus, nec habet amaritudinem converſatio ejus, nec tædium convictus ejus, ſed lætitiam & gaudium. Audiamus, quid loquatur in nobis Dominus, quoniam loquetur pacem iis, qui convertun-

tur ad cor, dicamus illi, Domine quid me vis facere? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, loquere Domine, quia audit servus tuus, Jerusalem, ergo, Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum.

Deinde, mutato aliquantulum tono, inquit: dirigamus intentionem ad Deum, & ad gloriam ipsius hodiernam diem referamus dicentes: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra Oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur, per Christum Dominum nostrum.* Dein attollit Crucifixum, & devotè eum osculans dicit: ut singulariter meritoria evadant, quæcunque bona cogitaturi, dicturi, aut facturi sumus, uniamus omnia cum pretioso sanguine Christi JEsu, & dicamus: *Domine in unione illius divinæ intentionis, quâ ipse in terris opera tua Deo obtulisti, hos dies Patri tuo æterno offerimus.* Addit: Invocemus operam B. Virginis, ut ipsa, quæ tantam in Exercitiis S. Ignatii partem habere dicitur, nobis assistat, ut fructum inde colligamus: *Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa, & benedicta.* Denique concludit, dicendo; Accusemus coram Domino peccata nostra, ut ita in divino ipsius conspectu humiliatis dignetur concedere gratiam, fructum ex Meditatione referendi, omnesque altâ voce exprimamus Confessionem generalem: *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* Quo finito ipse dicit: *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. R. Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, & misericors Dominus. R. Amen.* Statimque aut ipse, aut alius Sacerdos omnes aspergit aquâ benedictâ, in quem finem parata sit ad manum urna & aspergillùm. Quo facto

XI.

Manu tenens chartam,Meditationis faciendæ, legit tardè illius titulum,& dicit. *Ex.gr. Meditatio, quam modò sumus obituri, erit de fine, propter quem Deus hominem creavit: dein allegat fructum, qui ex eâ est capiendus dicendo.* Ex. gr. Fructus quem per discursum intellectûs, & per affectum voluntatis procurare debemus ERIT:efficax propositum vivendi conformiter fini illi, propter quem Deus,nos in Mundo constituit. *Oremus Dominum, ut in illo procurando nos adjuvet.* Quibus dictis, osculatur terram,idque confestim,priusquam quis se moveat.

XII.

Cui incumbit cura dandi signum campanulâ, pulsat & dicit: *Quivis modestè componat se ad sedendum, & cum attentione auscultet punctum Meditationis, quod leget & explicabit Pater.* Post quam allocutionem Pater osculatur terram, confert se ad locum sedendo destinatum,cæterisque sedentibus, legit tardè primum punctum Meditationis,illudque explicat pro ut Auditoribus suis aptum judicat.

XIII.

Lecto explicato puncto, is, qui habet curam signum dandi campanulâ, pulsat, & dicit: *Quivis amore Dei flectat,& attentè ac devotè meditetur punctum lectum, & explicatum à Patre.* Hâc factâ annuntiatione, omnes flectunt cum Patre genua,& instituitur Meditatio; is autem, cujus est dare signum,clephsydram vertit: verùm ita, ut non videatur, ne Meditantibus præbeat occasionem distractionis. Pater etiam omnes monet, ut ad recollectionem animi procurandam, & ad vitandum periculum circumspiciendi, in ipso actu Meditandi,manus oculis opponant.

XIV.

Audivi Directorem aliquem, qui pro majori Exerci-tantium adjumento cum ipsismet Meditationem perage-bat; id est, proferebat ore, ac devoto tono considerationes & cogitationes, quas Deus intellectui ipsius inspirabat & affectus, quos subministrabat voluntati; uti & propo-sita, quæ faciebat. *Ex. gr.* Punctum illud Meditationi de fundamento, aut fine, propter quem Deus hominem creavit; Meditans dicebat: *Deus creavit hominem ad no-bilissimum illum, & utilissimum finem: ut in hac vita ips-serviat, ipsum laudet & amet, ac denique, pro præmio, ip-somet gaudeat æternùm in altera.* Atque, hoc dicto quasi memoriam sibi refricans puncti, ad Meditandum propositi, nonnihil hærebat, ut hi, quos instruere cogita-bat, illud simul animo repeterent; deinde id quod intellectu ponderaverat, altè proferebat, dicens in hunc modum *Beneficium illud, cujus mihi memoriam refricavi, nem-pe quod Deus me creaverit, est valde grande.* Iterum hìc sistebat paulisper, ut & alii meditarentur, dicebatque (verè grande est beneficium, quod Deus me honoraveri præ tam multis Creaturis, quas non creavit ad tam nobi-lem finem) hìc quiescebat, deìn rursus prosequebatur: *Nec Sol, nec Luna, nec Stella ad finem talem sunt creata, qui de eo dubitet?* Deìn tacebat; ac denuò pergebat: *splendent gyrantur, influunt in terras, verùm per actiones suas mereri nequeunt, & hinc nullo modo ita Deo servire pos-sunt, ut pro mercede gaudium de ipso in Cœlo referre valeant.* Hìc iterum sistebat, ac porrò pergebat: *O quanta mea est dignitas! magna certè & excelsa.* Hìc interpo-nebat pausam & iterum sermonem resumebat: Et quid meriti refero, quod lucrum; Deo in hac vita serviendo, ipsumque amando? Exìn silebat nonnihil iterumque or-diebatur;

diebatur : (*gloriam æternam*) ad tempus iterum tacens porrò inchoabat : *Verùm quâ ratione hucusque actiones meas institui? quâ ratione servivi Deo ? quomodo ipsum laudavi? quomodo in vita mea amavi?* post moram nonnullam rursum loquebatur: *parum âh! parum Deo servivi, parum amavi, parum laudavi. Parum, parum: & fortè nullatenus. Toties enim ipsi displicentia feci, toties offendi.* Hìc brevissimo sistebat spatio, inquiebat autem: *sed, quî contigit?* & post breve silentium subjungebat: hoc contigit, peccando, id est, sanctissima ipsius mandata transgrediendo. Exîn post temporis alicujus spatium in hæc verba erumpebat: *O me miserum! & cur tam malè egi? eccur Deo non servivi, non laudavi, non amavi Deum? Eccur? dic anima mea dic, quare?* & post moram aliquam subinferebat: *Quia consensi tentationibus Dæmonis, quia obsecundavi passionibus meis, quia adhæsi malis sociis.* Et post breve intervallum. *O stolidum me! quam stultus, quàm amens fui! egi contra finem tam nobilem, gratiamque Dei perdendo; tantæ gloriæ jacturam feci, quanta mihi in cœlo promissa fuerat. Nunquid illud verum est?* hic sermonem iterum interrumpebat, ac deîn renovabat dicens: *nimis illud verum est mi amantissime Deus, nimis est verum! accuso & confiteor errorem meum.* Interpositâ brevi morâ redibat ad loquendum, aiens: *quid ergò mihi faciendum? itane pergam vivere?* adhæc faciebat, ut suprà: deîn cum affectu exclamabat; *Nequaquam, mi Deus, nequaquam ita pergam vivere; emendabo me, adjuvante Dei gratiâ. Volo incipere vitam tam excelso Creationis meæ fini conformem.* Hîc spatium relinquebat Meditantium affectui, & post breve silentium, sermonem resumebat: *Quid ad emendationem conducens faciam, quid faciam?* hærebat: moxque subjungens ajebat: *rogabo veniam Deū meum ac vitæ præteritæ condonationem. Doleo, Creator ac Redemptor meus, doleo, quòd non vixerim juxta finem, propter quem me condidisti: doleo, & quoniam te ad iram provocavi, humillime veniam deprecor:* rursum quiescens paulò post ordiebatur hâc ratione: *recogitabo, & examinabo, quis me impediverit, quò minùs ita vixerim, prout oportuit; & ab illo propono mihi cavere, quiscunque etiam fuerit:* iterum non nihil pausæ trahebat, tum in sequentia prorumpens:

video quod jam Dæmon, jam malus socius, jam visa, aut lecta mala exempla, ut plurimùm autem passiones meæ & voluntas mea perversa me fecerint prævaricari adversus nobilissimum illum finem, ad quem Deus me creavit: opportunum hìc iterum silentium captabat, quod & mox rumpens subjunxit: *Itaque mi Deus propono non consentire Dæmoni, dum me invitabit; propono mala exempla non curare: propono non legere malos libros: propono compescere passiones meas adhibitis etiam pœnitentiis; propono abnegare voluntatem propriam: mihique ipsi resistere omnique rei, quæ allicere me tentabit ad contraveniendum fini Creationis meæ.* Pausam hìc brevem adhibebat, ità pòst exorsus: *ità Domine; propono iterum, quod jam jam proposui & decrevi; est enim mihi serium, quia tibi placere imposterum constitui*, interruptum ad hæc sermonem prosequebatur hoc modo: *Verùm quia sine tua gratia proposita hæc mea observare nequeo, supplico tibi, mi JEsu, pro me Crucifixe, supplico tibi per pretiosissimum sanguinem tuum, ut me adjuvare digneris, dum occasiones, tentationes, amici invitabunt, & dum passiones me meæ oppugnabunt: adjuva me, bone Jesu, ne in propositis meis servandis deficiam.*

XV.

Id, quod exempli loco hìc adduxi, servit ad explicandum illud, quod volebam insinuare de Directore mihi probè noto, quòd is Meditationem cum instruendis à se Exercitantibus perageret. Et exploratum habeo, quòd Adolescentes ipsum audientes plurimùm juverit, levabat ipsorum laborem, servabat vigiles, attentos, animosos, & præ omnibus meditandi modum ipsos ita practicè edocebat. Unde adminiculo Meditationum hoc modo peractarum, multùm poterant proficere, in iis porrò proprio

prio Marte obeundis. Cui, non placuerit tantopere eas dilatare, poterit pauciora ſuggerere, pro ut ex circumſtantiis judicaverit convenire, quibus ſapiens Director meritò ſeſe accommodabit.

XVI.

Pro adjumento etiam magìs præciſo eorum, quos dirigebat, in fine cujuslibet puncti Meditati particulare aliquod eorum indigentiæ idoneum propoſitum adjungebat. Itaque finito puncto dicebat in omni ſimplicitate: *Virtute puncti jam meditati faciamus aliqua propoſita, & in ſignum, quòd quivis illa mecum faciat, pectus percutiat. poſtquam ego propoſitum fecero.* Id quod cùm familiariter dixiſſet, propoſitum annuntiabat dicens: *Ex. gr. Propono, O Domine, omnes actiones meas quotidianas, incipiendo à primâ matutinâ uſque ad ultimam ſive domi, ſive foris, ſive ſolus, ſive cum aliis verſatus fuero, cum rectâ intentione peragere, & ex fine illo, ut tibi ſerviam, te laudem, mihique per illas omni die aliquem gloriæ in cœlis gradum acquiram.* Quibus dictis pectus ſuum tundens ſubjungebat: *Tundant pectus ſuum.* Et nonnihil ſubſiſtens, pro dando ſpatio propoſitum confirmandi, ſubinferebat: *Propono etiam evitare illas occaſiones, quas, quoniam adivi, incidi in actiones contrarias fini, ob quem, O Domine! me creâſti, méque Paradiſo indignum reddidi.* Et poſt brevem iterum moram dicebat: *Tundant pectus ſuum:* & ipſe ſuum percutiebat. Servivit hæc methodus ad hoc, ut domum reverſi, ſcirent propoſita ſua in Charta annotare, ita enim modum illa faciendi dignoſcebant; experiebantúrque, quòd verè aliquid ſibi propoſuiſſent. Moneo, quòd hîc loci illa retulerim tantùm Exempli gratiâ. De reliquo quâ ratione Director ille, de quo mihi ſermo eſt, formam Conſiderationum, Affectuum, Propoſitorum, ſubinde variabat, ita quicunque in tradendis alteri Exercitiis occupabitur, noverit idem ſibi eſſe obſervandum:

XVII.

Dum Director judicat finiendum esse primum punctum, breve ad Dominum Colloquium instituat: repetendo res sparsas in Meditatione, & nominatim proposita facta. Deîn osculetur terram, & curet, ut constitutus det signum campanulâ, & sit unus qui dicat: *Unusquisque revertatur ad sedem, & cum attentione advertat ad secundum punctum quod legetur & explicabitur per Patrem.* Et in hunc modum procedit in unoquoque puncto, pro ut in hoc primo puncto monstratum est, & in quâvis Meditatione. Verùm monendum censeo Directorem, ut non anxietur, aut existimet, inviolabiles esse leges omnia illa, quæ hîc retuli. Quisque genium suum sequatur. Hìc fusiùs proposui id, quod oculis hausi, servitque pro instructione; quâ ratione conformiter rudium & inexpertorum capacitati possit negotium hoc transigi, tum ne tales omnino ab exercitiis excludantur, tùm ut his, qui ad illa fuerint admissi, ad fructum ex iis capiendum, Director possit esse subsidio; quandoquidem manifestum est, quòd faciliùs peccare possit, non præbendo se intelligibilem, quàm nimiam accurationem in explicatione adhibendo.

XVIII.

Explicato tertio puncto post consuetum colloquium expansis brachiis dicitur *miserere.* Quo actus quidam pœnitentiæ Deo offertur. Refricat dein Pater memoriam factorum propositorum, commendátque singulis, ut eadem domum reduces ibidem annotent, & dicit Ex. Gr. recordetur quivis propositorum, in hâc meditatione factorum, quæ fuerunt sequentia: N. N. N. N. hîc nominat ipsa proposita, quod servit pro renovandâ eorum memoriâ, & addit: quisque domum reversus amore Dei, atque animæ

suæ

ſuæ ſalutis in chartâ illa annotet: hoc modo terminatur prima meditatio, quo eodem reſpectivè procedit etiam in aliis.

XIX.

Finitâ meditatione is, qui ad dandum campanulâ ſignum eſt deputatus, dicit: *Quivis modeſtè, & in ſilentio, nugíſque omiſſis petat à Patre Directore pro particularibus ſuis defectibus aliquam pœnitentiam, atque amore Dei devotè illam exequatur.* Factâ hâc intimatione quivis accedit Directorem, eíque aliquem defectum ſuum modeſtè exponit, eo fine, ut [ſi quidem ſua ipſi prudentia illud dictaverit] publicam ei pœnitentiam injungat. Sæpe etiam adoleſcentes aliqui deſcriptum in chartâ defectum ſuum tradunt, pro eóque pœnitentiam poſtulant: Directórque, priùsquàm eum publicè prælegat, perlegit ſecum, illúdque agit, quod circumſtantiis conforme eſſe prudenter judicat.

XX.

Poſt peractas pœnitentias ſigno dando præpoſitus, inſonat campanulâ, dicitque: *Quivis amore Dei attendat lectioni Spirituali, faciendæ à Patre Directore, & à Deo gratiam poſtulet fructum inde percipiendi.* Quo dicto is, qui conſtitutus eſt ad diſtribuendum librum, è quo lectio facienda eſt, diſtribuit, & per mediam horam fit lectio Spiritualis.

XXI.

Peractâ lectione is, qui Deputatus pro dando ſigno campanulâ, dicit: *jam recitatur matutinum cum laudibus de B. Virgine tono ſimplici & devoto, & officium de S. Spiritu* [ſi quidem tempus ſuperfuerit, aliàs enim illud nec annunciandum, nec recitandum eſt] *ut ipſa nobis impetret, ille verò nobis largiatur gratiam exercitia fructuosè proſequendi, & in iis conſtanter uſque ad finem ſine*

faſti-

fastidio perseverandi. Quo dicto, aut ipse Sacerdos, aut quem ille ad hoc destinaverit, officia memorata intonat.

XXII.

Peracto cantu is, qui deputatus est ad dandum signum campanulâ, insonat, & dicit: *Quivis attendat ad examen, à Patre legendum, spectans consuetam cujusque vivendi normam juxta capita descripta in chartâ, quam distribuetur illa aut emendetur, aut perficiatur.* Factâ hâc denuntiatione is, cui incumbit cura distribuendi chartas, distribuit eas, in quibus continentur puncta pertinentia ad quotidianas adolescentum actiones. Mediam horam huic negotio impendit Pater, percurrítque modò unum, modò aliud, addendo de suo, quod aptum judicat, aut pro explicatione, aut pro remedio, aut pro exhortatione, eo pacto, ut finitis exercitiorum diebus, illa omnia excusserit, quæ adolescentibus agenda, aut in quibus hi solent delinquere; *Primò*, quidem, in quantum sunt Christiani; *Secundò* in quantum, Filiifamilias: *Tertiò*, in quantum studiosi; *Quartò*, In quantum Sodales B. Virginis. Examen hoc est longè utilissimum, in quo ad singula particularia descendi potest, incipiendo à tempore matutino usque ad Vesperum, suggerendo media fugiendi vitia, & eorum occasiones, præbendo remedia his, qui sunt lapsi, ostendendo methodum exercendi virtutes, sequendi inspirationes Divinas &c. atque ita communicando ipsis adjumenta pro omni Septimanâ, pro omni mense, pro omni anno, & alia hujusmodi. Intendat tantummodo Director enucleandis eorum, quos instruit, necessitatibus, Deúsque inspirabit ipsi, quod melius fuerit.

XXIII.

Hoc facto novum signum datur campanulâ, & deputatus

atus dicit: *Audiamus devotè sacrum Missæ sacrificium, ut Deus det omnibus gratiam perseverandi, & proficiendi in exercitiis. Qui voluerit confiteri, & communicare, utriusque perficiendi hìc habebit commoditatem, intereà dum Sacerdos se præparat: ad memoratum finem dicemus Litanias de omnibus Sanctis*, dein legitur Missa.

XXIV.

Peractâ Missâ, is, cui incumbit cura chartarum pro meditationibus distribuendarum, eam distribuit, in qua continetur nova meditatio: is qui deputatus est ad dandum signum campanulâ, dat illud, & dicit: *In nomine Domini præparemus nos ad ultimam meditationem hujus temporis matutini.* Hoc facto Pater osculatur terram, recitat: *Veni Creator Spiritus*, ac dein: *Sub tuum præsidium.* Post hæc chartam meditationis in manu præferens, legit ejusdem titulum, commonstrat fructum, qui ex eâ capiendus est, utì indicatum est numero XI. de reliquo fiunt illa, quæ indicantur numero XII. & sequentibus, quæ non est necesse hìc repetere: insinuo solummodò, quòd in fine hujus meditationis dicantur quinque Pater & Ave, expansis in crucis modum brachiis, in honorem amaritudinis & tædii quod JESUS sustinuit in oratione in horto, pro impetrandâ gratiâ ne concipiant tædium in decursu exercitiorum, & Pater dicit: *Domine JEsu Christe, qui in horto Gethsemani orans ad Patrem cœpisti pavere, tædere, & mœstus esse; sed in agoniâ positus prolixius orabas; te suppliciter oramus, per sudorem tuum, qui fuit, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, ut adjuves imbecillitatem nostram, ne tædio orandi à Dæmone victi mereamur reprehendi, sicut reprehendisti dormientes Discipulos, ad quos dixisti, siccine unâ horâ non potuistis vigilare mecum in oratione? qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

XXV.

XXV.

Peractâ hac meditatione, is, cui incumbit cura campanulæ, dicit: *Peracta sunt exercitia temporis hujus matutini, priusquam exeamus ex oratorio, quivis osculabitur terram, ac dein domum omnes concedent, conjuncti pro ædificatione, posito omni respectu humano, & adorato Venerabili Sacramento ad impetrandam ab ipso veniam defectuum hoc tempore matutino admissorum. Visitent deinde aram B. Virginis summâ cum modestiâ, dicendo:* Ave Maris stella *sistendo nonnihil ad verba;* Monstra te esse matrem: *orando:* sub tuum præsidium, *ad obtinendum donum perseverantiæ pro reliquo exercitiorum tempore, ne quis fastidio occupetur, sinátve se vinci à vano prætextu occupationum transigendarum. Visitent etiam omnes simul bono ordine & cum modestia ad eundem finem Altare S. Ignatii. Silentium observetur in egressu Ecclesiæ, aspersáque aquâ benedictâ, recta domum tendant, non hærendo in plateis, aut rebus curiosis intendendo, aut fabulas miscendo, Conferant se ad templum domui suæ proximè vicinum, visiténtque breviter venerabile Sacramentum. In ingressu domûs dicant unum:* Angeli Dei *ad genium suum tutelarem, unumque:* Pater, *in honorem Patroni nominis sui, aut alterius sancti Patroni magis dilecti, ad obtinendam gratiam bene transigendi tempus illud, quo domi manebunt, quivis recipiat se in cubiculum suum aut in locum quem poterit nancisci, domi maximè semotum, annotétque usque ad tempus prandii habita lumina, factáque proposita in oratione hoc tempore matutino, ad habendam materiam pro instituenda hodie conferentia Spirituali: recitet horas de B. Virgine, faciátque examen generale conscientiæ. In prandio omnes memores sint modestiæ, sobrietatis, & silentii, quantum fieri poterit, servandi. Si tempus super fuerit; relegat quivis chartas meditationum tempore matutino peractarum, aut alium quendam devotum librum; caput unum è Thomâ à Kempis, aut aliud simile:* Redeant hora N. N. *Et quivis in puncto adsit, ne exspectari ipsum sit necesse: visitet Sanctissimum Sacramentum in Ecclesia, priusquam revertatur, referat chartas meditationum peractarum, quas domum per-*

ermittitur conferre, tùm ut relegere, tùm ut prælegere oſſit aliis, ſi fieri potuerit, aut domi legendas dare, pro Spirituali ipſorum utilitate. Si indiguerit, capiat quietem aliquam, priuſquam revertatur. Quivis amore Dei, & B. Virginis ſit accuratus in rerum à me enunciatarum obſervantia. Congregatio, de quâ hîc oquor, habet parvas quaſdam arculas ſive cuſtodias, n quibus ſeorſim, & accuratè aſſervantur hæ, atque liæ informationes, quæ cuilibet adoleſcenti diſtribuuntur, plurimúmque conferunt ad conſervandam minutiarum harum memoriam, quæ interim minutiæ anima ſunt exercitiorum, ferviúntque ad fovendam Spiritûs recollectionem.

XXVI.

Poſt factam rerum harum annuntiationem Pater ſe diſponit ad dandam cum Crucifixo benedictionem, breve, plenúmque affectu verbum unum, aut alterum, prout aptum judicaverit, proferendo, ac deinde Deum orat pro dono perſeverantiæ per orationem illam S. Matris Eccleſiæ ſequentem: *Da nobis, quæſumus, Domine perſeverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus noſtris & merito, & numero populus tibi ſerviens augeatur, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Dat benedictionem, dicendo: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.* Et immediatè poſt ſubjungit: *Oſculabuntur Chriſti vulnera, bini & bini, ante januam. Quivis accedat magna cum modeſtia ad ſolvendum hoc redemptori ſuo tributum: abſtineant à nugis, prout quivis januæ fuerit vicinior, ita exeat; qui verò hic permanſuri ſunt, eant ad decantandum* Miſerere *reſpondendo, ad impetrandam veniam defectuum hoc manè admiſſorum, præcipuè pro illo, qui eſt magis tepidus, difficilis, ac negligens;*

ma-

magisque pronus ad defectum hodie committendum, ut Deus cor illius velit tangere, accendere, & defectum impedire: Hoc dicto quatuor ultimi in exitu ad osculanda vulnera Christi intonant: *Miserere*.

XXVII.

Pater exit ex oratorio cum Sacerdotibus, stantibus ad portam; iis nempe, qui sunt deputati tùm ad dandum signum campanulâ, tùm ad distribuendas chartas, & cum adolescente uno aut altero magìs modesto, qui pergunt post Patrem coram aliis genuflexis. Pater flectit, crucifixum ferens exaltatum intervallo aliquo à portâ, ne strepitus fiat, aut confusio, crucifixum autem tenet eo modo, ut adolescentes commodè possint sacratissima Christi vulnera osculari: affectuosâ & devotâ voce repetit hæc verba: *Amore JESU & MARIÆ, animæque vestræ salutis servate* CONSTANTIAM, MODESTIAM, & SILENTIUM *in plateâ*, ÆDIFICATIONEM *in Ecclesiâ, & domi*, EXACTITUDINEM *in revertendo horâ N. N.* Verba hæc tamdiu repetit, donec omnes sacra vulnera osculati fuerint. Unum, aut duos Sacerdotes aliosve deputat, qui ad Ecclesiam illos conducant, ipséque finitâ hâc functione, pergit eodem.

XXVIII.

A prandio eundem tenorem in omnibus servat, quem manè, nec in quoquam aliquid variatur, nisi in duobus punctis, *Primò*. Is, qui signum dat campanulâ, ubi manè annunciavit recitationem Matutini cum Laudibus, & officio de Spiritu sancto, à prandio sequentem facit allocutionem: *Recitantur Vesperæ, & Completorium de B. Virgine cum officio de sancta Cruce, & Stabat Mater dolorosa*. Reflectátque, casu quo pro omnibus his peragendis tempus non suppeteret, ne annunciet facienda, quæ fieri non possunt, juxta id, quod visum fuerit Patri Directori.

Secundo, ubi manè annunciata fuit Missæ auditio post examen de consuetâ vivendi normâ, à prandio annuntiatur conferentia Spiritualis per hæc verba: *Modo fiet conferentia Spiritualis ad mediam horam, in qua quivis proponet sensum aliquem Spiritualem de rebus, quas meditatus est hoc matutino tempore, vel hodie, ídque cum omni simplicitate, pro communi omnium profectu, pro ut à Patre interrogatus fuerit.*

Utilis est hujusmodi conferentia, potéstque institui modo sequenti. *Primò.* Pater potest interrogare unum post alterum, ut referat aliquid de rebus illis, quæ in animo ejus fecerunt impressionem; ipse verò paraphrasin aliquam poterit addere. *Secundò.* Poterit quæstionem aliquam proponere resolvendam: Ex. gr. quæ industria adhiberi possit pro evitandâ malâ societate? quodnam motivum videatur efficacius ad persuadendam confessionem, atque frequentem communionem? &c. sub finem etiam conferentiæ alicujus poterit proponere capita, in sequente conferentiâ excutienda: Ex. gr. optarem, ut in crastinâ conferentiâ ad sequentia puncta mihi respondeatur, quæ rogo amore JESU omnes, ut considerare velint: qualem se debeat adolescens præbere in conversatione? quomodo debeat se subtrahere inhonestis Spectaculis, ludis, & similibus? quomodo omni die possit tempus aliquod destinari pro oratione mentali? quomodo possit quis juvare animam periclitantis alicujus socii? quomodo vincendi respectus humani? hoc pacto adolescentes meliùs, quia præmeditatè, respondere poterunt. Tria autem moneo. Primum: ut instituatur conferentia de rebus horum, qui faciunt exercitia, propriis: conducétque ad hoc, si Pater seriò profectui ipsorum se applicaverit, eáque, quæ ex eorum sunt profectu, bene consideraverit. *Secundum.* Ut nunquam quæstio, aut loquendi modus ita procedat, ut ad particularem præsentium defectum alludat; sic enim transiret in satyram vi-

vitiosissimam, spectantem personas particulares, nec doctrinam proferret moralem, quæ illud enunciat, quod est proprium conditioni in communi auscultantium, éstque utilissima: siquidem illud proponit, quod ut plurimùm hujusmodi auditorum conditioni obtingit, & quod quivis sibi ipsi coram Deo diceret: Unde doctrinam hanc non socio, sed sibi ipsi applicat. *Tertium.* Ita formet interrogationem, ut interrogatus facilè queat respondere, nec confusionem suscipiat; ex quo eodem fine curare debet, ut initium faciat à quopiam, de quo certus sit, quod justum responsum sit redditurus; quod si autem præsens quis foret, de quo contrarium ominaretur, aut hunc non interroget, aut ad bene respondendum illum manuducat. Idque eam ob causam, quia opus tam utile non procedit destitutum debito decoro, quod omni profectò cum studio in hâc atque aliis communitatibus convenit procurare.

XXIX.

Finitâ conferentiâ annuntiatur recitatio Litaniarum B. Virginis ab eo, qui est deputatus ad dandum campanulâ signum, dicendo: *Recitabimus Litanias de B. Virgine pro felici exercitiorum progressu,* ac de profundis *pro animabus in purgatorio detentis.* Deinde annuntiatur nova meditatio, ac proceditur; ùt dictum numero XXV.

XXX.

Dum ultima meditatio Vespertina finitur, Pater ad pedes Crucifixi solet breviter repetere ea, quæ dicta sunt in meditationibus hujus diei, dicendo Ex. Gr. Domine, hodie consideravimus in primâ meditatione &c. Fecimúsque propositum &c. In secundâ &c. Quòd si hoc breviter & cum affectu fiat, fructuosa est talis repetitio? recitatur deîn *Miserere* expansis in crucis modum brachiis, uti suprá dictum.

XXXI.

XXXI.

Finitâ ultimâ meditatione (quæ est illa, quæ succedit conferentiæ, respondens meditationi matutinæ post Missam, supposito quod peracta sit lectio Spiritualis, atque Examen de consuetâ vivendi formâ) dicit in hæc verba: *Finita est (Prima, secunda, tertia, aut qualiscunque fuerit) dies exercitiorum spiritualium. Priusquam ex hoc loco egrediamur quivis reverenter terram osculetur, conferat se ad Ecclesiam, atque omnes conjunctim, pro communi ædificatione, bono ordine visitent Venerabile Sacramentum, recitentque:* Te Deum, *in gratiarum actionem pro acceptâ occasione diem hunc Deo, atque animæ propriæ consecrandi. Eodem bono ordine visitent altare B. Virginis, dicendo:* Ave Maris Stella *&* sub tuum præsidium, *pro obtinendâ perseverantiâ, similiter altare S. Ignatii; exeant cum modestiâ, & silentio ex Ecclesiâ, aquâ benedictâ aspersi, rectâ pergant domum, non hærendo in platea, aut rebus curiosis intendendo, aut fabulas miscendo; conferant se ad templum domui suæ proximè vicinum, petantque à Christo benedictionem pro hac nocte. In ingressu domûs dicant unum* Angele Dei *ad genium suum tutelarem, unumque* Pater *in honorem Patroni nominis sui, aut alterius sancti Patroni, magis dilecti, ad obtinendam gratiam bene transigendi tempus illud, quo domi manebunt, annotentque habita lumina, factaque proposita in meditationibus hodiernis: relegant chartas meditationum; tempus aliquod impendant examini pro confessione generali, recitent Rosarium cum domesticis, verùm cum devotione. Si tempus superfuerit, dicant officium pro defunctis, in cœna omnes memores sint modestiæ, sobrietatis, & silentii, quantum fieri poterit, servandi. Priusquam cubitum concedant, peragant examen conscientiæ; &, si commodum, utantur disciplinâ. Cùm ad quietem se conferunt, piam quandam cogitationem mente versent, faciantque propositum manè tempestivè è lecto consurgendi: dum noctu evigilant, proferant orationem aliquam jaculatoriam,* Ex. Gr. In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum. *Manè sint assidui in surgendo, primasque ad Deum cogitationes dirigant;*

 &, si

&, si quidem tempus permiserit, dicant septem Psalmos pœnitentiales. Veniant tempestivè horâ N.N. ut ipsos exspectari non sit necesse: referantur chartæ hodie usurpatæ. Servent silentium & modestiam in accessu: & priùs quàm huc accedant, visitent in Ecclesia Venerabile Sacramentum; dum autem huc intraverint, osculentur terram; exerceant actum aliquem humilitatis, attendant in silentio, aut sedentes, aut flexis genibus orantes, circa tempus incipiendi, post paululum binis & binis ante januam exhibebuntur sacra vulnera crucifixi, ea methodo, quæ hoc manè servata fuit. Quivis amore JESU *&* MARIÆ *memorata observet, ut exercitia cum fervore, fructu, & decentiâ peragantur, unde ædificatio in proximum redundet.*

XXXII.

Quibus dictis, Pater se disponit ad dandam benedictionem cum Crucifixo, cæteraque peraguntur, quæ dicta numero XXVI, & XXVII.

XXXIII.

Hæc forma servatur omni die, subindeque (dum Patri ità videtur) cum omni decentiâ ac devotione fit disciplina, modò à paucis, modò à pluribus, prout suaserint circumstantiæ; & alia hoc tempore peraguntur, qualia modò suggeruntur à Directore: modò dictantur à privata cujusque pietate. Nonnulli defectus suos in chartâ descriptos attulerunt, ut legerentur publicè, eorumque arguerentur; quorum postulatis modò Pater annuebat, modò contraibat. Nonnulli meditationem peregerunt expansis in crucis modum brachiis, alii fune appenso ad collum, Calvariâ manui insertâ pro majore sui confusione, ac humiliatione. Serviunt hæc ad ædificationem sociorum,

rum, & ad obtinendam intellectûs illuminationem, tene-
rumque voluntatis affectum.

XXXIV.

Dum à pœnitentibus petuntur pœnitentiæ pro defe-ctibus, quorum adolescentes se accusant, capit hinc Dire-ctor occasionem defectum aliquem particularem non tan-tùm carpendi & detestandi, sed & suggerendi media com-pendiosa illum vitandi & oppositam virtutem exercendi. Quin & subinde imponit ipse pœnitentias pro defectu, li-cet is, qui desiderat pœnitentiam, de eo se non accusaverit, in quem tamen pronum est ipsum incidisse V.G. pro men-daciis in genere, pro omnibus respectibus humanis, pro neglecta debita reverentia in Ecclesia &c. ubi moneo, ut mentio tantùm fiat de defectibus propriis ipsorum condi-tionis, deque ejusmodi, qui non valeant inhonestas species excitare. Quem in finem non nominanda peccata Sanctæ puritati repugnantia, nisi terminis, dum necesse fuerit tan-tùm generalissimis. Director, qui hac industriâ pruden-ter usus fuerit, poterit per decursum exercitiorum defe-ctus, exercitantium proprios, suavi modo corrigere; utì & antidota ad eosdem cavendos præscribere, modumque vir-tutes oppositas exercendi insinuare: poterit hac occasio-ne commendare adolescentibus modestiam, obedientiam erga superiores, devotionem, frequentiam Sacramento-rum, seriam ad studia animi applicationem, fugam lusûs, malorum sociorum, & quid non?

XXXV.

Ultimo exercitiorum die (sive hi ad tres, sive ad octo sive ad decem dies limitati fuerint) is, qui signum dat cam-panulâ, in modum sequentem dicit: *Cùm hæc sit ultima vespera exercitiorum Spiritualium, præter ea, quæ reli-*

quis diebus sunt commendata, commendatur singulis, ut omnes & singuli cras in hoc loco ad sacram Synaxin accedant: rogantur omnes, ut secum adferant libellum, in quo sensus pios factaque proposita descripserunt, ut eadem in sacro missæ sacrificio Altissimo possint præsentare, uti & libros hic acceptos & paginas meditationum. Porrò destinatus ad distribuendas paginas Sacerdos, distribuit hoc tempore illam, quæ inscribitur PRAXIS pro ultima die, continetque industrias aliquas ad conceptum fervorem conservandum idoneas: deinde modo consueto dimittuntur; chartamque hanc legendam, domum secum conferunt.

XXXVI.

Manè altero tolluntur ex oratorio illa, quæ spirant aliquid horroris; Crucifixus tantùm remanet, & aperiuntur fenestræ; sub auroram fit meditatio more consueto. Quâ absolutâ, pater confidens, sedentibus etiam reliquis legit chartas à quolibet allatas; nulloque nominato, altâ voce legit pios sensus, factaque proposita; prout sua ipsi prudentia dictaverit. Post hæc recitatur officium sancti Spiritûs, ad obtinendam gratiam exequendi facta proposita: postea pater legit memoratam supra PRAXIN pro ultima die; exhortatur omnes, ut tempore Sacræ missæ & communionis proposita sua Deo offerant, dicitur missa, & fit communio. Exinde pater colloquium aliquod pro gratiarum actione ad Deum instituit, eo modo atque affectu, qui ipsi videbitur aptissimus: quo peracto, aptum judico suo habet exhortationem: distribuit cuilibet sententiam aliquam ex sacra Scriptura, qualem sors tulerit; adjungit aliquam admonitionem; admonet Ex. gr. ut veritatem aliquam Christianam quotidie meditentur: Rogat, ut assidui sint in frequentandis Sacramentis, in recitando rosario & officio Beatæ Virginis, commendat pietatem erga Christum patientem, animasque

máſque in piacularibus flammis detentatas; hortatúrque, ut curent ſe adſcribendos Congregationi alicui dictæ à pœnitentia. Denique tono devoto, ſed interim alacri, canitur *Te Deum laudamus*. Præbentur Sacra Crucifixi vulnera in oratorio oſculanda, & director cum eodem impertitur benedictionem; commendátque, ut reliquum diei tempus in Devotionis exercitia inſumatur, atque Ecclesia aliqua Divæ Virginis cultu ſingulariter celebrata frequentetur; ut domi, in ſcholis, in Sodalitatibus, in omni denique ſua converſatione ſpecimen præbeant, quod exercitia Spiritualia obiverint. Inculcat omnibus potiſſimùm, ut ab omni verborum indecentia ſeſe abſtineant; demum unà omnes cum Patre ſe conferunt ad Eccleſiam; viſitaturi Venerabile Sacramentum, altare Beatæ Virginis, & ſancti Ignatii. Cum modeſtia & ſilentio omnes egrediuntur, peractáque cenſentur exercitia: nec omittet inſinuare, ut dum vita ſuperfuerit, inſequente etiam anno exercitia velint obire.

XXXVII.

Hic eſt elenchus rerum uſitatarum: interea diffiteri non poſſum, quòd & multæ aliæ occurrant devotiones, quas circumſtantiæ ſuggerunt, ac Spiritus Sanctus non minùs Directori, quàm adoleſcentibus inſpirat.

XXXVIII.

Congregatio, de qua hucuſque mihi ſermo fuit, locum habet exercitiis Spiritualibus deſtinatum; qui opportunitatem ipſis præbet eadem obeundi, non ſolùm diebus quadrageſimalibus, ſed etiam antecineralibus, atque alio quovis tempore: cujuſmodi eſſet, dum aliqui ſtatum vellent amplecti religioſum, ut veritatibus æternis per dies aliquot meditandis ad Religionis Tyrocinium ſe præparent aut dum quidam majus aliquod officium in congregatione ſunt adepti, ut eidem meliùs

præesse norint ; aut dum alii se disponunt ad gradum in facultate aliqua suscipiendum ; aut verò dum ad præsbyterium se sunt præparaturi : aut dum longum iter sunt ingressuri, vel in patriam redeundi gratiâ, aut cujuscunque demum negotii conficiendi causâ.

XXXIX.

Adest , & assistit illis semper Pater Congregationis , neque unquam à congregationis illius oratorio abscedere consuevit : hinc expeditus semper est ad excipiendas confessiones ipsorum generales (quæ amplus sunt horum exercitiorum fructus) paratus & ad omnem nutum : sique ipsi tempore exercitiorum non possent negotium illud expedire, datur ipsis commoditas, eisdem etiam absolutis, illud peragendi. Atque ita nulla etiam ab ipsis directio desiderari potest pro necessitatibus eorum sive quoad orationem, sive quoad solutionem dubiorum, atque alia istiusmodi ; cumque Pater semper sit præsens, non est verosimile , quod quid malè ordinatum sit tentandum : cui ut occurratur, (quemadmodum ipse in ingressu ad memoratum locum omnes prævenit, curaturus, ut omnia sint disposita, priùsquàm adolescentes illuc accedant, ne occasio præbeatur distractionibus, & turbationi recollectionis) ita ipse in exitu est ultimus.

XL.

Experientia docuit, quòd, quò major est (certos tamen intra limites) exercitantium numerus , tantò & major evadat fervor. Rerùm quodque fructuosarum varietas tædium omne atque fastidium propulset ; etenim dum juventus tota die occupatur , & verè , ac re ipsa nec solùm ad speciem exercitia peragit , dum intellectum perinde veritatibus æternis convincit , ac voluntatem affectibus ad opus ipsum inducit , non est locus extraneis cogitationi-

onibus, & vix reperitur, qui tædio afficiatur, prout expe-
entia commonſtravit. Expedit etiam, ut cuique charta
neditationis tradatur, in quam dum oculi figuntur, intel-
ectus etiam continetur, atque ita attentio non diſtrahi-
ur, & ſomnus evitatur: & quanquam alius hinc fructus
on eſſet eliciendus, conſequitur tamen ille, quòd, dum
æpius à quolibet meditatio percurritur partim dum Pater
lam explicat in oratorio, partim dum adoleſcentes medi-
antur, partim dum domi meditatio relegitur, quivis fa-
illimè animo illam imprimat.

XLI.

Meditationes, quarum paginæ cuilibet diſtribuuntur,
unt adaptatæ ſacræ ſolitudini, faciles, & Adoleſcentum
rofectui accommodatæ, nec nimiùm prolixæ, ne fatigen-
ur animi; nec nimis ſuccinctæ, ne per defectum, medita-
iones, evadant ſteriles & aridæ. Et ſunt plenæ veritatibus
Chriſtianis, mixtis affectibus. Præludia proponuntur à
Patre, prout ipſi utile videtur.

XLII.

Placet hìc mihi inſinuare, quòd in traditione exercitio-
um Spiritualium multis ſimul congregatis facienda, per-
ſonæ multæ poſſint occupari; poterit una adhiberi ad di-
tribuendas meditationes; altera ad prælegendam Lectio-
nem Spiritualem; alia diſpertiendis pœnitentiæ inſtrumen-
is occupari; alia etiam excipiendis ſimul confeſſionibus.
Quod notandum exiſtimavi, ne quis ab exhibenda hac
proximo ſuo charitate, timore nimiæ fatigationis ſe ſub-
rahat. Verum interim eſt, quod ſive plures, ſive unicus
ſolus ſit occupandus, à prudentia illius qui operam ſuam
navat, multum dependeat, quodque ad hoc requirantur
perſonæ, quæ ejuſdem ſint animi atque affectûs, uno corde
ad Dei gloriam conſpirantes.

XLIII.

Animadverto etiam, quòd quanquam utile magnopere sit, quemvis chartam meditationis oculis habere obversantem (id quod ideæ S. Ignatii est conforme) si tamen commoditas ista haberi nequeat, exercitia propterea non sint intermittenda; potest defectus iste suppleri voce; maximè si exercitiorum Director assistere voluerit modo illo, quem servari posse ostendi numero XIV.

XLIV.

Subindè hi, qui libros habuerant non satis castos, attulerunt eos, Vulcano tradendos; quorum dum numerus aliquis excrevit, publica illorum combustio multam excitavit devotionem inter cantum hymnorum & psalmorum facta: idem est factum, dum chartæ lusoriæ atque aleæ adductæ fuerunt.

XLV.

Nonnunquam distributus est libellus aliquis, quo continebantur ea, quæ tempore exercitiorum tractantur: multus hinc fructus extitit, siquidem ea quæ peragenda sunt, scripto edocti, faciliùs ea memoriâ tenebant.

XLVI.

Similis ordo utilis etiam esset futurus, si cum aliis communitatibus sæcularibus, licèt non forent illæ ex adolescentibus, compositæ, servaretur, quæ in eodem loco, sive in Ecclesia, sive in oratorio, sive in conclavi, aut intra civitatem aut foris in prædio collectæ fuerint: nec aliud requireretur, quàm ut variarentur reflexiones, adducendo eas, quæ propriæ forent statui eorum, qui exercitia obeunt, ex. gr. Sacerdotum, si Sacerdotes; Nobilium, si nobiles; Mercatorum, si mercatores; atque idem dicen-

dum

dum de aliis; atque in hoc, ut personis exercitia obeuntibus apta director dictet, maximè consistit illius Magisterium & perfectio; quæ quemadmodum non in omnibus juxta perfectionem reperitur, ita magnoperè communis est Patribus Soc. JEsu, siquidem exercitia Spiritualia sancti Ignatii vocationis ipsorum sunt propria.

XLVII.

Crederem, quòd meditationibus, aliisque in hoc Solitudinis Spiritualis opusculo præmonstratis quæcunque communitas etiam rudium & idiotarum absque alterius libri præsidio posset occupari; dummodo meditationes tono devoto, aptaque voce prælegerentur, pausam isthic faciendo, ubi talem faciendam director judicaret, addendo hinc inde reculam aliquam his, qui meditaturi cum ipso sunt, propriam. Posset etiam pro hoc casu meditationem unam aut alteram ex hìc adductis adhibere pro lectione Spirituali; utì & paginas, in quibus habentur considerationes; interea sicuti is, qui prudens est, id quod hìc insinuo per se ipsum intelliget; ita is, qui in hoc puncto deficit, non intelliget etiam, quantacunque à me fuerit adhibita explicatio.

Monita aliaqua utilia Directori Exercitiorum Spiritualium S. Ignatii.

SCitu quædam utilia Directori alterius in exercitiis futura mihi videntur, qualia etiam servire poterunt illi, qui tali destitutus sui ipsius Directorem cogitat agere.

Primum, quod S. Ignatius commendat, est oratio præparatoria ante initium meditationis aut orationis, cui vir Sanctus sæpe tribuit nomen EXERCITII: tanquam vellet dicere, quòd, cæteræ diei occupationes, quibus exercitans occupatur, sint exercitia Spiritûs ad animam perficienda ordinata, illud tamen orationis mentalis exercitium per excellentiam veniat

no-

nomine Exercitii. Vult itaque vir sanctus, ut, priùsquàm meditatio sive unius sive mediæ horæ sumat initium, brevis ad Deum precatio fiat, quâ ipsi supplicemus, ut omnes animæ nostræ vices atque actiones sincerè ad Dei glóriam & honorem conspirent. Hæc ipsa instituitur brevissimè.

Secundùm, quod Sanctus præscribit, est, ut post orationem præparatoriam fiant duo præludia, quæ aliud non sunt, quàm prævii actus ad operationes memoriæ & intellectûs, quibus duæ hæ potentiæ circa materiam meditandam sunt occupandæ. Primum consistit in certa methodo locum sibi imaginandi, eum in finem, ut nos ipsos reddamus attentos, mentisque evagationes præveniamus; quæ profectò tanto minùs evagabitur, quantò ampliùs anima orantis, loco affixa fuerit: hæc loci compositio, potissimùm est operatio nostræ phantasiæ sive virtutis imaginativæ; quæ, dum meditationis materia versatur circa rem corpoream, hoc modo facilè instituitur; ex. gr. Mysterium aliquod actionis Christi Domini meditandum occurrit, facile imaginabor mihi locum, in quo ista peracta fuit; uti in stabulo Bethlehemitico, in monte Calvariæ, in monte Oliveti, atque alia similia. Si autem id, quod considerandum occurret, fuerit incorporeum (qualis est turpitudo peccati) in compositione loci obvenit aliqua difficultas maximè tyronibus. Interea tamen subsidium poterit habere; & in proposita peccati turpitudine poterit anima mea concipi corpori meo corruptibili, tanquam carceri, inclusa, ipseque pariter homo poterit se sibi repræsentare ad hanc lacrymarum vallem, tanquam ad immunda animalia amandatum. Videtur & hic mihi director admonendus, ut, dum Tyroni suo materias hujusmodi incorporeas proponendas habet, propriâ intellectûs sui operâ atque industriâ ipsi succurrat, ut facilius talem compositionem sibi possit effingere, prout & ego in qualibet libelli hujus meditatione facere sum conatus.

Quòd

Quòd si debilioris ipsum esse phantasiæ compererit, non magnopere urgeat, ut se hoc in opere fatiget, esset enim ipsi molestus futurus: monere debet universim, huic loci compositioni non multum temporis esse insumendum (quòd præstandum sit paulò ampliore tempore, quàm in ipsam explicationem præludii insumptum sit) aliter enim facienda foret jactura temporis ipsi intellectus applicationi ac voluntatis propositis debiti. Secundum præludium consistit in precatione ad Deum, ad impetrandum id, quod mihi propono pro fructu meditationis: id quod in meditationibus propositis à me observatum puto, & partis hujus pagina —— & alibi à me explicatum, diductumque est ad allevandum fastidium tyronis in inquirendo.

Unde patet quod oratio præparatoria semper sit eadem, etsi meditationes fuerint diversæ, magnaque cum prudentia à Sancto Ignatio ordinatæ ad hoc, ut per rectam intentionem orationem nostram reddamus meritoriam, & ut acquiescamus sive ipsa cum gustu Spirituali aut sine illo successerit, præceditque ipsa præludia.

Tertium est, quòd Sanctus Pater præscribat applicationem sensuum. Id est, ut nobis imaginemur, nos videre, audire, odorari, gustare ac tangere res illas, quibus meditandis occupamur. Ex. gr. VIDERE ignem infernalem, atque animas eodem excruciatas: AUDIRE ipsorum lamenta, stridorem & blasphemias: ODORARI fœtorem magnæ hujus cloacæ: GUSTARE amaritiem lacrymarum, quas fundunt damnati, ac fellis, quod illis est ebibendum &c. TANGERE flammas, quibus torquentur &c.

Exercitium illud est UTILE & similiter FACILE: est UTILE, quia res repræsentantur vestitæ circumstantiis sensibilibus, quales animam, corpori huic immersam juvant ad amandum, aut verò ad fugiendum objectum,

pro-

prout ab eo ratio aut boni aut mali, aut delectabilis aut moleſti in ſenſum promanat. Eſt FACILE, quoniam non obligat ad meditationem, quæ eſt intellectûs diſcurſivi occupatio. Noto interim, quòd quando Sanctus Pater applicationem odoratûs ac guſtûs efflagitat etiam ad res ejuſdem incapaces, uti ad Myſterium incarnationis Chriſti Domini, ipſe tantummodo velit, ut rem nobis aut perſonam repræſentemus cum tali modo ac guſtu, teneroque ejuſdem amore, tanquam ſi in ipſa fragrantiam ac dulcedinem deprehenderemus; qualitates, quæ re poſſeſsâ gaudere nos faciunt.

Quartum eſt, quod Sanctus Pater meditationis ſubinde repetitionem commendet: id quod facit in exercitio Tertio & quarto. Verba hoc loci habet ſequentia: *Repetenda erunt præcedentia exercitia, notatis punctis, ſeu locis, in quibus majorem ſenſerimus conſolationem, deſolationem, aut aliam quamcunque Spiritualem affectionem; ac illis diutius, diligentiuſque immorandum eſt.* Quibus inſinuat, quod meditatio earum rerum ſit denuo reſumenda, lociſque illis ac punctis inſiſtendum, in quibus plus aut conſolationis, aut deſolationis experti ſumus: rationem ipſe addit, dum ait: *Ponitur repetitio hujuſmodi, veluti quadam eorum ruminatio, quæ meditatus ſum in exercitiis prioribus, ut ea continuò reminiſcendo, diſcurrat faciliùs intellectus ſinè evagatione*: ut ita veritates illæ profundiùs animo infigantur ac radicentur. Addo, ut in illis confirmemur, de quibus fuimus perſuaſi, & de illis nos convincamus, de quibus nondum perſuaſi fuimus; illa guſtemus, quæ nondum guſtavimus, aut quæ guſtavimus, guſtemus ampliùs, paucioreſque patiamur animi diſtractiones: quæ quia ita eveniunt, notatu digna ſunt.

Quare credo, Directorem utiliter pro ſuo tyrone facturum, ſi ipſi commendaverit, ut poſtquam meditationem abſolverit, chartam ejuſdem repentè perlegat, erit enim illud aliqua ejuſdem facta modo faciliori repetitio.

Ad-

Advertat etiam Director, quod in hujuſmodi meditationum repetitionibus, in quibus materiæ loco electum fuit illud, quod notabiles ſui ſpecies in nobis reliquit in materiâ aliqua magis amata aut non amata, percepta, aut non percepta, Sanctus Pater multum urgeat colloquia, quorum unum dirigatur ad beatam Virginem, alterum ad Chriſtum, tertium ad Patrem æternum, ídque ideo, quia cum meditans circa res meditatas intellectum habeat perſuaſum, occupare ſe magis poſſit in affectu, qui maximè excitatur in colloquis: ponuntur etiam ab ipſo repetitiones in tertiæ meditationis hora, id eſt, poſtquam in primis duabus præcedentibus horis id, quod fuit materia meditationis, primâ vice meditati fuimus.

Quintum eſt, quod Sanctus Pater proponat tres modos orandi, qui potiſſimum ſervire poſſunt per anni decurſum, toties, quoties rem aliquam fructuoſam facilique modo conſiderare voluerimus, ecce illum hic deſcriptum.

Primus modus orandi.

PRimus orandi modus deducendus eſt ex mandatis: ex peccatis ſeptem mortalibus: ex tribus animæ potentiis, & ex quinque ſenſibus conſideratis: unde non tam habet orationis formam, quàm exercitii cujuſdam ſpiritualis, per quod & anima juvatur, & oratio Deo redditur acceptior.

Priùs itaque, quàm hoc orem modo, juxta illud, quod tertiæ additioni æquipollet, ſedebo vel deambulabo pauliſper (prout ad animi quietem facere videro) penſitans apud me, quò mihi accedendum ſit, & quid faciendum. Hoc idem additionis genus ad omnem orandi modum præmitti debet.

Ora-

Oratio præparatoria, gratiæ contineat postulationem, ut mihi detur agnoscere, quidquid deliquero contra decalogi præcepta, méque imposterum emendare, intellectis illis exactiùs, & (ut par est) ad Dei gloriam & salutem meam solito cautiùs observatis.

Primò ergo mandatum quodlibet ordine discutiam, attendens, quo pacto servaverim illud, aut violarim; déque succurrentibus in memoriam delictis veniam precabor, recitando semel Pater noster.

Porrò in excutiendis singulis præceptis, satis fuerit insumi spatium temporis, quo ter posset oratio Dominica percurri. Notandum tamen, quod circa præceptum, cujus prævaricatio rarior nobis accideret, minùs immorandum esset; at eò amplius, quo lapsus fuerit ex assuetudine frequentior, ídque similiter circa mortalia peccata sit præstandum. Completo de præceptis singulis discursu, post mei accusationem & gratiæ implorationem, ut ea vigilantiùs deinceps custodiam, colloquium dirigam ad Deum juxta rei occasionem.

Secundò: Similem orationis modum prosequemur circa mortalia peccata post additionem & præparatoriam orationem, sicut fecimus in præceptis; nihil enim utrobique varium occurrit, nisi quod ad materiam attinet, cùm præcepta quidem servanda sint, peccata verò devitanda. Cætera eadem sunt, fiétque itidem colloquium.

Sciendum est: peccatorum, vitiorúmque notitiam juvari per contrariorum actuum & habituum considerationem; quapropter per gratiam divinam & piam quamlibet exercitationem laborandum est unicuique, ut virtutes sibi paret mortalibus peccatis septem oppositas.

Tertiò: circa tres animæ potentias idem sequitur progressus per additionem, orationem, & discussionem singularum, cum colloquio ad finem faciendus.

Quar

Quarto: circa quinque sensus corporis, nullâ remutatâ, præter materiam: ubi subnotandum est, quòd, si quis optet in sensuum suorum usu Christum imitari, debet in oratione præparatoria se ipsum super hoc Deo commendare, factæque sensuum singulorum examinationi Dominicam orationem subjicere; si verò similem affectet beatæ Virginis Mariæ imitationem, ei se commendet tanquam à Filio id impetraturæ, & salutationem Angelicam dum sensus excutit, identidem recitet. Hunc modum orandi S. Franciscus Xaverius commendabat animabus illis, quas dirigendas susceperat, diciturque subinde pro pœnitentia talem injunxisse pœnitentibus suis.

Pro Personis Religiosis potest idem dilatari, proponendo illis consideranda vota, & regulas proprii instituti.

Secundus modus orandi.

SEcundus modus orandi (*qui constat ex vocum orationis singularum perpensa significatione*) est: ut flexis genibus vel sedendo (pro habitudine corporis & animi devotione) oculis, vel clausis, vel defixis in partem unam, neque huc, & illuc motis, precationem Dominicam à principio recitemus, & in prima voce, quæ est, *Pater*, meditationis figamus pedem, quàm diu circa eam variæ nobis significationes, similitudines, spirituales gustus, & aliæ commotiones devotæ incident: & ità deinceps per singula ejusdem, vel alterius orationis verba factitabimus. *Cujusmodi sunt, qualia in officio, aut in sacra Missa S. Mater Ecclesia nobis proponit.*

Regulæ tres circa hæc servandæ.

Prima; Ut in tali precationis cujuslibet ruminatione, horæ spatium insumamus (si ità commodum fuerit) Ave Maria, Credo, Anima Christi, & Salve Regina, semel juxta communem morem, vel mente solâ, vel etiam voce percurrantur.

Secunda est: quòd si orantibus hoc modo nobis in una voce, vel duabus, meditatio affluat, & interna simul de-

lectatio, postponenda erit transcurrendi cura, licet hora tota præterierat, quâ elapsâ, reliquum orationis cursim recitetur.

Tertia: Ut quando ità contigerit, meditandæ voci uni, aut pauculis horam impendisse, postridie recitato breviter, eo, quod excussum fuit, ad sequentis verbi considerationem pergamus.

Post excussam verò ad hunc modum Dominicam precationem totam succedet salutatio Angelica: deinde alia atque alia oratio, ut sine interruptione, hæc orandi exercitatio procedat.

Adhæc oratione quâlibet sic completâ, personam illam, ad quam pertinebat, paucis compellabimus; virtutem aliquam, aut gratiam petentes, quâ maximè indigere nos senserimus.

Ad hunc secundum modum potest reduci consideratio sententiæ alicujus è sacra Scriptura, cujus verba sunt Divina oracula, eorumque meditatio est facillima. In hoc genere excelluit P. *Paulus Segneri, Soc. JEsu in libro, quem inscripsit hoc titulo* : Manna : *ostenditque quâ ratione locus aliquis Sacræ Scripturæ possit enucleatè expendi. Exercitii hujusmodi genus videtur mihi longè utilissimum: suadeo autem, ut Tyronibus proponantur sententiæ faciles, & quæ ut plurimùm ad praxin tendant, sive ad amorem virtutis, sive ad fugam vitiorum; ad amorem & timorem Dei; atque hujusmodi alia.*

TERTIUS MODUS ORANDI.

Tertius orandi modus (secundùm quandam vocum & temporum commensurationem) in eo consistit; ut inter singulas respirandi vices, singula Dominicæ, alteriusve orationis verba transmittamus, expensâ interim, vel significatione prolatæ vocis, vel personæ ad quam oratio spectat, dignitate, vel meâ ipsius utilitate, vel utriusque postremò differentiâ. Eodem modo procedendo in verbis reliquis. Addendæ quoque orationes suprà memoratæ: Ave, Credo &c.

RE-

REGULÆ DUÆ HUC SPECTANT.

Prior: Ut, finitâ juxta hunc orandi modum precatione Dominicâ ſumatur aliis diebus, vel horis Angelica ſalutatio, ſimili reſpirationum intervallo tractanda, cum aliis orationibus uſitato more recitandis.

Poſterior: Ut, qui hunc orandi modum exercere cupit diutius, ad eum applicet precationes omnes ſuprà dictas, ut earum partes, & paria ſuſpiriorum, ac vocum interſtitia obſervet.

Tertius hic modus orandi non differt à ſecundo, niſi tantùm in intervallo temporis; ſiquidem, dum orans diutius illic immoratur verbis, hic pauſas adhibet breviſſimas; hic modus ultimus ordinatur ad procurandam ac promovendam attentionem in oratione vocali; eſtque utiliſſimus illis, qui recitant horas canonicas.

SUMMARIUM.

Exercitiorum, quæ S. Ignatius in libello ſuo proponit iis, qui ad menſem iiſdem vacare volunt.

CUm hic loci aliud pro his, qui integro menſe vacant Exercitiis Spiritualib. S. Ignatii, præſtare non poſſim; materiam, quam meditandam ipſe præſcribit, breviter adducam. Quare non proponam materiam ipſis verbis S. Ignatii (Non enim aliud illud foret, quàm deſcriptio) neque dilatabo; verùm ſimpliciter tantummodò eas allegabo. Qui libri ipſius ſancti viri habendi cupidus fuerit, facilè eum obtinere poterit: qui earum etiam explicationem ulteriorem voluerit, non ægrè etiam Authorem ejuſmodi nanciſcetur. Poterit ad minimum inquirere meditationes P. Ludov. De Ponte; aut binos illos celebres qui in compendium ipſum redegerunt, Patrem Nicolaum Arnaja & Patrem Petrum Ximenez ex eadem Societate. E ſingulis hiſce tribus poterit haurire multa, quæ hic adducenda, & ab iis præclariſſimè amplificata, quæ à ſancto Patre breviter propoſita. Prodivit recentius libellus aliquis P. Fauſtini Lombardelli cujus propoſitum fuit eluci-

dare illa, quæ S.Ignatius in ſuo Exercitiorum Spiritualium libello adduxit; conatuſque eſt memorati libelli uſum faciliorem reddere, eo fine,ut integer illi menſis impendi poſſit. Non quidem magnæ molis eſt, maximæ autem claritatis,ſanæ doctrinæ medullam complectens. Non aliud hic præſtabo,quàm ut materiam, ordinemque dicti libelli Exercitiorum S. Ignatii ſuccinctè exponam.

PRO PRIMA SEPTIMANA.

Primò occupat S. Pater meditaturum conſideratione ultimi finis, ad quem ſumus creati.

Secundò occupat docendo modum faciendi examen conſcientiæ tum generale, tum particulare; quem idcirco tradit, ut finitis etiam exercitiis idem continuetur. Ideoque modi iſti non ad meditandum ſunt propoſiti, ſed ſolummodo pro inſtructione traditi, ad diſcendam eorum praxin.

Tertio occupat in diſpoſitione ad faciendam confeſſionem generalem, ſiquidem Exercitans eâ indiguerit.

Quartò conſideratione peccati Angelorum, Adami & Evæ, & aliorum,qui ob unum fortè etiam ſolum; aut ob multò minora perpetrata, quàm Nos commiſerimus, ad infernum ſunt detruſi.

Quintò conſideratione turpitudinis peccatorum, reflectendo ad ea, quæ quilibet ipſe commiſit.

Sexto. Conſideratione mortis,& Judicii particularis.

Septimo.Conſideratione extremi & univerſalis judicii.

Octavo. Contemplatione pœnarum Inferni, unà cum applicatione ſenſuum ad prædictas pœnas.

Nono. Conſideratione parabolæ de filio prodigo.

MONITUM.

Quanquam Conſiderationes de morte, Judicio & filio Prodigo in ipſo libello Exercitiorum S. Ignatii non ſunt deductæ, inſinuat tamen S. Pater, quod hæ poſſint etiam adhiberi pro purganda anima, & horrore peccati ingenerando.

SECUN-

SECUNDA SEPTIMANA.

Primo. Occupat S. Pater Exercitantem contemplatione regni Christi.

Secundo. Meditatione Incarnati verbi.

Tertio. Contemplatione Nativitatis ejusdem.

Quartò. Præsentatione Christi in templo.

Quinto Fugâ ipsius in Ægyptum.

Sexto. Meditatione de duobus vexillis.

Septimo. Meditatione triplicis hominum Classis, qui Deo cupiunt servire.

Octavo. Contemplatione Christi baptizati in Jordane.

Nono. Contemplatione Christi tentati in deserto.

Decimo. Contemplatione eorum, qui cum S. Petro & S. Andrea rebus suis abdicatis secuti sunt Christum.

Undecimo. Meditatione octo beatitudinum, quam Christus Discipulis suis prædicavit.

Duodecimo. Meditatione eorum, quæ fecit Discipulis suis navigantibus JEsus super aquas ambulans.

Decimo tertio. Prædicatione Christi in templo, quæ sumitur ex cap. 19. S. Lucæ.

Decimo quarto. De rebus circa Christum actis in die Palmarum.

Ad septimanam hanc spectat Instructio de Electione statûs, aut emendatione defectuum admissorum in statu jam tum electo: juxta ordinem autem S. Ignatii consideranda hæc foret quinto die hujus septimanæ. Deberet & conformiter intentioni illius hoc tempore considerari doctrina de tribus gradibus humilitatis. Porrò monet, quòd ad libitum possit minui aut augeri numerus Mysteriorum vitæ Christi, modò hac septimana sistatur in illis, quæ evenerunt in die Palmarum.

TERTIA SEPTIMANA.

Primo. Occupat S. Ignatius Exercitantem contemplatione eorum, quæ acciderunt in ultima cœna, à Christo Discipulis exhibita.

Secundo. Contemplatione eorum, quæ Christo acciderunt in horto Gethsemani.

Tertio. Proponit varia pro variis diebus mysteria Passionis Christi, quorum Catalogum ponit in fine Exercitiorum. Est autem sequens de comprehensione Christi, & traductione ad Annæ domum. *Matth.* 26. *Luc.* 21. *Marc.* 14. *Joan.* 18. De gestis postea in domo Caiphæ. *Matth.* 26. De Christi apud Pilatum accusatione. *Matth.* 26. *Luc.* 23. *Matth.* 15. & *Joan.* 18. De Transmisso Christo ad Herodem *Luc.* 23. De reversione ab Herode ad Pilatum, è citatis paulò ante 4. Evangelistis. De condemnatione & crucifixione JEsu Christi. *Joan.* 19. De mysteriis in cruce factis. *Matth.* 27. *Luc.* 23. *Ioan.* 19. De mysterio sepulturæ ibidem.

Quarto. Monet S. Pater, ut postquam excussa fuerint mysteria particularia Passionis, dies una impendatur iisdem simul meditandis ad diversas horas.

QUARTA SEPTIMANA.

Primo. Proponit meditationem de apparatione Christi resurgentis, facta Dilectissimæ illius Parenti.

Secundo. Distribuit in varias horas pro diebus hujus Septimanæ, tredecim apparitiones à Christo resurgente factas diversis Personis, tam iis quæ referuntur à sacris Evangelistis, quàm iis, quæ sumuntur ex *Epist.* 1. *S. Pauli ad Corinth. cap.* 15. Sunt autem sequentes 1. Apparitio facta S. Mariæ Magdalenæ. 2. Facta mulieribus redeuntibus à sepulchro. 3. Facta Petro. 5. Duobus Discipulis euntibus in Emaus. 6. Discipulis excepto Thoma. 7. S. Thomæ cum ceteris. 8. Discipulis piscantibus. 9. Discipulis in monte Thabor, quos mittit ad prædicandum. 10. Plusquam quingentis fratribus simul. 11. S. Jacobo. 12. Josepho ab Arimathæa tanquam verosimilis, & meditatu pia ex hagiographis. 13. S. Paulo.

Tertio.

Tertiò. Subjungit myſterium Aſcenſionis Domini.

Quartò. Proponit motiva, quorum conſideratio pia ſervit ad excitandum ſanctum Dei amorem.

Quintò. Quanquam S. Pater non proponat meditationem de gloria Paradiſi, nihilominus videtur eſſe una ex illis, de quibus, quòd addi poſſent affirmavit; manifeſtum enim eſt, quod ad finem à S. Patre intentum conducat.

MONITUM.

IN memorato equidem Catalogo non eſt facta mentio lectionis Spiritualis, horæ Conſiderationis, atque aliarum Spiritualium occupationum; quarum quidem licèt S. Pater non meminerit, non tamen illas excludit; quin procul dubio tales etiam expoſcit: quòd autem de iis tacuerit, cauſa fuit, quia hæc voluit relinquere prudentiæ Directoris, cui exercitantis cura tempore Exercitiorum eſt credita. Equidem hic tales poſui, quæ & cuilibet utiles, & S. Ignatii intentioni conformes fore mihi viſæ ſunt; cujus veſtigiis ac præceptis ſemper inſiſtere ſtudui.

CONCLUSIO OPERIS.

HArum omnium minutiarum adjumento ſpero me in luce poſuiſſe, quid ſint Exercitia S. Ignatii; illudque aſſecutum eſſe, quòd intendi, ut facilem nempe uſum eorum redderem.

Ex inſtructione à me propoſita, Director poterit videre, quid facere poſſit in Directione Communitatum, de quibus locutus fui; & facilè ex hiſce dignoſcet, quomodo gerere ſe debeat, ſi Perſona aliqua ſeorſim in Exercitiis ipſi dirigenda fuerit; aut dum curam habuerit communitatum, quæ tempore meditandi non congregantur ſimul. Proprium hujus opuſculi eſt, ſiquidem me non fallo, quòd omnes eo valeant uti, & quòd illis


etiam possit tradi, qui mediocris tantùm sunt capacitatis. Quare Directorem moneo, ut dum Personæ rudes ipsi dirigendæ fuerint, (siquidem amplius aliquid ab iis obtinere non potuerit, acquiescat) aut iis etiam commendet) ut toto præscripto tempore meditationes legendo percurrant; rebusque in iisdem explicatis assensum præbeant: & licèt aliud non fecerint, pro certo tamen habeat; quòd pro capacitate sua sint satis facturæ. Annotent lumina qualia habuerint, ac proposita, quæ fecerint; licèt non alia essent futura, quàm quæ in hisce foliis describuntur. De reliquo observent Distributionem Horarum, & fructuosè suaviterque dies Exercitiorum suorum transigent.

Eædem Personæ rudes, dum Directore etiam caruerint, hæc eadem faciant, quæ dixi antecedenter; & adjuvante Deo profectum capient.

Porrò legatur Index, quem hìc subjungam, qui utilis erit Directori, & quicunque Exercitia obire voluerit Directore carens.

Omnia ad majorem Dei gloriam, solidumque animarum profectum, ut veritates æternas bene penetrent, vitam suam juxta easdem dirigant, perque exercitium virtutum Christianarum perque abnegationem malè ordinatarum passionum ad creationis suæ FINEM *pertingant.* Hoc animo concludamus.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta. Psalm. 26.



INDEX

OMNIBUS UTILISSIMUS

Rerum illarum, quæ continentur hoc ſecundo Tomulo Solitudinis Spiritualis, qui complectitur tertiam quartam & quintam ejuſdem Partem, maximè autem utilis Directori Exercitiorum ſpiritualium.

TERTIA PARS.

QUARTA PARS.

QUINTA PARS. Quâ ſequentia continentur.

MONITUM.

Concernens Bullas Summorum Pontificum circa Exercitia Spiritualia S. Ignatii.

Non dubito, quin multis gratum futurum sit legere faventia illa Exercitiis spiritualibus S. Ignatii summorum Pontificum judicia. Equidem non adducam hic integras eorundem Bullas, sed paragraphos aliquos ex iisdem fideliter referam.

Paulus III. qui primus approbavit ac commendavit Exercitia spiritualia S. Ignatii, in eorum favorem edidit Bullam de ultima Julii An. 1548. hujus tenoris: Cùm sicut dilectus Franciscus Borgia Dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit. Dilectus filius Ignatius de Loyola præpositus Generalis Soc. Jesu per Nos in alma nostra Urbe erectæ, & per Nos authoritate Apostolica confirmatæ, quædam Documenta sive Exercitia spiritualia ex sacris Scripturis & vitæ spiritualis experimentis elicita composuerit, & IN ORDINEM (*Nota hic ordinem proprium Exercitiorum S. Ignatii* AD PIE MOVENDOS FIDELIUM ANIMOS APTISSIMUM redegerit : illáque Christi fidelibus ad spiritualem consolationem , & profectum magnopere utilia & salubria esse, non solùm famâ ex pluribus locis allatâ, prædictus Franciscus Dux didicerit , sed etiam experimento manifesto compertum habuerit. Quare idem Franciscus Dux nobis humiliter supplicari fecit, ut documenta & spiritualia Exercitia, quòd LATIUS eorum fructus pateat, & plures Christi fideles majori cum devotione ad utendum illis incitentur, examinari facere, etsi approbatione & laude digna invenerimus , laudare aliasque in præmissis opportunè providere de dignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Documenta & Exercitia spiritualia hujusmodi examinari fecimus &c.

pietate & sanctitate plena, & ad ædificationem & spiritualem profectum fidelium valde utilia, & salubria esse & fore comperimus: debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius (& ab ipso instituta Societas præfata, & in Ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant; & ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò habentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, Documenta & Exercitia prædicta, ac omnia & singula in eis contenta, authoritate prædictâ, tenore præsentium ex certa scientia nostra approbamus, COLLAUDAMUS, & præsentis scripti patrocinio communimus. Hortantes plurimùm in Domino omnes & singulos utriusque sexûs Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis Documentis & Exercitiis uti & instrui devotè velint &c.

Paulus V. §. 8. Bullæ suæ relatæ in Bullarium Anno 1606. die 23. Maji inquit: loquens de Personis Religiosis, *Iis, qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum: & aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem & spiritum inducentium lectionibus operam dederint, addendo sæpe considerationes & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor Novissimorum, Passionis Domini nostri Jesu Christi, & aliorum Exercitiorum, Orationum jaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem, & noctem Orationibus mentalibus sese exercendo; faciendo eodem tempore Confessionem generalem, aut annualem vel ordinariam, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint &c. plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.* Attendant nunc illi, qui secessum illum, ad octo vel decem dies, in bonum animæ suæ, dicunt parere turbationem disciplinæ claustralis, esse novitatem ac singularitatem; propter quæ talis secessus ab hujusmodi locis sit excludendus.

Alexander VII. in constitutione 40. de die 12. Januarii

 1657.

1657. ita loquitur: *Nos, qui probè ſcimus, quantopere conducant hujuſmodi Exercitia dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Chriſti fidelium mentibus: Devotionem eorum, qui operi tam pio, & ſalutari vacaverint, cœleſtium theſaurorum elargitione incitare volentes de omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus & cunctis Chriſti fidelibus tam Societatis (JESU) ac cujuſcunque alterius Ordinis & Congregationis Regularibus, quàm aliis quibuslibet Eccleſiaſticis & Laicis, qui in domibus Societatis (JESU) Exercitia prædicta juxta laudabilem ejuſdem Societatis conſuetudinem per octidui ſpatium quandocunque peregerint: & interea temporis verè pœnitentes & confeſſi ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſceperint: quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.*

Palàm fuit ſenſus fel. rec. Innocentius XI. qui tantopere, maximè Religioſis uſum Exercitiorum ſpiritualium inculcavit; idem fuit pariter judicium Innocentii XII. uterque enim experientiâ didicit, quantùm illa valeant ad animam aut reformandam, aut reficiendam. Alia nunc mihi Diſtributio facienda ſupereſt.

DISTRIBUTIO

Rerum toto hoc opuſculo contentarum, quæ ſervire poterit Religioſis, qui integrum ſolent menſem impendere Exercitiis ſpiritualibus S. Ignatii.

Exiſtimo, quòd ea, quæ hoc opere continentur, poſſint ſufficere pro materia ad integrum menſem Perſonis illis Religioſis, quæ talem integrum Exercitiis dare ſtatuerint, ſi ſequentia obſervare voluerint.

Exercitia (ſive meditationes) poſſunt adhiberi manè: Conſiderationes, quæ ſunt applicatio dictarum meditationum ad particulares earum neceſſitates, tempore pomeridiano.

Obſervandum interim, quòd hoc menſe, quem pro quatuor ſeptimanis hìc computamus, quâlibet ſeptimanâ indul-

indulgeatur una dies quietis, dum non ita contenditur animus, uti cæteris diebus. Itaque supponendo, quod initium sumatur à die Lunæ, vacabit Dominica in omni septimana: poterit autem initium duci à die, quo libuerit.

Quòd si sæpius facienda esset repetitio (quam fieri posse insinuat S.Ignatius, uti suprà dictum) sic materia etiam esset redundatura.

Si etiam majorem quis mysteriorum vitæ Christi copiam desideraverit; facilè poterit sibi ipsi satisfacere, assumere poterit authorem aliquem è multis, qui illa tractant. Talis poterit esse P. Ludovicus de Ponte, P. Petrus Ximenez ejusdem compilator, P. Vincentius Bruni, P. Ludovicus Granatensis, multique alii. Quibus suppositis, progredior nunc ad promissam distributionem, & incipio à prima septimana.

PRIMA SEPTIMANA.

Quæ destinata est ad concipiendum horrorem peccati, & ad provocandum dolorem de peccatis commissis.

Die Lunæ manè. Pro primo & secundo tempore meditandi assignetur Exercitium I. secundæ partis. Et *pro tempore pomeridiano* Consideratio temporis matutini primi diei pag. 49. Et quandoquidem tertia Pars complectitur considerationes, secunda autem Exercitia sive meditationes; brevitatis gratiâ hæc loca non citabo deinceps.

Die Martis manè. Pro uno atque altero tempore meditandi assignetur Exercitium II. & *tempore pomeridiano* pro uno pariter & altero tempore meditandi Consideratio temporis matutini primi diei.

Die Mercurii manè. Pro uno atque altero tempore meditandi assignetur Exercitium III. Et *tempore pomeridiano* pro uno pariter atque altero Consideratio temporis pomeridiani pro secundo die.

Die Veneris manè. Pro primo tempore meditandi Exercitium V. & pro secundo tempore Exercitium VI. *Tempore pomeridiano* assumatur Consideratio matutina diei tertiæ pro primo tempore meditandi. Pro secundo tem-

pore cōsideratio, quæ est pro tempore pomeridiano diei tertiæ.

Sabbatho manè. Pro utroque tempore meditandi Exercitium VII. Et *tempore pomeridiano* pro primo tempore meditandi Exercitium VIII. Pro secundo tempore consideratio pro matutino tempore diei quarti.

Dies Dominica, uti insinuavi, est destinata pro quiete aliqua. Poterit Exercitans occupare se ruminandis aliquibus, quæ cor ipsius magis tetigerunt; relegendis item annotatis luminibus ac propositis.

SECUNDA SEPTIMANA

Ordinata ad concipiendum affectum erga illas Virtutes, quas Jesus in vita sua privata exercuit, quæque sunt magis faciles & communes cuivis Christiano, conformiter statui ipsius.

Die Lunæ manè. Pro primo tempore meditandi assumatur Exercitium IX. pro secundo Exercitium X. *Pro tempore pomeridiano* Consideratio temporis pomeridiani quarti diei, servietque pro utroque tempore.

Die Martis manè, Pro utroque tempore meditandi Exercitium XI. *Tempore pomeridiano* pro utroque pariter tempore Consideratio matutina quinti diei.

Die Mercurii manè. Pro primo tempore meditandi Exercitium XII. pro secundo tempore Exercitium XIII. *Tempore pomeridiano* pro utroque tempore Consideratio pomeridiana quinti diei.

Die Jovis manè. Pro primo Exerc. XIV. pro secundo Exerc. XV. *à prandio* pro utroque consideratio matutina diei sexti.

Die Veneris manè, Exercit. XVI. pro utroque tempore meditandi. *Tempore pomeridiano* pro utroq; tempore Famosa sententia Christi: *Quid prodest homini, si mundū universum lucretur? &c.* quæ invenietur in parte tertia p.138.

Sabbatho manè. Pro primo tempore assumatur primus modus faciendi sanam ac bonam electionem. Invenietur in 2da parte pag. 280. Et pro secundo tempore meditandi assumatur secundus modus faciendi bonam electionem qui invenietur ibid. pag. 281. *Post prandium* pro primo

primo tempore meditandi assumantur tres modi humilitatis positi pag. 277. pro secundo tempore sumantur illa, quæ pertinent ad emendationem aut reformationem vitæ propriæ. De quibus in parte secunda pag. 282.

TERTIA SEPTIMANA.

Ordinata ad magnos animos concipiendos in adversitatibus, quales illum solent impetere, qui Christum sequi cogitat in promovenda salute animarum.

Die Lunæ manè Pro utroque tempore meditandi assumatur Exercitium XVII. *Tempore pomeridiano* pariformiter consideratio assignata tempori pomeridiano diei sexti.

Die Martis manè. Pro utroq; tempore meditandi Exercitium XVIII. *Tempore pomeridiano* pro utroque tempore Consideratio pro tempore matutino septimi diei.

Die Mercurii manè. Exercitium XIX. pro utroq; tempore meditandi. *Tempore pomeridiano* pro utroque tempore Consideratio pro tempore matutino diei octavæ.

Die Jovis manè. Exercitium XX. pro utroque tempore meditandi. *Tempore pomeridiano* pariter pro utroq; tempore Consideratio assignata tempori pomeridiano 7. diei.

Die Veneris manè. Pro utroque tempore meditandi Exercitium XXI. *Tempore pomeridiano* pro uno atque altero tempore medietas considerationis assignata diei octavæ.

Sabbatho manè. Pro utroque tempore meditandi Exercitium XXII. *Tempore pomeridiano* pro utroque tempore medietas altera considerationis assignatæ tempori pomeridiano diei octavæ. *Dominicâ sequente permittitur quies aliqua, agiturque, quod notatum in præcedentibus.*

QUARTA SEPTIMANA.

Ordinata ad concipiendum amorem illius mercedis, quam Deus fidelibus servis suis rependit; & ad excitandum desiderium fideliter illi serviendi, qui nos tantopere amat.

Die Lunæ manè. Pro duobus temporibus meditandi Exercitium XXIII. *Tempore pomeridiano* pro utroque Appendix, quæ invenietur in prima parte pag. 284.

Die Martis manè, Pro utroque tempore meditandi Exercit.

ercit. XXIV. *Tempore pomeridiano* pro utroque media Consideratio assignata tempori matutino diei nonæ.

Die Mercurii manè. Exercit. XXV. pro uno atque altero tempore meditandi. *Tempore pomeridiano.* Altera medietas considerationis assignatæ tempori matutino diei nonæ.

Die Jovis manè. Exercit. XXVI Pro utroque tempore meditandi. *Tempore pomeridiano* pro utroque similiter Consideratio pro tempore pomeridiano noni diei.

Die Veneris manè. Pro utroque tempore meditandi consideratio assignata tempori matutino decimi diei. *Tempore pomeridiano.* Pro utroque tempore Exercit. XXVIII. sive Praxis pro ultimo die Exercitiorum.

Die Sabbathi manè Exerc. XXVII. Pro uno atq; altero tempore meditandi. Tempore pomeridiano pro utroque consideratio assignata tempori pomeridiano decimi diei.

MONITUM PRIMUM.

De materia lectionis libri spiritualis pro eo, qui ad mensem Exercitiis vacaturus, hoc libro uti voluerit.

Quoniam assignavi varia loca S. Scripturæ, alterna fiat lectio Spiritualis. Manè quidem assumatur talis è Sacra Scriptura & *tempore pomeridiano*, Lectio assignata cuilibet diei parte quarta pag. 145.

Et quia fortè materia pro diebus aliquot deficiet, in defectum horum poterit substitui caput aliquod ex Thoma Kempis.

MONITUM SECUNDUM.

Is qui ad mensem vacare cogitat sacris exercitiis libelloque præsente u: volet, pro materia Considerationis manè ac vesperi utatur iis quæ præscribuntur sacerdotibus (prout tamen Directori visum fuerit, cujus erit dispicere, quid faciendum conveniet conformiter conditioni Exercitantis, si fuerit sæcularis vel sacerdos) atque ita etiam Persona sæcularis poterit uti considerationibus sæculari præscriptis, prout prudentia Directoris utile judicaverit. Poterit & materiam Considerationis præbere Paragraphus. Quàm horrendum sit missæ sacrificium in peccato mortali offerre. *Pag. 46. Partis tertiæ. Et id, quod dicitur de utilitate confessionis parte primâ pag. 96. & quod ponitur pag. 12 . & pag. 128. in prima parte.*

F I N I S.

Vigrensis Eremi

